Artis medicae principes de curanda febre typhode : comparatos in conspectum historicum / dedit Franciscus Ochs ; praemissa quaestione de auctoribus Graecis circa notionem affectus typhodis dissentientibus.

Contributors

Ochs, Franz Moriz Alexander, 1801-
Francis A. Countway Library of Medicine

Publication/Creation

Lipsiae : Sumptibus Leopoldi Vossii, 1830.

Persistent URL


https://wellcomecollection.org/works/re56yn3x


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the Francis A. Countway Library of Medicine, through the Medical Heritage Library. The original may be consulted at the Francis A. Countway Library of Medicine, Harvard Medical School. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org


FROM THE FUND BEQUEATHED BY
1819 ROBERT CHARLES BILLINGS 1899
TO THE
BOSTON MEDICAL LIBRARY
Nº 8 THE FENWAY



Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

http://www.archive.org/details/artismedicaeprin00ochs

ARTIS MEDICAE

PRINCIPES

DE CVRANDA

FEBRE TYPHODE

COMPARATI.

ARTIS MEDICAE PRINCIPES DE CVRANDA FEBRE TYPHODE COMPARATOS

IN CONSPECTVM HISTORICVM

DEDIT

FRANCISCVS OCHS, M. D.

IN ACADEMIA LIPSIENSI MEDICINAM PRIVATIM DOCENS.

PRAEMISSA QVAESTIONE

DE AVCTORIBVS GRAECIS CIRCA NOTIONEM AFFECTVS TYPHODIS DISSENTIENTIBVS.

LIPSIAE,

SVMPTIBUS LEOPOLDI VOSSII.

MDCCCXXX.

12. Q. 65.

1995 Bi

BOSTON MEDICAL
JAN 25 1923
LIBRARY

VIRO ILLVSTRI

EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO
AMPLISSIMO

IOANNI CHRIST. AVGVSTO CLARO

POTENTISSIM. REG. SAXON. A CONSILIIS AVLAE ET RER. MEDICIN. ORDIN. SAXON. VIRTVT. CIVIC. ET ROSSICI A STO. WOLODOMIRIO COGNOMIN. EQVITI, PHILOSOPHIAE, MEDICINAE ET CHIRVRGIAE DOCTORI, CLINICES P. P. ORD. DESIGN., INSTITVT. CLINIC. REGII MEDICO PRIMARIO, VNIVERSITATIS LITERARVM, VRBIS ET PRAEFECTVRAE LIPSIENSIS MEDICO PVBLICO, PLVRIVM SOCIETT. ERVDITT. SODALI ETC. ETC.

FAVTORI AC PRAECEPTORI

PLVRIMVM REVERENDO

HASCE

STVDII HISTORICO-MEDICI

PRIMITIAS

PIA GRATAQVE MENTE

OBTVLIT

AVCTOR.

LECTORI BENEVOLO S.

Ut in uno libro collectum haberetur, quidquid de febrium moribus et sanandarum methodis, inde a primordiis artis medicae, fideliter et commode, per aetates singulas varioque sub coelo observatum sit, cum Lindio et Stollio, auctoribus minime despiciendis, complures passim exoptaverunt. Sed quantumvis ex tali opere utilitatis sperandum erat *), nemo hactenus laborem in se suscepit; isque difficilior potius in dies quam facilior reddi videbatur propter perpetuum rei augmentum, dum via nihilo magis adhucdum erat munita. Tentavi igitur pro virium otiique modulo materiei nonnihil conferre, quod majori viro forsitan usui esse posset, si quis serius aliquando tum plenius, tum elaboratius et sapientius de eadem re foret scripturus. Quem in finem, quum de febribus universim absolvere, rem nimis prolixam arduamque fore sentirem, praeferebam de typhode speciatim ex auctorum monimentis referre, partim quoniam singularem semper operam ei navarunt medici, scriptores non minus quam observatores, partim quoniam tum coeli ratio, tum

*) Cf. *Samml. auserl. Abh. z. G. f. pr. Aerzte.* Vol. II., fasc. 4. (Lind.)

aevi diversitas et constitutio plurimum in ea varietatis efficere videbatur.

Opus inchoanti animum et vires haud parum augebat auctoritas clarorum virorum, quorum alter saluberrimo consilio cogitationem libri primam mihi excitavit, alter ideam firmatam, arctioribus vero limitibus circumscriptam, allocutione benevola lustravit non minus, quam ampliorem reddidit. Quorum suasorum inclytissima nomina pronuntiare, ut animus me jubet magnopere devinctus, beneficiorumque vigens memoria; metuo tamen, ne operis, quale nunc peractum prostat, mendosi et exspectatione forte inferioris fautores dici improbantes recusent.

Scilicet priusquam de medicorum observationibus et cura morbi sigillatim exponerem, hoc antea absolvendum ducebam, ut notionem febris nunc vulgo typhodis dictae, quam vacillantem alias, alias diversimode conceptam inter recentiores viderem, accuratius et ad pristinum Graecorum, tum vulgarem sermonem, tum medicum verbi usum definirem. Inter veteres vero quum de idea typhi et typhodis febris haud minorem quam inter nuperos differentiam reperirem; primitivum dicendi usum, Epidemicorum libris Pseudohippocraticis proprium, pro norma elegi, Galeno usus interprete, indeque haustam notionem, ubi obscuri nonnihil habebat, hodiernam verbi significationem, quantum decebat, respiciens, paululum inflectere haud absurdum putabam. Qua in re quam disqui-

rendi methodum sim secutus, quidque lectio veterum auctorum circa eandem mihi suppeditaverit, aequo Virorum Eruditorum judicio committebam praevio tractatu: de auctoribus Graecis etc., quem ante biennium loco tentaminis inauguralis in hac literarum universitate edideram. Sane quidem, postquam tam diu libellus iste jacuit typis semel excusus, haud pauca in eodem jam me offendunt, quae, si nunc opus essem aggressurus, aliter malim instituere vel enuntiare, adeo ut pro immaturitate opusculi inconsideratius compositi veniam Aestimatorum doctorum vix ausim implorare. Interim labor forsitan non erat plane rejiciendus, quum quaestionem antehac nusquam diligentius ventilatam, de qua etiam doctiores passim incertos vagari videram, qualicunque modo, certe non sine veritatis studio, enuclearet.

Qua ratione alteram, potiorem libri partem, comparationem auctorum historico-therapeuticam instituerim, breviter alicubi expositum est (§. 32). Quantum per spatii angustiam fieri licebat, paulo accuratius de rebus retuli, quae huc convenire viderentur, ut, quod suum cuique observatori et proprium singulis existeret, tanto promtius in oculos incurreret. In generalibus acquiescendo varietatem relationis longe minorem, repetitiones autem plures, tantoque magis taediosas reddidissem.

Observationes auctorum et medicinam exponens vulgo mihi temperabam ab animadver-

sionibus interserendis, aliisque intercalationibus, utut frequens et multifaria opportunitas allectaret. Satius putabam, brevitatis insuper studiosus, ratiocinandi copiam Lectoribus offerre, quam propriis qualibuscunque meditationibus molestiae periculum apud eos incurrere, qui rem, quam auctorem spectare maluerint.

Symptomatum recensione in plerisque non mihi licebat supersedere; varii enim variam morbi speciem, virtutem etc. coram habuerant, praecipue per constitutiones singulari ritu regnantes. Docet praeterea phaenomenorum subinde facta memoratio, quam formae conversionem per seculorum decursus aevorumque genios febris typhodes in genere dicta subierit, quippe circa cutaneas eruptiones maxime conspicuam; quomodo vero in omni varietate et faciei alteratione eadem virtus morbi, eadem ad causas efficientes ratio, idem periculum et exitus, eadem medelae administratio perstiterit. Utcunque ex diversis temporibus, constitutionibus et locis diversa medici observaverint; accuratius consideranti manifestum denique erit, ipsos de momentis quibusdam longe magis inter sese convenire, quam quod a primo intuitu existimaveris; certitudinem igitur et constantiam artis medicae nullo adminiculo commodius posse demonstrari, quam tali auctorum diversimode referentium facta ad concordiam conciliatione.

CONSPECTUS.

De auctoribus Graecis circa notionem affectus typhodis dissentientibus.

Pag.

Prooemium et instituti ratio. §. 1. 1

De v. τύφος et cognatis vocibus animadversiones etymologicae. §. 2. 2

De notione typhi inde adumbranda. §. 3. 5

De pathemate typhode in libris Epidemicorum Pseudohippocraticis memorato. §. 4—7. 6

Epicrisis locorum et hausta illinc idea mali. §. 8. 15

De typhi quinque speciebus apud auctorem l. internarum affectionum obviis. §. 9. 10. 16

Censura earundem historiarum et comparatio affectuum cum typhi notione constituta. §. 11. 24

De febribus Erotiano dictis typhodibus. §. 12. 13. . . 26

De iisdem febribus ad notionem Hippocraticam relatis. §. 14. 34

De Galeno pathema typhodes ad Hippocratis mentem interpretante. De notione ejusdem affectus ex scriptis Galenicis augenda, complenda. De pathemate typhode, ut genere affectuum soporosorum. §. 15. . . 37

De speciebus typhodis affectus sigillatim, ex doctrina Galeni. De comate utroque. §. 16. 17. 41

De carode affectu. §. 18. 46

De lethargo. §. 19. 20. 50

De catalepsi. §. 21. 63

Affectuum soporosorum mutua comparatio, specierum ad genus typhodes relatio. Idea ejusdem jam auctior, illustratior. §. 22. 64

De febribus Galeno dictis typhodibus. Lineamenta doctrinae Galenicae de febribus generatim. §. 23. . . . 67

Pag.

De febris typhodis et quotidianae continuae sive pituitosae (phlegmaticae) consensu. §. 24. 25. . . . 72
Febres Galeni typhodes comparatae cum affectu typhode Hippocratico. §. 26. 81
De febre Aëtio dicta typhode. §. 27. 83
De licentia posterorum in dicenda febre typhode. §. 28. . 89
De causa ac ratione illius de malo typhode dissentionis, epimetrum. §. 29. 93

Artis medicae principes de curanda febre typhode comparati.

Prolegomena. §. 30—32. 99
Hippocrates. §. 33—46. 107
Thucydides, de peste Atheniensi. §. 47—50. 161
Heraclides Tarentinus. §. 51. 173
Corn. Celsus. §. 52—55. 176
Aretaeus Cappadox. §. 56—60. 191
Caelius Aurelianus. §. 61—65. 205
Claudius Galenus. §. 66—76. 214
Oribasius, Aëtius, Paulus Aegineta. §. 77. . . 248
Alexander Trallianus. §. 78—80. 252
Medicina arabica, scholastica, instaurata. §. 81. 82. . . . 262
Avicenna 267
Alexander Benedictus 267
Fracastorius 267
Nicolaus Massa 268
Ingrassias 268
Jo. Langius 268
Crato 269
Jul. Palmarius 269
Fr. Vallesius 269
Fallopius 269
Ambrosius Paraeus 270
Corn. Gemma 270
Quercetanus 270
Thom. Jordanus 270
Alphanius 271

Pag.

Bapt. Gemma 271
Sylvius Facius 271
Petr. Salius 272
Petr. Forestus. §. 83. 272
Jo. Coyttarus. §. 84. 85. 280
Ballonius. §. 86. 286
Lud. Septalius. §. 87. 88. 289
Andr. Trevisius. §. 89. 296
Octav. Roboretus 296
Fabric. Hildanus 297
Pet. Paauw. Florentius 297
Labadie 298
Heurnius. §. 90. 298
Helmontius. §. 91. 301
Van der Mye 302
Troilo Lancetta 302
Spindlerus 302
De le Boë Sylvius 302
Morellius 304
Sennertus. §. 92—95. 304
Laz. Riverius. §. 96—99. 316
Th. Willisius. §. 100—102. 335
Isbr. de Diemerbroek. §. 103. 104. 342
Ettmüllerus. §. 105. 106. 350
Hodges. §. 107. 358
Thom. Sydenhamus. §. 108—116. 361
Ramazzinius. §. 117. 118. 385
Baglivus. §. 119. 120. 391
Lancisius. §. 121. 397
Morbus et medicina ineuntis seculi XVIII. §. 122. . . . 402
Frid. Hoffmannus. §. 123—126. 406
Stahlius. §. 127. 128. 423
Boerhaavius. Swietenius. §. 129—136. 429
Huxhamus. §. 137. 138. 448
Pringlius. §. 139. 140. 464
Ant. de Haen. §. 141. 473
Hasenoehrlius. §. 142. 476
Car. Strack. §. 143. 481

Pag.

Quarinus. §. 144—147. 487
Guil. Grant. §. 148. 149. 503
Pecquius Cloturanus. §. 150. 514
Max. Stollius. §. 151—153. 519
Burserius de Kanilfeld. §. 154. 155. 539
Petr. Frank. §. 156. 551
Valent. ab Hildenbrand. §. 157. 558
Conclusio 566
Index 575

DE

AVCTORIBVS GRAECIS

CIRCA NOTIONEM

AFFECTVS TYPHODIS

DISSENTIENTIBVS

DISSERTATIO INTRODVCTORIA.

— — — apis Matinae
More modoque.
HORAT. Od. IV. 2.

BOSTON MEDICAL
JAN 25 1923
LIBRARY

§. 1.

Quamvis nostra aetate magno nomine celebretur, tamen in veterum medicorum libris paucorum morborum tam rara fit mentio, tam parca eaque obscura redditur descriptio, quam illius, qui τυφώδης et τύφος ibi appellatur, sive febrem comitem habeat, sive ea carere dicatur. Simul vero tanta dissensio inter auctores obtinet de natura illius mali, ut ne duos quidem invenias, quos circa eandem convenire putaveris, ita, ut partim sedula opus fiat animadversione, ut notae tam rarae tamque dispersae et mutilae ad probabilem quandam et quodam modo luculentam morbi imaginem componantur, partim diligenti distinctione, ne confundantur, quae a se invicem sunt aliena. Verumtamen in hac iniquitate materiae non deest scrutatori analogiae adiumentum: etenim si in paucis quidem, iis vero peculiaribus et naturam testantibus signis duae morbi imagines inter se conveniunt, conclusionem facere licet ad consensum etiam accessoriorum, quippe quae in alterius quidem descriptionis tenuitate reticeantur; dummodo, quae necessaria est, cautio et circumspectio adhibeatur. Tali modo nobis continget fortasse, ut aliquot affectus, qui sub certo quodam titulo non nisi leviter et quasi in transcursu tanguntur ad certi aliquam et veri speciem uberius exponere possimus, et signis alii nomini adscriptis augere. Quum vero singuli scriptores sententiis de affectu vel febre typhode latis a se invicem aliquantum discedant, quaerendum est, quaenam primitiva et propria notio mali sit, a qua reliquae forte descendant; et haec quidem simul ad eum, quem nos vocamus typhum, proprie et primario loco applicanda foret. Quem

in finem necessarium duximus, indagari virtutes verbi τύφος et cognatarum vocum; aliquoties enim ad hanc etymologicam partem respicietur, et eodem revocabuntur usus scriptorum typhum commemorantium, ubi modo hanc, modo illam verbi significationem supposuisse cognoverimus.

---

§. 2.

Scilicet ut in scriptis medicorum, ita et in usus communis consuetudine paucae voces reperientur, quae in frequentia vix mediocri, ne dicam: raritate, tantam varietatem usus et virtutis nactae fuerint, quam v. τύφος et quae cum ea cohaerent, ita, ut et ipsarum primitivus et secundarius dicendi usus antea, quod paucis fiat, veniat discernendus.

Descendunt autem τύφος et cognatae voces a θύω (σύω), cuius primitiva vis erat vehementem emotionem et strepitum aëris, flammae, undarum designandi, quodque deinde dicebatur de hominibus furentibus, cum impetu quodam ruentibus, mox de materiis, quae flagrantes crepitum et frendorem edunt, vel effervescunt, nec non simpliciter de succensis promiscue, v. c. suffimentis *). Hinc natum habemus τύφειν (pr. θύφειν) succendere, occulto igne, vel cum fumo largo et fuligine exurere; Hesychius: τύφεσθαι, χωρὶς φλογὸς καπνὸν ἀνεῖναι, ἡσυχῇ ἐκκαίεσθαι, velut igne sub cineribus clam nutrito; ap. Plutarch.: πόλεμος πάλαι τυφόμενος, ἀναλάμψας τὴν στάσιν ἔπεσχεν. — ap. Aristot. Meteor. 2, γῆν — ὑπὸ οἰκείας θερμότητος ξηρανομένην, ὡς τύφεσθαι. — sic apud Galenum, Differ. febr. L. 2. passim, de succenso ligno recente et ob humorem retentum fumante. — dein: fumum exci-

---

*) Quae vox et ipsa, sicuti fumus, ab aeolica forma illius θύω derivari potest, quasi φίω (Fίω) fire, fuffire, φυμός.

tare, *τύφειν καπνόν* (Herodot.); fumo infestare (e. g. *μελίσσας*); fumare, fumigare (Photius: *τυφομένης, καπνιζομένης.*).

Τύφος igitur pr. fumus, vapor; materia, quae fumum et fuliginem emittit, fomes, velut Salmasius, ad Tertull. Pall. p. 280. verba: *ἐκ τούτου τύφου φλεγόμενον* etc. reddidit: habes igitur ex isto fomite aestuantem magnum regem. Porro sicut ii, qui in fumo obversantur, sensibus detinentur impeditis et hebetudine quadam, huic similis affectus ita appellabatur (Cardan. ad Hipp. Epid. L. II., s. 5. t. 5. vid. Contradict. med. L. 2., tr. 5., c. 29.); modo itaque fastus et elatio, quibus hominum mens obnubilatur et obcaecatur, quo fit, ut se ipsos non amplius pernoverint, et mens elata iam alienetur et desipiat (Mercurialis, Var. lect. L. 5. c. 2. ex Arnob.. adv. gentes. L. 1.), Horatii: coecus amor sui, i. q. *οἴημα*, teste Budaeo (Lex. Graec.); — apud Lucian. Dial. *οὐ τὸν τύφον ἀπομαθήσῃ, καὶ γνώσῃ σεαυτόν*; — Suidas: *τύφος, ἀλαζονεία, μανία*, — *ὁ δὲ τοιοῦτος ἀγνοεῖ καὶ, ὡς τετύφωται* (ignorat, se fastu inflatum esse); — Hesychius: *τύφος, ἀλαζονία, κενοδοξία, ἔπαρσις*; — Photius interpr. *ἀλαζονία, μανία*; — Plutarch. de Deo Socrat. *τὸν δὲ τύφον, ὥσπερ τινὰ καπνὸν φιλοσοφίας, εἰς τοὺς σοφιστὰς ἀποσκεδάσας.* — sic etiam *τυφώδεις* teste Hesych. denotat: *ἐπαρθεῖς, ὑπερηφανούσας*; — modo stuporem significat, in quo sensuum et mentis facultates hebescunt, quasi obnubilatae et fumosis vaporibus, quibus caput concutiatur et incalescat, oppressae; similiter ut cognata vox *τυφλὸς* et *τυφλώδης*, proprie *τυφελὸς* etc., mente et oculis obcaecatus intelligitur. Hesychius enim: *τυφλὸς τίθεται καὶ ἀντὶ τοῦ κωφὸς*, hoc autem idem est, quod *ἐνεὸς*, quo verbo Galenus iterum interpretatur v. *τυφώδης*. Idcirco mirandum non est, quod in Msptis ac Edd. vet. medic. *τυφλώδης* saepe cum *τυφώδης, τυφῶσθαι* cum *τυφλῶσθαι* saepius confusum vide-

re licet, sensu verborum ita haudquaquam mutato. (Cf. infr. §. 8).

Ex his facile intelligitur virtus v. *τυφῶσθαι*: affici *τύφῳ*, fumo vaporibusve comprehendi, vel detineri; fastu inflari (cf. Suidas, l. com.) et Plat. ap. Diog. Laërt: *ὅσον τοῦ τύφου διαφαίνεις, δοκῶν μὴ τετυφῶσθαι;* ap. Herodian. *εἰς ἐλπίδα μειζόνων πραγμάτων ἐτύφωσε;* dein: stupefieri: Plat. Phaedr. *ἐπὶ τοῦ τετυφῶσθαι (τετυφλῶσθαι) τὴν διαιοίαν*, — ap. Aretaeum, de hepaticis, *γνώμη τετυφωμένη* etc. — ap. Demosthen: *τετυφῶσθαι τὸν ταῦτα λέγοντα ἔφη*, quod Harpocration interpretatur: *ἐμβρόντητος*, potentia *τυφῶνος* attonitus (sic Foësio *τύφος* est stupor attonitus).

Scilicet ille cum aliis nonnullis (e. g. Langio, Epist. 1. 19, Sinibaldo, Geneanthrop. L. V. tr. 2. c. 8.) vocem *τύφος* a *τυφὼν* vel *τυφὼς* derivavit; verum et ipsis radix est in v. *θύω*, strepo, et denotant (similiter ac *θυέλλη*) ventum cum ingenti strepitu ruentem, qui densa nube involutus praeceps in terram eliditur (Aristot. Meteor. 3.), pulverem soli turbine rapiens in gyrum vertit, arbores evellit, et obvia quaeque pessundat, cuius exhalationes nubem rumpentes fulgure micant ac nubes in longum imbrem resolvunt *), quales flatus, qui cum aqua tumultuose profusa inhorrentes et fragosi feruntur, ab Aristotele alibi *ἐξυδρίαι* vocantur. Adscribebant autem talem turbinem Typhoeo giganti, quem Iovis fulmine ictum et Aetna monte obrutum cum ventorum turbine sulphureas eructare flammas et fumos caliginosos emittere commenta est antiquitas, et saxa evellere. Photius: *τυφὼν, οὐχ ἡ φλὸξ ἐκ τοῦ ἀέρος· ἀλλ' ἡ ἐκ τῆς ἀναθυμιάσεως συστροφὴ πρὸ τοῦ πυρωθῆναι. — τυφὼς, ὁ κατὰ θάλατταν, ὕφ' οὗ τὰ*

*) Gell. Noct. Attic. XIX. Quin turbines etiam crebriores et coelum atrum et fumigantes globi ac figurae quaedam nubium metuendae, quas typhonas vocabant, impendere imminereque ac depressurae navem videbantur.

πλοῖα φθείρεται. — Hesychius: τυφῶνος, πυρώδους δαίμονος. — Suidas: τυφών, κεραυνὸς βίαιος, πολὺς καὶ πνευματώδης, ἢ καὶ πνεῦμα καπνῶδες, ἐρρωγὸς ἀπὸ νέφους. Pollux (Onomast.) τυφών, turbo urens. Coniuncta autem in utraque voce venti notio est cum flammae, eiusque praecipue fumantis, significatione, partim, quod in re utraque strepitus animadvertebatur, partim, quod in universum ratio vel mutua vel communis inter flammam et ventum obtinere veteribus videbatur.

---

§. 3.

Ex iis, quae breviter notata hic sunt circa usum verbi τύφος etc., et quorum in consensum alia complura possint adduci, colligere licet, qualem illa vox apud medicos proprie et primitiva virtute secundum stirpis rationem designatura sit valetudinis affectionem: haud dubie, in qua sensus interni et externi, causa vel cerebrum ipsum obsidente vel aliunde efficaci, in stuporem percussi fuerint, et, quemadmodum rem sibi fingebant veteres, ipsum cerebrum, animi primarium instrumentum, ex incendio quodam interno et fumo ac fuligine inde ascendente sopitum sit, viribus quasi suffocatis; fomes autem, unde caligines illae mentis dissipentur, cogitandus foret non tamquam inflammatio externis signis vehementiam prodens, sed gliscens quasi ignis sub cineribus latens, introrsum exaestuans, extrinsecus parum manifestus. Sic quidem animo conceptus τύφος ita differat a causo, licet species eiusdem dicatur a compluribus recentiorum, uti τύφεσθαι a καίεσθαι, quod est cum flamma et aestu dissipato comburi. Nam in sincero causo externus ardor admodum conspicuus habebatur, i. e. febris, sensuum et mentis facultates, vel non, vel leviore et tenuiore quasi fuligine minus constanter vitiatae, eaeque excitatae potius, aestu cum cerebro communicato, quam depressae tam-

quam fuliginis copia obruente. Morbi celerior erat decursus, flamma enim materiam citius depascebat; typhi autem tardior, aestu occulto, quem afflatus flammam eliciens non accedat, lentius proserpente. Idem hoc sensu acceptus non habuerit necessitatem febris, quae certe magna ei non convenerit, neque etiam delirii, certe ferocis, nam virtus cerebri sopita magis vel imminuta iacet, quam perversa. Quibuscum convenit Galenus, dum τυφώδης interpretatur: ἐνεὸς, quod, Phavorino teste, ἄφωνος καὶ ἠλίθιος, mutus, stupefactus denotat.

Ita quidem ex stirpe vocis deduci possit, quamnam aegritudinem proprie ac in universum v. τύφος significaverit; quaerendum autem iam est, quatenus usus auctorum de re medica cum primitiva, sic modo constituta virtute conveniat, vel ab ea discedat.

Et quamvis usus loquendi communis iamiam antiquitus verbum τύφω cum cognatis videatur recepisse, quod praeter alia fabulis docetur de Typhoeo antiquitus compositis, quem apud Aegyptios etiam Graeci reperisse voluerunt diu in numinum societatem relatum, cuiusque Hesiodus iam mentionem iniicit; tamen τύφον ad aegritudinem certam aliquam denotandam serius demum in consuetudinem medicorum cessisse existimaverim, neque vero, ut haec praeripiam, unquam egregiam usus celebritatem esse nactum. Quod iam in eo sumus, ut ex lectione ipsorum comprobare studeamus.

---

§. 4.

In illis autem, quae Hippocrates magnus nobis reliquit observata et praecepta genuinis libris perscripta, nomen typhi vel typhodis febris frustra quaesitum est; quod mirum non videbitur, etiam si ponamus, usum medicorum iam tum illam vocem recepisse, consideranti morem immortalis viri, qui diligenti observatione natu-

ram prosecutus parvi habuerit, formas morborum distinguere multas, et nominum augere varietatem, ut (de Vict. in acutis I. init. et comm. Galen.) Cnidiae scholae medicis hoc maxime vitio verteret, quod symptomatum studiosa collectione abuterentur species nimis multas distinguentes, dignitatem vero ipsorum negligentes. Verum in iis, qui illius nomine spurii feruntur libri, paucis aliquot locis τυφώδης et τύφος commemorantur, quibus exponendis paululum insistamus.

Ac primum quidem L. Epidem. II., s. 5., t. 5. haec observatio legitur praecedentibus, ut videtur, haudquaquam necessitate adjuncta, ita ut a contextu cum illis et cum sequentibus soluta perspicuum habeat intellectum: οὗ ἂν ἡ φλὲψ ἡ ἐν τῷ ἀγκῶνι σφύζῃ, μανικὸς καὶ ὀξύθυμος· ᾧ δ' ἂν ἀτρεμέῃ, τυφώδης. In qua φλὲψ antiquo loquendi more arteriam significat; nam venas, ut non pulsantes, et arterias, ut pulsantes, primus demum distinxit Praxagoras Cous (349 a. Ch.) Galen. d. diagnos. puls. L. IV., c. 2.); pulsuum differentia ut adminiculo in cognoscendis et diiudicandis morbis usus. Quem qui praecesserunt, ut Hippocrates et discipuli, σφύζειν et σφυγμὸν dicebant vehementem solummodo et concitatam (σφοδρὰν κίνησιν), ipsis oculis manifestam, non admota etiam manu, atque aegroti ipsius sensu perceptam vasorum pulsationem, quae tardiori commotioni (ἀτρεμέειν) hic opponitur, ut Galenus *) bene animadvertit. Simili modo ὀξύθυμος et μανικὸς, τῷ

---

*) De dogm. Hippocr. et Platon. L. VI. Καλεῖται δ' ὑπὸ μὲν τῶν παλαιότατων ἰατρῶν καὶ φιλοσόφων, καὶ τουτὶ τὸ γένος τῶν ἀγγείων, ὡσαύτως θατέρῳ φλὲψ· ὑπὸ δὲ τῶν ἄλλων, ἀρτερία μὲν τὸ σφύζον, τὸ δὲ ἄσφυκτον φλέψ. — ὁτὰν ἡ κίνησις ἐκ γενετῆς ὑπάρχει ταχεῖά τε ἅμα καὶ μεγάλη, καὶ εὔτονος, ἰσχυρὰν μὲν ἐνδείκνυται τὴν ἐν τῇ καρδίᾳ θυμοειδῆ δύναμιν, ἀκμαῖον δὲ τὸ ζέον τὸ κατ' αὐτὴν θερμὸν, ὅπερ ὀνομάζειν μανιώδές τε καὶ ὀξύθυμον ἔθος. Sequitur locus noster ex Hippocrate exscriptus; addit deinceps: καὶ τὸ σφύζειν ὄνομα καὶ ὁ σφυγμὸς ἐπὶ τῆς σφοδρᾶς εἰς τοσοῦτον τῶν ἀρτηριῶν κινήσεως, ὡς καὶ πρὶν ἐπιλαβεῖν τὴν ἁφὴν, αἰσθητὴν εἶναι τῷ ἀνθρώπῳ τὴν κίνησιν, ὑπὸ τῶν παλαιῶν ἐλέγε-

τυφώδει contraria dicuntur, namque hoc a Galeno (l. c.) ἀόργητος explicatur, in libro autem: quod animi mores temper. corp. seq., ubi eundem locum aliis verbis circumscribit, interpretatur v. τυφώδης: νωθρὸς καὶ βαρὺς καὶ δυσκίνητος, cuius causa ἡ τῆς κράσεως ψυχρότης. Porro huc respicit Id. de dignosc. pulsib. L. IV. c. 2. μὴ μόνον, εἰ βούλει, χυμῶν ἰδέας διαγίνωσκε ταῖς τῶν σφυγμῶν διαφοραῖς. ἀλλὰ καὶ τὰ τῆς ψυχῆς ἤθη, καθάπερ Ἱπποκράτης ἐπιχείρει. Quem si interpretem sequi licet, τυφώδης hoc loco de affectione dictum est omnino quidem a corporis societate non plane remota, sed quae maxime circa animi temperiem conspicua sit; huius enim frigiditatem et segnitiem indicat, respondentem corporis indoli (ψυχρότητι τῆς κράσεως), excitatu difficilem, vel quae lenta sit, ut Foësius vertit, et ad indignationem sero lacessatur. Ita vero prorsus diversa haec indoles est ab iracunda dispositione, quae ex temperamento calido proficiscitur, cuiusque naturam statim ex ipso habitu corporis, eadem ratione, qua illius, cognoscere liceat. Sic quidem intellecta haec observatio transitum ad eas parare videtur, quae, circa finem eiusdem libri Epidem. collectae, propter notionem, quam de naturae indiciis reddunt, φυσιογνωμονικὰ inscribuntur. Attamen si quis ad corporis affectum in exponenda illa animadversione potius, quam ad animi indolem esse respiciendum existimaverit, atque, pulsus nota et furoris similitudine commotus, μανικὸν et ὀξύθυμον phreniticam significare voluerit diathesin, cui ut opposita habeatur conditio τυφώδης, equidem non ita dissentiam, namque in tanta concinnitate et breviloquentia, qua commentarii illi de popularibus morbis, sicut cetera, quae Hippocratis esse di-

---

το, — καὶ νῦν δ' οὐχ ἥκιστα φαίνεται διὰ τῆς πρὸς τὸ ἀτρεμέειν ἀντιθέσεως, καὶ τὸν τυφώδη δὲ δηλονότι τὸν ἐναντίον τῷ μανικῷ ἢ καὶ ὀξυθύμῳ, καὶ ἀόργητον. **Similiter in Comm. in Hippocr. Prognost. 1., 28.**

cuntur, conscripta sunt, praegnans verborum notio, qualis hic, vulgaris est, et quaerenti facile occurrit. Verum qualis aegritudo tali modo subintelligi possit phrenitidi contraria et verbo τυφώδης nuncupanda, ex iis, quae infra scripta sunt, sponte intelligetur.

---

§. 5.

Altero loco (Epid. L. IV., s. I., t. 2. ed. Chart.) legitur: *Τῷ δὲ στιγματίῃ παὸ Ἀντιφίλου καυστικῷ κριθέντιν ἑβδόμῃ, χολώδεϊ τυφώδει. τρίτῃ μετὰ κρίσιν, ἢ οὕτως, αἷμα ἔπτυσε, περιέγενετο καὶ ὑποστροφὴ ὕστερον ἐγένετο. ἐκρίθη, ὡς εἰκὸς, περὶ πληϊάδων δύσιν τὸ πρῶτον. μετὰ δὲ πληϊάδων δύσιν χολώδης εἰς μανίην κρίσις περιεγένετο περὶ ἐννάτην, ἄνευ ἱδρῶτος.* In qua brevi relatione insunt quaedam augmenta ad amplificandam et componendam notionem, qua τυφώδης dicatur in Epidemicis. Scilicet servus ille causo laborabat, febre continua, ardoris et sitis vehementia insigni, quae ex bile flava derivabatur, intensa, celeriter decurrens. Aegrotabat autem sub finem auctumni, circa quod tempus morbi biliosi, qui aestate potissimum grassantur, rarius quidem sed periculosius invadunt, ut pessimi et periculosissimi morbi tunc maxime temporis infestant. In Graecia autem auctumnalis temporis siccitas et frigiditas solemnis erat, itaque morbi biliosi, ut sunt febres ardentes, acerbius et periculosius tractabant laborantes, quoniam tunc vi frigoris externi calor intro coactus vehementior fieret et ardentior, nam humores etiam calidi, bilis flava et sanguis, tunc multo magis efferantur et immaniores morbos conciliant. (Mercurialis, Praelect. Pisan. p. 273.). Et hic quidem febris ardens debitam nacta est crisin die legitimo; ob magnitudinem vero fomes morbificus non omnis a naturae viribus (*ἐμφύτῳ θερμῷ*) subactus, sed non nihil crudum vel semicoctum relictum est, unde a crisi non sufficiente et in-

fida symptomata sat gravia subnascebantur; et malum recidivum factum est; quam consuetudinem morbi Hippocrates dissertis verbis commemorat in Epid. L. II., s. 1., t. 7. Sub hac rerum conditione τυφώδης etiam aeger evasit, i. e. ex fomite bilioso stupefactus; bilis enim flava continuo et intenso aestu quasi combusta et assata (ὑπεροπτηθεῖσα Galen. comm. in Hippocr. Prorrhet. I., 10 et 14.), ut rem sibi fingebant veteres, naturam humoris melancholici induit, ubi calor innatus sensim sensimque consumtus et exstinctus fuerat, calore febrili, quem praeter naturam vel putredo humorum vel causa aliqua externa, ut aestus, provocaverat, superante. Ceteroquin, ut humores singuli cardinales in morbis conciliandis eo potissimum anni tempore efficaces sunt, quod naturae ipsorum exquisite respondeat, itaque, ut bilis flava, cuius virtus est sicca et calida, dominatur per aestatem, cui eadem indoles est, sic atra bilis, quae natura sua frigida est et sicca, solennis causa morbifica habetur auctumno (Hipp. de natur. hom. p. 227. ed. Foës. 1624. et alib.), quippe cui eaedem notae competunt. Pessimorum autem signorum auctor perhibetur humor melancholicus; taciturnitas, torpor, floccorum et festucarum collectio, delirium studiosum vel mursitans et similia ei adscribuntur ab Hippocrate vel eius discipulis et Galeno *). Patet igitur ex his, stuporem servi illius fomiti melancholico fuisse tributum, eodem modo insaniam furiosam, quae ibidem commemoratur (μανία); nisi ex dictionis quadam negligentia μανία vim accepit verbi τυφώδης, namque et illa a frigido et sicco humore derivabatur ad cerebrum decumbente (cf. Hipp. et Gal. Prorrh. 1., 14.). Reliquias autem bilis flavae non degenerantes peculiaria sibi symptomata aluisse, subindicatur addito χολώδης. Quoniam denique affectus ex atra

*). Hipp. d. vict. in acut. IV. med.; Galen. in H. Epid. III., 3., 86. (hist. uxoris Dealcis) et alibi passim.

bile oriundi, ut omnes a frigidis humoribus conflati, serius ad crisin perducuntur, quam qui ex calidis, consentaneum est, iudicationem recidivo huic morbo, postquam τὸ ἔμφυτον θερμὸν (vis naturae medicatrix) iamiam magnopere attenuatum et debilitatum fuit, serius demum accessisse.

Discimus igitur, quantum ad rem nostram, ex hac observatione, statum, τυφώδη dictum, successisse tamquam secundariam affectionem febri ardenti praegressae et non sufficienter iudicatae; eundem facili ratiocinio mente antiquissimorum medicorum derivari posse ex humore melancholico cerebrum obsidente; cum delirio aliquo furioso coniunctum posse occurrere, vel utrumque symptoma sese invicem excipere; denique, quamvis per se naturam maligni affectus induat, quod ex adiunctis signis intelligitur, tamen non necessario esse lethalem. Crisin autem non legitimam, deficiente sudore, in biliosis morbis solemni, non retulerim inter notas affectionis dictae probabiles, quoniam in Hippocraticis libris saepissime commemorantur, quae non apparerent, adesse autem in simili casu solebant, et propterea exspectari poterant; hic enim re praeter consuetudinem eveniente morbi malignitas innuitur. Praeterea ad exemplum morbi speciatim id addendum est, hunc servum morbum peioris indolis propterea forsan feliciter superasse, singulari naturae beneficio, quod homines eiusmodi conditionis, laboribus et aerumnis assueti, gravissimis morbis saepe perfunguntur.

---

§. 6.

Non minus mutila et obscura, quam huius aegroti, historia sequentium est, qui τυφώδεις dicuntur, adeo, ut, nisi plane spuria et tamquam alieni auctoris observatio falso Hippocrati adscripta, certe ex iis sit, quae post

mortem ipsius inventa sunt in tabulis ad lectulos aegrotorum soli sibi, vel ad futuram elaborationem properanter notata, serius autem a discipulis collecta et rescripta, vel (teste Galeno) corrupta. Sic vero in Epidem. L. IV., 1. 9., haec inveniuntur: *Μετὰ πληϊάδων δύσιν ὁ θεράπων ὁ τοῦ Ἀττικοῦ ὑπὸ τεταρταίου ἁλισκόμενος, τυφώδης ἱδρύθη. ἕτερος τὴν αὐτὴν ὥρην ἀληθεῖ τυφωμανίῃ· ἐς ἰσχία καὶ σκέλεα ἦλθεν ὀδύνη. ἐπαύετο, ποσταῖος, οὐ γινώσκω.* Confirmantur servi Attici historia, quae de efficacia atrae bilis ad aegrotos *τυφώδεις* reddendos breviter modo animadvertebantur. Febris quartana enim, quam omnis aevi observatio auctumnali constitutioni privam reperit, quaeque ab atra bile, ut causa efficiente, veteribus derivabatur, procul dubio idem cum affectione typhode habuit momentum internum. Nam incipiente hieme, quo tempore servus ille decubuit, morborum indoles auctumni adhucdum redolet constitutionem. Foësius (ad h. l. p. 1123. ed. 1624) dubitat, utrum *τυφώδης ἱδρύθη* intelligendum sit, qui mutus aut stupidus consedit, quem admodum Galenus in Exegesi voc. Hippocr. *τυφώδης* interpretatur: *ἐνεὸς καθεζόμενος*, haud dubie hunc locum subintelligens, an v. *ἱδρύθη* mentis constantiam et tranquillitatem denotet velut iudicatione restitutam; an denique affectus stabilitatem et diuturnitatem describat, tamquam iudicatione fixam, quae postrema interpretandi ratio prae ceteris mihi quidem arridet, partim, quum nihil additum sit de exitu morbi, partim, quia morbi auctumnales, et qui atrae bili tribuebantur, insignes sunt diuturnitate et tarditate decursus, sicut etiam ipsa quartana a veteribus non minus quam recentioribus in pertinacium morborum censum est relata. Verisimile igitur est, illum hominem febre quartana maligna fuisse tentatum, in qua conspicuus existeret stupor et mentis defectus. Unde patet, etiam hujus morbi naturam phrenitico malo fuisse oppositam, utpote quod acuta febre et ferocibus deliriis, ubi purum et exquisitum esset, stiparetur.

Sub idem tempus pathema occurrebat nomine ut indole ex utraque, quam modo tetigimus, affectione compositum, in quo depressio quidem facultatum mentis ac sensuum erat, sed deliriis et vigiliis adiunctis, ita ut affecti inter vigilias et stuporem suspensi detinerentur, oculis conniventibus. Nomen aegritudini dabant, quae inter oppositas animi conditiones, stuporem et furorem, media interesset, τυφομανίας (τυφωνίας Gal. definit, medic., — Exeges. voc. Hipp.). Veram hanc auctor dicit forsan propter ambiguitatem affectus et diagnoseos difficultatem (Galen. de Comate, 3.; Foësius, ad h. l.). Certe confirmatur hac voce, maniam, furiosum affectum, a typhode iam tum distinctam fuisse, neque ideo promiscue utrumque scriptum fuisse, quem admodum ex servi Antiphili historia aliquis potuisset intelligere. Licet vero haec typhomania accuratius hoc loco non describatur, tamen ad genus affectionum cum aliqua molestia et inquietudine iunctarum pertinuisse, videtur indicare, quod additum est: ἐπαύετο. Metastasi enim facta eiusmodi, quam Graeci διαδοχὴν καθ' ἀπόθεσιν vocabant, et sic derivata materia morbifica, positus homo est et resipuit. Intelligimus inde, hanc aegritudinis speciem non plane ad morbos cum tarditate iunctos pertinere, sed naturae beneficio dimoveri aliorsum, sed num citius an serius hoc contingat, definiri non potest, secundum ea, quae adiiciuntur: quoto die, nescio. Quae vero ad accuratiorem huius etiam mali cognitionem ex scriptis veterum medicorum hauriendam pertineant, alio loco, quantum necessarium visum fuerit, adiiciemus *). Iam vero ad abruptam typhodis affectionis perscrutationem redeamus.

---

*) Ceteroquin cf. circa hanc observationem, Hipp. Epid. L. I., s. 2. t. 67. — Coac. Praenot. II. 2., 2., ed. Duret.

§. 7.

Unus tantum praeter commemoratos locos in iisdem libris Epidemicorum nobis repertus est (L. eod. t. 47.), quo mentio fiat dicti pathematis. *Ἡ Ἐνμύριος* (uxor) *τρόπῳ οὐ νοσώδης, ἐδόκει ἄνευ πυρετοῦ, τυφώδης ἐοῦσα. ἔπειτα ἐς τρόμον ἦλθε παντὸς τοῦ σώματος, καὶ τέγξιν, καὶ ἀποσιτίην, καὶ δίψαν, καὶ ψυχρὴ ἦν.* — Quibus ex relatis, quia femina disertis verbis narratur, nullis morbi cuiusdam praecedentibus signis *τυφώδης*, cui febris videretur abesse, collegerim, hunc stuporem plerumque febre stipatum invasisse. Hippocrates enim, cuius ex tabulis relictis Thessalus filius, teste Galeno, de diffic. respir. III. 1. et II. 8. haec in libri formam reposuit, non solum ea solebat literis mandare, quae observaret rariora et notatu digna; vel etiam, quae, ab idiotis neglecta, difficiliori et artificiosa cognoscerentur exploratione ideoque optimos saepe latere possent; multa autem silentio praeteribat, quae manifesta essent et omnibus medicis perspicua, tamquam rebus ipsis memoratis natura sua vel consuetudine adiuncta, sed saepe etiam, quae penitus non adessent, notabat non esse facta, scilicet ubi praeter consuetudinem et exspectationem deficerent. (Gal. Diffic. respirat. L. II. c. 7.) Incertus autem haesisse videtur, num plane abesset febris, an forsan exigua ipsum latuisset, haud multum conspicua: id intelligitur addito *ἐδόκει*. Sic etiam, dum negat, speciem non praeiisse morbi cuiusquam, nec febrem adfuisse comitem, secundariam innuit affectionem typhodem aliis symptomatibus inprimis febrilium morborum accedere consuevisse. Tremoris deinde mentionem facit, cuius causam in eiusmodi malis, teste Galeno, modo in fomite morboso ex capite ad medullam spinalem propagato, modo in nervis, siccante materia arefactis, invenire sibi videbantur. (Gal. comm. in Hipp. Prorrhet, 1., 9 et 14.). Sic etiam colliquationem (*τέγξιν*) per sudorem

factam ad typhodis affectionis naturam non pertinuisse, manifestum est, tum, quod dissertis verbis ejus mentio facta est ab auctore, brevitatis tantopere studioso, ut ne verbum quidem superfluum velit esse; tum, quoniam ipsa tunc demum adiuncta scribitur, ubi morbus naturam per *διαδοχὴν κατ' ἔκρουν* omnino commutaverat; quod propterea monemus, ne quis forte consensum huius pathematis agnoscat et febris illius, quam Galenus *τυφώδη* appellavit, adv. Lycum c. 2. (vid. infra §. 25.). Ciborum autem fastidium, quod a Galeno (com. in Hipp. Epid. L. III., s. 3., t. 58.) in febre maligna inter symptomata peioris notae repositum est, vel propterea refert, quod praeter consuetudinem multum et molestum esset, vel quia praeter expectationem appetitus ciborum non rediret. Itaque utilis ille sudor haberi nullo modo potuit, potius malignitatem morbi prodidit, qui enim criticus est, symptomata morbi concomitantia habet mitiora (Hipp. Progn. 1., 26.). Eadem de causa sitis mentionem iniecerit; frigiditas autem corporis, vel horror subinde intercedens, vel saltem cutis calor propter sudorem et malitiam morbi minutus esse videtur. De exitu mali nihil adiicit, quod non rarum in historiis aegrorum, in quibus, qualis futurus esset, coniectari licuit, vel in quibus forte non observavit.

---

§. 8.

Locis autem, de quibus hactenus disseruimus, omnibus lectionis exstat varietas, *τυφώδης* et *τυφλώδης*, et quaenam pro genuina sit accipienda in utramque partem disputarunt viri docti et recentioris et prioris aevi; sed si communes utrique voci tenuerimus origines, de quibus in fronte libelli verba aliquot fecimus, inveniemus, eandem esse utrique virtutem et in hisce locis usum, qua de causa omnis haec disceptatio, quasi de

lana caprina commota, nobis videtur supervacanea esse et reiicienda.

Quo modo igitur affecti fuerunt, si omnia haec intuemur, aegri in libris Epidemicorum τυφώδεις vocati?

Brevia et obscura omnino per se quidem sunt, quae in hunc finem ibi traduntur, pleraque insuper de singulari aliquo aegro nec generatim enuntiata; adminiculis igitur, ex origine vocis et lectione ceterorum librorum Hippocratis, Galeni etc. desumtis, augenda et illustranda erunt. Ex iis autem, quae hucusque contulimus, haec fere cum aliqua veri similitudine possunt edici: τυφώδεις dicuntur, quibus et mens et sensus stupefacti sunt, quibusque non solum functiones languent animales, sed, quamvis minus, et ex consensu potius, etiam vitales, pulsu lento, suppresso. Malum eis videtur affine, quae ex atra bile superante et cerebrum obsidente derivantur; aegrotos invadit secundaria ratione, dum morbum aliquem iam praesentem, febrilem plerumque, ut suspicari licet, accidendo auget (κατ' ἐπιγένεσιν), vel in ejus locum succedit (κατὰ μετάπτωσιν). Neque inflammationis neque colliquationis necessaria complicatio est, potest autem vel illa, vel haec per accidens adiungi vel subsequi (κατὰ διαδοχήν). Tardius modo decurrit, velut diuturnae aegritudines, quibus consociatur, modo celerius, sicut ubi acutis adiungitur. Grave quidem et atrox malum est, nec tamen spem salutis recuperandae adimit, malignorum igitur morborum est, quorum haec nota habetur, teste Galeno (comm. in Hipp. Prorrh. 1., 14.).

---

§. 9

Mediocrem solummodo fructum ex allatis animadversionibus redundare ad condendam de typhode pathemate doctrinam, hactenus fortasse satis demonstratum

est. Verumtamen libro, quamvis non minus spurio, de internis affectionibus, II, c. 42—46. quinque exhibentur species morbi, qui τύφος appellatur, earumque imago, alius accuratius, alius obscurius et negligentius depingitur; sua cuique insuper medendi ratio adiecta est. Sed ut comperiatur, quantum illa relatio ad finem nostrum assequendum conferat, necesse mihi videtur esse, ut singularum specierum adumbrationem, brevem quidem, sed fidam, huic orationi inseramus.

Itaque qui primo loco describitur τύφος, aestatis tempore invadit, sub ortum caniculae sideris, bile per corpus exagitata. Tunc quidem febres hominem vehementes repente corripiunt, ardor (καῦμα) intensus, gravitate coniuncta imbecillitas, impotentia femorum manuumque insignis. Alvus perturbatur, quaeque deiiciuntur, graveolentia sunt, et tormina accedunt atrocia. Aeger, si quis exigere eum tentet, rectus perstare nequit, neque oculis suspicere, prae ardore *); difficilis praeterea est et taciturnus ex molestia doloris. Morte autem instante, tum acutius cernit, tum audacter et erecto animo sermocinatur, cibumque et potum postulat; verum si quis dederit, aeger, nisi evomuerit, celeriter animam reddit. Iudicatur morbus die septimo, aut decimo quarto, multis autem protrahitur ad vigesimum quartum, quem si praeterierint, sani evadunt. Curatio instituitur frictionibus et victu tenuissimo; vinum, quippe cui Graeci assueti fuerant, si conferat, nigrum, austerum bibat, sin minus, album, aquosum, austerum. Ubi sitis ex ardore vehemens urgeat, potionibus largis vomitus iuvetur, isque iterandus. Si vero ardor continuus, lintea aqua frigida intincta loco maxime aestu-

*) Idem symptoma notavit Eurypion Cnidius in descriptione febris lividae, cum plerisque ceteris, quae hic referuntur, coniunctum (Galen. ad Hipp. Epid. 6, 1, 29.). Similiter auctor libri de morbis, in hist. febris eiusdem.

anti admoveantur, nisi horror adfuerit. Ex huiusmodi dolore periculum est, ne repente animam emittat, quam ob causam medicamina dolorem mitigantia cito adhibenda sunt, et eadem quidem, quae in pleuritide. Convalescens autem quam celerrime cibis, potibus et balneis reficiendus; morbus enim gravis est, paucique evadunt.

Hildenbrandus in hac morbi specie febrem, quam nos dicimus biliosam sinceram, arbitratur describi (Ueber den anſteckenden Typhus, p. 1.), alibi vero (ibid. p. 20.) typhum nostrum, quem ipse dicit contagiosum, in hac et in sequentibus duabus speciebus recognoscit, veruntamen, ut videtur, aliquantum dubitabundus; alii viro non minus in re medica praeclaro idem ita visum est, ut diligentem hanc dicat febris typhodis nostrae imaginem et cum frigidorum epithematum usu, qui in illa laudatur, frigidae perfusionem comparet, quam a Currio aliisque in hac commendatam habemus. Equidem haudquaquam id mihi arrogo, ut meum qualecunque iudicium talibus praeeuntibus viris adiiciam, quantum ad comparandam veterum cum hodierna de morbis doctrina, nec tamen reticebo, quid de loci ipsius dignitate mihi videatur. Liber de internis affectionibus secundus, (ut de priore taceamus, cuius praecepta et oratio aliquantum differunt ab indole illius) quoniam sententias et medendi methodos praedicat, quarum ob usum Hippocrates (initio libri de victu in acutis) medicos Cnidiae scholae addictos perstringit, nec non, quoniam incongrua adeoque absurda distinctione morborum species praeter naturam augere videtur, utpote qua de re Galenus eosdem vituperandos censuit, unanimi sententia eorum virorum, quos in hac re spectatissimos iudices veneramur *), Cnidia schola ori-

*) Grunerus, censura libror. Hippocrat. p. 152. ss. Idem, Bibliothek der alten Aerzte, Bd. 2. p. 202. Sprengel, Apolog des Hippokrates, Bd. 1, p. 96.

undus esse existimatur. Qui vero ex hac institutione profecti erant medici, in hoc maxime differebant a ceteris, quod cum laudabili quidem diligentia morbos describebant, verum neque animum attendebant ad diversam dignitatem eorum signorum, quae necessario ad morbi naturam (οὐσίαν) pertinerent, et eorum, quae fortuito ex singulari casus alicuius conditione adiuncta essent, neque ea dignoscebant, quae ex naturae viribus contra morbum renitentibus profecta essent (activa), ab iis, quae morbificae causae proxima suboles nascerentur (passiva); nec denique in universum operam dabant, ut fontem ipsum perscrutantes, rationem singulorum symptomatum redderent. In hac re discedebant ab iatrophilosophis, in illis a Cois, qui plurimum ponebant in discernendis criticis a symptomaticis phaenomenis, atque ita Semiotices conditores exstiterunt. Ratio igitur medendi Cnidiis prorsus ea erat, quam empiricam vocabant, et multum ex praeceptis et usu huius scholae tunc temporis poterat superstes esse in medicis variis, quod forsan mixtum esset cum iis, quae alii cuidam scholae priva fuissent. Id quidem hac prima, et magis etiam sequentibus typhi speciebus, sicuti ceteris morbis illo in libro descriptis confirmatum habemus; philosophorum enim commenta incultae Cnidiorum experientiae consociatam hic videmus. Specierum enim varietas praeter naturam ita aucta apparet, ut necessario confusio illarum nascatur et dissensio magna et contradictio; ac modo diverso nomine nuncupentur, quae affectiones eiusdem naturae essent, fortuito tantum accedentibus signis variantes, modo eodem titulo complures morbi ferantur haud mediocriter a se invicem abhorrentes; exempla in libris de intern. affect., et iis, qui de morbis inscripti sunt, multa inveniuntur; etiam Galenus importunam et absurdam varietatem passim notavit. Sic mihi quidem, quae supra depicta est, typhi imago, quaeque a ceteris speciebus, ita ut ipsae

a se invicem, magnopere discrepat, vix differre videtur ab eo morbo, quem causi sinceri nomine apud veteres vulgo descriptum legimus, a recentioribus non immerito cum febre nostra biliosa plerumque comparatum, quamvis existimaverim, ita omnes morbos appellatos fuisse acutos, in quibus, sine partis alicuius insigni affectione, febris symptomata, ardor, sitis et gravitas extremitatum, ex coenesthesi male habente, exsplendescerent. Nomina vero causi et typhi per confusionem permutari potuerunt ob similitudinem virtutis primitivae, quae ex radicibus singulis utriusque verbi prodierat, alterum a *καίειν*, alterum a *τύφειν*, quod utrumque urere significat, sed quanam accessoria virtute, id supra (§. 3.) expositum est. Signa autem mortem praeeuntia exitum causi testantur in syncopen, ex vitalis facultatis summo dispendio et incipiente exsolutione, qualem Aretaeus (d. caus. et sign. acut. L. II, c. 4.) uberius depingit, quam egregiam descriptionem, quae copiosior est, quam ut in hunc libellum exscribamus, contulisse, lectores nullo modo poenitebit.

---

§. 10.

Iam vero, ubi diutius hisce exponendis immorati sumus, ut simul, quae statim sequuntur, aliquid lucis inde capiant et ita quasi praeparentur, pergendum est ad alterius typhi historiam. Qui quidem morbus, quovis anni tempore metuendus, nascitur ex humiditate corporis, ubi carnes cibis humidis et potu largo absorptis flaccidae exstiterint. Per exordia autem febris tertiana vel quartana incidit, cum dolore vehemente capitis, interdum totius corporis intermittente. Salivam aeger evomit, crebro ructat, dolet circa oculos, et vultus exalbescit (*ἀφύει*). Intumescunt pedes tumore laxo (*οἴδημα*), interdum etiam totum corpus, et dolor ad pe-

ctus et dorsum quandoque decurrit, et alvus perturbatur. Oculis torvis prospectat, ex orbita prominentibus; sputa copiosa et spumosa exscreat, quae faucibus adhaerere videntur et stridulam reddunt vocem; saepe vero etiam fauces ipsae inflammantur. Ad quos labores necessitas interdum accedit erecto corpore spirandi, et frequenter haec patientes subito, intra septem aut quatuordecim dies animam emittunt. Multi vero ad vigesimum quartum diem detinentur; saepe quoque derepente morbus dimittit, et sani videntur. Verum diligenti observatione opus est, donec viginti quatuor dies praeterierint, quibus superatis vix moriuntur. Morbus per se quidem gravis est, et pauci evadunt; veruntamen medelam admittit, quae medicaminibus leniter incidentibus, adiunctis demulcentibus, instituitur, de qua vero speciatim praecepta in ipso libro legantur.

Ita depictus morbus Hildenbrando videtur febri nostrae nervosae pituitosae respondere, quamvis negandum non est, symptomata nervosae facultatis laesae non admodum esse conspicua; luculentius vero haec exsplendent in illis lethargi speciebus, quae in L. de morbis II. et III. describuntur. Uterque autem morbus, et typhus hic et lethargus ille, proxime mihi videtur accedere ad pneumoniam illam, quam nonnulli notham s. humidam vocaverunt, habitus vero corporis in hoc typho, leucophlegmatico similis esse. In eiusmodi enim morborum effigiebus, quales in LL. de morbis et de intern. affectionib. proponuntur, non solum pathognomonica (τεκμήρια) signa, et communia omnibus aut multis, videntur esse composita, sed etiam, quod supra observavimus de Cnidiorum consuetudine, quae forte coniuncta apud aliquem peculiariter observata fuerint.

Tertio loco quae enarratur typhi species, gignitur, quando bilis putrefacta cum sanguine per venas et articulos commixta est, sanguis vero coiit et in articulis praecipue consistit. Interdum etiam in totum corpus

decumbit, et dolores excitat acutos, qui triduum et quatriduum invadunt intermittentes. Plerique vero ex hoc morbo claudi evadunt, ubi bilis in articulis retenta in tophum obduruit. Curatio potissimum circa victum corrigendum et alvum leniter ducendam occupata est; tumor autem circa articulos fixus nec suppurans cucurbitulis depleatur, et acu triquetra compungantur genua tumefacta, nec tamen alii articuli. Sanus vero si quis evaserit, a frigore et aestu sibi caveat, neque cibis magnopere impleatur; periculum enim est, ne morbus revertatur. Sic igitur curatus morbus sex mensibus sanatur, hoc enim temporis spatio, num lethalis evadat, nec ne, decernitur. Quamvis vero statim curetur, molestus tamen est, et plerosque ad mortem usque comitatur.

Quam imaginem morbi intuentes, nulla difficultas est, quo minus Hildenbrando assentiamur, qui febrem arthriticam, illa depictam conspexerit.

Quartus typhus a saburris contrahitur ex abusu fructuum auctumnalium vel mellitorum ciborum comparatis. Quibus ardorem et fervorem excitantibus venter derepente attollitur, ardet et disrumpi videtur, statim vero alvi profluvium accedit, multosque dies continuatur, quo facto multi, quasi ita purgati, ad sanitatem redeunt. Cui vero ex fructuum immodico esu morbus accessit, ei flatus oboriuntur, tormina et dolores, neque saburrae decedunt, sed abdomen tumidum et durum est, horror autem et febris detinet. Hic quidem, ubi spontanea alvi deiectio oborta est, viginti dies, ut minimum, purgatur, exinde statim sanus evadit. Multis vero ex hoc morbo hydrops subnascitur. Curatione vero, qua pro re nata spontanea purgatio mediocriter iuvetur, rite instituta, morbus cito abstergitur. Hanc etiam speciem ad nostram de morbis doctrinam Hildenbrandus revocavit, eamque dysenteriam nostram ait exhibere.

Quinti denique typhi singularis profecto forma est, eamque secundum auctorem quam accuratissime red-

demus. Gignitur autem iste, quando humidum in corpore computruerit et ultra modum resiccatum fuerit. Habitus inde evadit perhumectus, subpallidus, pellucidus (διαφανὴς) et vesicae urinariae similis appareret, verum non intumescit, sed tenuis est, aridus et debilis. Praecipue vero in corpore circa claviculas attenuatur (λεπτύνεται), et facies ei summopere contabescit, oculi in cavitates multum se recipiunt. Quodsi ad haec etiam color corporis niger accedit, causa quaerenda est in atra bile, quae in venas et cutem decubuerit; et cum calor his supervenerit, venulas a calore exuri et exsiccari necesse est, itaque sanguinem per venas excedere. Porro magis magisque emaciatur, oculis fixis prospectat, muscas in stragulis venatur, cibis magis gravatur quam sanus, candelae exstinctae odore delectatur. Crebro in somnis, adeoque inter eundum saepe seminis profluvium patitur. Morbus viginti annis maiorem prehendit; ubi vero invaserit, neque principiis obstiteris, non dimittit, priusquam viginti anni praeterierint, verum tunc etiam, si cura adhibetur, fugari potest, per se autem gravis. Cura instituatur veratro nigro sursum, et scammonio deorsum ventrem purgando. Dein aeger bene nutriatur, et ita plerumque intra biennium restituitur.

Quantum ad hunc morbum, hoc in universum pronuntiatum largimur Hildenbrando, esse speciem febris hecticae, forsan lentae nervosae; verum obscurioribus multis symptomatis, quorum nullam hic rationem habuit, magna ille involvitur difficultate, ut iam Sinibaldus confiteretur, nullam lectionem Hippocratis tantum negotii seu potius confusionis sibi facessere, quam huius typhi, et in haec verba erumperet: *) „uti Typhon, „horrendum monstrum, Iovem ipsum in conflictu ob„scura in antra detulit, ibique praecipuos manuum ac

*) Geneanthropeia L. V, tr., 2, c. 8.

„ac pedum obtruncavit nervos; ita prorsus hic typhos „in obscurum detrudit mentes, omnesque intelligentiae „exhaurit nervos. Quid est illud, virum hoc affectu de- „tentum esse limpidum ac pellucidum et vesicae urina- „riae similem; iterum, colorem corporis esse nigrum? „cur lucernae exstinctae odore delectatur? — Et in tanto „squalore, tam rebelli ariditate quo consilio veratrum ni- „grum et scammonium exhibentur, magis exhaurientia? „Sane circa eiusmodi aegritudinem intellectus cespitat!" etc. Ceteroquin non multum dissidere eidem auctori hic typhus videtur a tabe dorsali in Libr. de Morbis II. descripta, quacum et symptomatum et curationis simili- tudine omnino aliquantum convenit, verum certi quid- quam minime audet de hac re statuere. A qua fiducia equidem tanto magis sum alienus; verum si retinere li- cet, quae supra de indole libri de affect. intern. animadversa sunt, et ratum habere, singula phaenomena hic collecta in singulis tantum aegrotis comparuisse, at- que ita nullo modo pathognomonica solum, sed fortuita etiam in imaginem confusam esse comprehensa, super- vacaneum esse videbitur, tempus consumi in extricanda hacce nodosa complicatione, in qua haud dubie omissa sunt aliquot signa, quibus dicta phaenomena illustrentur. Singulorum autem symptomatum rationem et causam ex- ponere, res longioris sermonis atque a proposito nostro nimis aliena et insuper exiguae utilitatis foret.

---

§. 11.

Itaque si comprehenduntur, quae de quinque his speciebus sigillatim relata sunt, quaestio exoritur, an do- ctrina de typho veterum multum lucis et adiumenti inde accipiat, et prae ceteris, quaenam notae communes omnibus inveniantur, unde notio universa comparari et generis indoles cognosci possit. Atque ut incipiamus a

causis, quippe quas potissimum in humorum cardinalium perversa ratione quaerendas putabant, primo intuitu egregia diversitas manifesta est; alius enim typhus derivatur a bile turbata, cui siccitas et calor priva sunt, alius autem ab humiditate nimia; alius causa interna ex inquilinis humoribus, alius a crudis materiis extrinsecus illatis; in alio bilis flava, in alio bilis atra in partem aliquam decumbit. Quod ad rationem frequentiae pertinet, hic aestatis tempore grassatur, ille auctumni, ille nulli tempori adstrictus est; alius popularis, alius sporadicus esse videtur. Symptomata et decursum si intuemur, ne febrem quidem in omnibus videmus commemorari, vel illa abesse etiam potest, ut in quarto typho. Ipsa vero ubi morbum comitatur, modo vehemens est, et acuta, et continua, modo intermittens, modo mitis, vel iam decurrenti morbo accessoria, vel ab initio invadens. Affectio modo hanc, modo illam partem tamquam sedem sibi eligit, modo unam, modo plures prehendit, modo nobiliores, modo ignobiliores; in hac corpus ab humore intumescit, in illa exsiccatur et contabescit; systema corporis modo hoc, modo illud in diversis speciebus radicem mali emittit. Hic typhus die septimo iudicatur, ille complures menses, tertius annos detinet; in hoc pauci evadunt, iique attenuati multum in primo, secundo; ex quarto vero multi et celeriter ad sanitatem revertuntur. Sic nihil stabile est per genus, nihil commune; omnia variant, ipsa denique curatio, in qua purgantia tantum fere communia sunt, non autem secundum similitudinem aliquam laesionis, sed ex methodo curandi veteribus familiari, quia in omnibus morbis humor peccaret expellendus. Ac deinde, si nominis ratio habenda est, et eius propria virtus respicienda, equidem non intelligo, quomodo morbi illi sic maxime sint appellati, nam neque ardor internus, neque stupor sensuum, neque languor et obnubilatio mentis in omnibus est conspicua, adeo ut auctor, si modo unus est, nec pri-

stinum nomen morbi serius conversum, a vulgari usu loquendi plane videatur recessisse.

Quare, quum huius typhi species tantopere discedant a natura typhodis pathematis, de quo ex Epidemicorum libris relatum est, — quum ipsae in tanta signorum confusione et contradictione generis notionem admodum difficilem et obscuram exhibeant, atque certe a virtute propria typhi alienam, mirum nemini videbitur, eas a plerisque, qui de typhi originibus praeceperunt, esse posthabitas, tamquam laborem ingratum facessentes et inutilem ad illustrandam rem. Neque quisquam praeterea mihi innotuit, cui contigerit, probabili expositione characterem generis ex iis enucleare, qui simul a communi usu verbi *τύφος* non ita multum discreparet; nec ipse ullo modo me sufficere sentio, qui hanc difficultatem e medio tollam; quam ob rem doctioribus viris, si re vera nondum soluta est, summovendam facile relinquo. Interim mox ad hos typhos redibimus, ubi Erotiani de febre typhode sententia cum ipsis erit conferenda.

---

§. 12.

Ait enim Erotianus (exegesis voc. Hippocrat.): *τυφώδεις λέγονται πυρετοὶ, οἱ μετὰ νωθρείας γινόμενοι καὶ μετ' ἐπιτάσεως ἐξιστάμενοι.* Primo loco itaque febris hic commemoratur tamquam necessaria ad naturam morbi, cuius neque deinceps aliter, nisi tamquam febrium speciei mentio fit ab auctoribus. Sed priusquam de sententia et virtute loci quaeramus, et perscrutemur, quomodo haec cum ceteris conveniat, quae de eadem re ex antiquitate ad nos pervenerint, videndum est, quomodo verba ipsa intelligenda sint. Quae quidem Charterius ita reddidit (Edit. Hipp. et Galen): Quae cum torpore fiunt, et quibus laborantes cum vehe-

mentia alienantur*). Similiter Hebenstreitius (Exeges. nomin. Graec. quae morb. defin. p. 481.): Typhodes, dic. febres, quae cum stupore fiunt et intensam cum furore habent mentis alienationem. Sed ut taceamus de stupore vel torpore, tali modo delirio furioso consociatis, quod connubium difficulter mente concipitur, ne dicam in se ipso habet contradictionem, nisi statuamus, utrumque symptoma sese invicem excipere; *πυρετὸς ἐξιστάμενος* aliter accipi debet, quam aeger *ἐξιστάμενος*. Omnino quidem bene scio eorum librorum, qui Hippocratis esse feruntur, multis in orationibus alienam dictionem, ut auctor interdum de affectibus eodem modo loquatur, quo de hominibus affectis et utrosque confundat et promiscue habeat, quam consuetudinem praecipue in Prorrheticis vulgarem esse iam Galenus animadvertit in commentariis eorum (L. I. 35.); verum, qui multo post Hippocraticos scripsit, Erotianus non mihi videtur illius moris particeps fuisse, neque etiam ipsa haec verba ex Hippocratis libris forte exscripsisse; nam in iis, quae supersunt illius, haec non inveniuntur, neque omnino indolem Hippocraticae orationis prae se ferunt. Ipsa autem ita composita sunt, ut talem explicandi viam renuant, *Ἐξίστασθαι* enim tamquam delirare manifestum est non posse nisi de hominibus dici, qui a statu mentis deiiciantur, qui sibi mente non constent, ceteroquin, et proprie, signif. desciscere a natura, mutari, degenerare. Sic Theophrast. de caus. plant. L. VI.: *δαφνὴν μεταφυτευομένην καὶ μυρρίνην — ἐπὶ πολὺ ἐξίστασθαι, καὶ οὐδὲ τὸ χρῶμα διασώζειν;*

---

*) Eadem verba Franzius recepit in editionem suam Erotiani p. 356., admisso autem, ut verisimile est, typothetae errore: quae cum tempore fiunt, etc.; quod propterea animadverto, quod Hildenbrandus ea videtur secutus esse, dum (I. c. ed. II. p. 2.) Erotianum exposuisse ait: Fieber, welche allmählig entſtehen, etc.

— idem alibi: ἐξίστασθαι τοῦ γένους, — apud Aristot. ἐξιστάμενα τεκνὰ, liberi degenerantes. — Τῇ νωθρείᾳ autem h. l. opponi mihi videtur ἐπίτασις, eademque ratione ἐξιστάμενοι respondere voci γινόμενοι, ut decursus respondet initio. Ita quidem sic fere putaverim haec verba esse accipienda: febres, quae cum pigritia nascuntur et cum intentione degenerant; quales intelligo: quibus stadia decurrentibus symptomata accedunt, quae ab initio non adfuerint atque a natura morbi incipientis aliena appareant. Quae nota, quum generatim enuntiata sit, complures potest morborum species significare, genere hic comprehensas, quarum indoles deinceps sigillatim definienda foret. Sed nos potissimum, cuius rationis genus illud febrium sit, eruere conabimur, ac verbis sua ita vindicata virtute ad rem ipsam accedimus. Hic autem statim difficultate offendimur in v. νωθρείας: num illa pigrities denotet symptoma singulare, itaque ad hominem patientem referenda sit, an complexum et indolem phaenomenorum, et sic ad decursum vel effigiem morbi respiciatur; vel, ut clarius mentem nostram aperiamus, utrum febres intelligantur, quae cum sensu egregiae lassitudinis et magna virium dedolatione incipiant, an quae tardae sint indolis, cum nota torporis et hebetudinis, non solum in musculorum et nervorum virtute, sed in omnibus etiam partium muneribus morbo vitiatis. Illae quidem apud Galenum et in Coacis praenotionibus et prorrheticis saepius occurrunt, κοπώδεις πυρετοὶ dictae. Disputatur autem de iis ap. Galen. de sanit. tuenda L. IV. c. 4—6. de caus. sympt. L. II., c. 5. — Hipp. Aphor. L. II. a. 5. L. IV. a. 31. et Gal. comm. — ap. eund. Epidem. L. II. s. 3. t. 7. — Coac. Praen. I. 36. et II. 2. 5. — de victus ratione L. II. fin. — Prorrh. I. 76. et 91. et comm. Gal. et alibi passim.

Huius febrium peculiaris symptomatis haec secundum Galenum reddi potest descriptio: Incipientibus mor-

bis, priusquam febris accedit, plerique sentiunt per totum corpus insolitam quandam affectionem (*ἀνωμάλίαν*), quam vero, qualis sit, verbis explicare nequeunt, quasi sensum dispersae per corpus rei cuiusdam a natura nostra alienae, quod aliquando subcalidum, aliquando mordax citra calorem, aliquando utroque modo afficiens, aut sine his leviter carnes omnes distendens. Pandiculantur, qui sic affecti sunt, et omnes partes distendunt, naturae quodam stimulo admoniti; maxime post somnos, quum in carnibus flatuosum excrementum sentiunt. Sensus ille molestus vocatur *κόπος*, si post immoderatos labores, isque *αὐτόματος*, ubi sine exercitatione spontanea lassitudo exstitit ex crudorum et crassorum humorum copia, quae in musculorum compagem decumbens laxitatem et gravitatis sensum facessat. Cuius affectionis aliqua varietas iam ante Galenum videtur distincta fuisse, legitur enim in Aph. L. II. a. 5.: *κόποι αὐτόματοι φράζουσι νούσους*, ac describuntur a Galeno (Com. ad H. Aph. l. c. et de sympt. caus. L. II. c. 5.) prouti vel tendi undequaque corporis molem, vel tamquam multis ulceribus, quoties moventur, conspergi et pungi spinis, vel artus omnes fractos et contusos esse laborantes putent, et vocantur: lassitudo spontanea tensiva, *κόπος αὐτόματος τονώδης*), quae a plenitudine maxime fiat, qua partes continentes distendantur; ulcerosa (*ἑλκώδης αἴσθησις* s. *διάθεσις*), quae motis magis quam quiescentibus membris urgens mordacis humoris symptoma perhibebatur; denique ossifraga (*κόπος ὀστόκοπος* s. *φλεγμονώδης* Gal. ad Aphor. 2 5.), quae ne minimum quidem motum sustinet, cum tensionis simul, caloris et morsus sensu, atque ex plenitudine humorum existat cum corruptione coniuncta. Desinunt autem omnes hae dispositiones (*διαθέσεις*), ubi ad certum quendam gradum pervenerint, in rigorem, a quo febris, eaque putrida, initium habet. Rigores scilicet existimabantur excretricis facultatis motus violenti, sicut pandiculatioet oscitatio eiusdem facultatis moderatae intentiones. (Galen. d.

caus. sympt. L. II. c. 6.). Sed non solum in signis morbum praecedentibus habebatur lassitudo ex humoribus retentis, sed in ipsis febribus, iisque potissimum malignis inter graviora symptomata animadvertebatur. (Prorrhet. L. I, 76. 91. — Aphor. IV, 31. — Coac. Praen. I. 36. — Epidem II. 3. 7.); et ubi prae ceteris signis et diu conspicua erat, febres κοπώδεις dicebantur, quae H. Prorrh. I. 76. inter malignas referuntur, haud aliter atque ex recentioribus nonnulli egregiam prostrationem virium circa initium morbi inter praecipuas notas perniciosarum (nervosarum) febrium recensebant.

Et haec quidem in lassitudine humorum crudorum intemperies (ἀνωμαλία, ἀνισότης) febrili calore ad caput ferri poterat, tali cum impetu, ut instrumentum sentiendi commune occuparet, et faciei rubor, oculorum dolores, capitis gravitas, paraplegia, vocis interceptio, surditas, oculorum distorsio et stupor vel carus inde conciliaretur (Hippocr. et Gal. Epidem. L. II. s. 3. t. 7., iid. Prorrhet. I, 91. 96. 97.); qui affectus deinceps in abscessus circa maxillas et articulos saepe desinerent (Hipp. Aph. III, 31.), quum facultatis vitalis (ἐμφύτου θερμοῦ) beneficio depulsam copiam humorum glandulae circa maxillas dispositae exceperint (Gal. comm. in Epid. et Aphor. l. c.). Ex quibus sponte intelligitur, qualis affinitas inter utrumque affectum, et κοπώδη et τυφώδη, intercedat; νωθρεία quidem utrique communis; sed ubi in eodem aegro concurrunt, lassitudo praecedit, et stupor secundario loco insequitur; κοπώδης denique de musculis excrementorum copia ita affectis dicitur, ut artubus gravatis motiones aegre et cum sensu ingrato perficiantur, ceteris partibus a pathemate immunibus; τυφώδης autem cerebrum ipsum laesum esse subindicat, humoribus decumbentibus vel vaporibus congestis, unde sensus et motus deficiant, nec non reliquae functiones, praecipue vitales, in societatem mali attrahantur.

Verum alia etiam vis verbo *νωθρεία* potest inesse, ut antea animadvertimus, torporem scilicet universalem et segnitiem in muneribus obeundis significandi, quae difficilem habeat excitationem, et energia voluntatis destituta sit. Suidas enim *νωθρούς*: in rebus gerendis minus alacres vocat, quibus stimulus sit adiiciendus; Zenodotus eosdem interpretatur: *ληθαργούς*, oppositos *ὀξυθύμοις*, qui concitato et feroci sunt animo. Nec solum lenti ad sentiendum et agendum sic dicuntur, verum etiam stupidi, qui affectus in Prorrheticis passim *κάτοχοι* vocantur. *Νωθρότης* autem in eodem libro et in Coacis Praenot. et alibi saepe animalium functionum et potissimum sensuum symptoma est oppressione affectorum. Mentis etiam in hac laesas esse facultates, docet Hippocrates in Prorrhet. I. 34. *αἱ ἐκ ῥίγεος νωθρότητες οὐ πάνυ παρ' ἐωϋτεοῖσιν.* Et sicut, qui *κοπώδης* vocatur affectus, ex promiscua congerie crudorum et mordacium humorum derivabatur, sic torporis (*νωθρότητος*) causa speciatim in frigida vel humida indole materiae, vel quae frigida simul et humida esset, quaerebatur. Et quia pituitae illae notae conveniebant prae ceteris humoribus cardinalibus, haec maxime cerebrum aggravans in causa ponebatur illius et cognatorum affectuum. Sic ap. Gal. d. Loc. laffect. L. III. c. 6. legitur: *τὰ φλεγματικὰ καὶ ψυχρὰ (ἐργαζόμενα) νωθρότητάς τε καὶ καταφοράς.* (Cf. Gal. d. caus. sympt. L. III. c. 10. — Comm. in Prorrhet. L. I. 13.) Nec minus hoc symptoma in malis habebatur, quam, de qua supra dicebatur, lassitudo. (Hipp. Coac. Praen. I. 91. — Prorrhet. I. 13.), sic *νωθρὴ καταφορὴ* phreniticis in constitutione pestilenti exitium attulit (H. Epid. III, 3.).

---

§. 13.

Quibus praemissis decernendum est, utram ex his affectionibus Erotianus subintellexerit febrium typho-

dum primordia constituentem. Etenim ipsos veteres medicos interdum ancipites haesisse, quomodo νωθρότης in Hippocratis libris accipienda sit, Galenus auctor est, (Comm. in H. Prorrhet. 1, 70.), cui νωθρότης, quae ibi ab Hippocrate commemoratur, torporem videatur denotare ex cerebri vel frigore, vel humiditate, vel utroque coniuncto profectum. Addit vero, nonnullos illo loco νωθρότητα interpretatos esse: corporis movendi difficultatem (δυσκινεσίαν), neque hanc explicandi rationem utique audet refutare, in obscuris enim et luce carentibus dictionibus cuipiam, uti lubeat, intelligere esse concedendum. In eo autem, quem nos interpretamur, loco Erotianus νωθρείαν propterea non videtur dixisse lassitudinis affectum, quia huic, quae sequitur ἐπίτασις non adeo aliena et contraria est, ut mutatio in eam degeneratio dici possit. Namque κοπώδης αἴσθησις initium saepe intensissimarum febrium constituit, iisque acutioribus adeo familiaris est, quia magna copia excrementorum retentarum virium naturae magnam intentionem expostulet ad causam propellendam. Alteram itaque amplectamur νωθρείας virtutem, quae omnino potior et usitatior est, hanc enim torporis speciem saepius in contentionem virium vitalium, eamque conditionem oppositam transire, observationes veterum abunde confirmant. Est autem haec ἐπίτασις nihil aliud, nisi acutior forma febrium; functionibus enim vitalibus phaenomena febris potissimum edi dicebantur, atque exacerbatio febrilis solet isto nomine apud Graecos nuncupari. Quum vero illa pigritiae in intentionem permutatio, quae maxime ad febris indolem, ut communis nota, respicit, compluribus morbis diversas partes infestantibus et diversas causas agnoscentibus contingere posset, consentaneum est, non unam sic dici potuisse febrem, sed plures τυφώθεις, pro varietate partium et systematum laborantium etc. Quo referendam esse puto observationem Hippocratis, Prorrhet. 1, 70. ὀδύνη ἐς στῆθος ἱδρυνθεῖσα σὺν νω-

θρύτητι, κακὸν, ἐπιπυρεττήναντες οὗτοι καυστικοὶ, ὀξέως ἀποθνήσκουσιν; in qua exemplum edi mihi videtur febris cum nota tarditatis et segnitiei, quae decurrens in intensam et acutam speciem transmutata est (ἐξισταμένη). Virium fortior contentio et symptomatum exacerbatio provocatur, unde morbi causa et fomes vel expellitur, vel ex immoderato nisu facultas vitalis irrito conamine eo citius exhauritur. Similiter degenerasse videntur febres semitertianae, quae ap. Hipp., Epid. L. I. s. 2. t. 25. describuntur. Omnium ibi dicuntur febrium violentissimae, longissimae et maximis stipatae laboribus. Leniter quidem incipiebant, in totum vero perpetuo increscentes diebus iudicatoriis vehementius exacerbabantur; in deterius procedebant, parum solum modo remittentes, ex remissione vero quam primum rursus atrocius instabant; quae signa malignis febribus omnino convenire, Galenus addit in comment. ad l. c. Tales autem morbos, qui procedente tempore increscunt, et deteriores semper fiunt, nisi prius solvantur, Hippocrates vocat ἐπαυξεῖς, et ita videntur ii ad febres Erotiani typhodes accedere. (Gal. in Epid. L. VI. 5, 26.) Verum prae ceteris ad harum febrium definitionem adaptari posse mihi videtur exemplum morbi, qui a Galeno et ceteris post Hippocratem auctoribus Lethargus vocatur, nimirum ubi in phrenitidem is degenerat, cui secundum speciem (κατ' ἰδέαν), ut aiunt, et materiam plane oppositus est. (Paul. Aegin. L. III. 9. Gal. Meth. med. L. XIII. c. 21. etc.). Is enim Lethargus, quem vidimus a Zenodoto substitutum τῷ νωθρῷ (sicuti νωθρὸν a Galeno τῷ τυφώδει), exquisitam imaginem eius torporis (νωθρείας) praebet et animalium et vitalium facultatum, qualem modo descripsimus, adeo ut multis locis, praesertim in Hippocratis libris, νωθρότης et pigrae affectiones eum videantur subindicare. De cuius natura, quid veteribus visum sit, et quae omnino ad notitiam paulo accuratiorem pertineant, aptiore loco, quae necessaria fuerint,

suppeditabimus. Hac autem occasione illud monuisse sufficiat, hanc aegritudinem interdum in malum oppositae naturae (*κατὰ διαδοχὴν*) pertransire, i. e. in phrenitidem, ex qua et ipsa saepius vice versa existit. (Gal. ad Epid. VI, 6, 8.) Cuiusmodi conversiones febrium in oppositas formas degenerantium Hippocrates intelligere videtur in Epidem. L. II. s. 1. t. 7. *). Et haec quidem sufficiant ad mentem Erotiani, qualis mihi certe visa sit, interpretandam.

---

§. 14.

Sequitur, ut percunctemur, an haec morbi definitio cum iis vere congruat, quae apud Hippocratem circa hanc rem observata reperimus. Itaque si comparaverimus locos ex Epidemicorum libris excerptos, statim in oculos incurrit, affectus illorum aegrotorum non febris typhodis nomine ibi insigniri, nec singularem quidem eandem febrem dici, multo minus, quemadmodum ab Erotiano *τυφώδεις*, complures referri. *Τυφώδης* enim illic nihil nisi symptoma significat febrilibus vel febre carentibus morbis casu adiunctum, nullaque species, nedum genus, quod innuit Erotianus, ita dici videtur. Et quamvis *νωθρεία* huic affectui omnino conveniat, praesertim qualis Epid. L. II. s. 5. commemoratur, haudquaquam elucet, quo pacto ille dicatur in oppositum statum degenerare. In historia servi Antiphili, Epid. L. IV. statim ab initio adfuit causus, febris intentione (*ἐπιτάσει*) vi-

---

*) *Ὅσα κρίσιμα σημεῖα γινόμενα, τὰ αὐτὰ ταῦτα μὴ γινόμενα δύσκριτα, τὰ ἐναντία δὲ σημαίνοντα, κακὸν, οὐ μόνον ἦν παλινδρομέῃ, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀρχαίης φύσιος τὰ ἐναντία ῥέποντα, ὥσπερ καὶ τῶν κακῶν σημείων ἐπὶ τοὐναντία ῥέποντα;* locus ad doctrinam veterum de crisibus morborum perscrutandam classicus, quem Galenus in libris de crisibus fusius explicavit.

rium vitalium insignis, non languorem prae se ferens, illaque desiit potius et remisit, quam intensa est, in stuporem, ut affectionem deuteropathicam, nec deinceps morbus naturam egregie mutavit, qui ἐξιστάμενος dici posset. Sic cetera etiam eiusdem pathematis exempla non magis in Erotiani notionem quadrant. Nam et in servo Attici, ut Antiphili dicto, typhodes malum accessit secundarium, Erotiani autem νωθρεία, etiamsi eundem affectum significaret, manifesto erat primarium. In uxore Enmyris denique negantur comitantia symptomata morbi et febris ipsa, et quae sequebantur phaenomena, intentionem minime significant. Num vero forsitan ante oculos Erotiano versabatur illius typhi genus, cuius quinque species ex libro de intern. affectionib. supra descripsimus? Equidem ne ex his quidem communes notas ab illo propositas potui colligere, neque febres vocantur affectiones illae, nec in omnibus febris legitur re vera adfuisse. Et profecto non intelligo, quo iure vir quidam doctus (Allgem. Lit. Zeit. 1810. n. 132. p. 106.) contenderit, illas quinque species, quantumvis ceteroquin inter se discrepent, in hoc omnino convenire, quod cum torpore incipiant, et cum intentione degenerent. Nam, qui primo loco fertur typhus, cum gravitate quidem imbecillitatem et impotentiam manuum et femorum (ἀπὸ βάρεος ἀσθενείην, καὶ ἀκρησίην τῶν σκελέων etc.) secum ducit. Sed haec symptomata conveniunt cum lassitudine spontanea, quae supra memorata est, ex retentis excrementitiis oriunda humoribus (qui hoc in morbo biliosae naturae sunt, febrium acutiorum auctores), et differunt ab ea conditione, quae νωθρεία apud Erotianum vocatur, nam simul ab initio vehemens adfuit febris et gravis ardor, quae non nisi ad intentionem (ἐπίτασιν), nullo modo ad pigritiam pertinere possunt. Deinde typhus ille speciem omnino quidem immutat, sed non εἰς ἐπίτασιν, quippe quae iam ab initio egregia erat, potius in exsolutionem virium vitalium, a morte insequente exi-

guo intervallo distantem. Secunda vero species typhi, characterem laxitatis omnino iam ab initio prae se fert, nec tamen altero quodam stadio qualicunque modo intenditur, sed, quod antea universi corporis malum erat, ad pulmones magna cum atrocitate contrahitur, et spiritum cito intercipiens, ad mortem rapit. De ceteris sigillatim disputari minime opus est; in quibus neque νωθρεία neque ἔκστασις in contrariam speciem conspicitur, nisi sensum quendam extorquendo, vim verbis interpretando inferre velimus.

At vero si vulgari modo Erotiani verba reddere praeferamus, febres, quae cum stupore fiunt (v. §. 12.) et intensam habent mentis alienationem, quam interpretationem supra vituperavimus; per se patet, uti locos ex Epidemicis depromtos, ita et hosce typhos haudquaquam tali definitione circumscribi.

Sed si Erotianus tamquam interpres vocis tantopere ab usu Hippocratis recessit, unde tandem hanc typhodis febris notionem acquisivit, siquidem genuina verba illius sunt, qualia nunc exstant? De hac re non audeo sententiam ferre; sive enim ex scriptis deperditis composuerit, sive loci illi apud Hippocratem collecti mutili sint et vitiosi, quippe quum sagacitas virorum antiquitatis Graecae peritorum illos nondum videatur satis perlustrasse et ad verae similem lectionem restituisse, sive nomen solummodo ex Hippocratis libris, expositio vero aliunde depromta sit, sive alia quacunque causa ad hanc incongruam interpretationem auctor adductus sit, in medio rem relinquamus. Vixit enim Erotianus complurium seculorum intervallo ab Hippocrate distans; interea autem notio illius morbi mutationem aliquam et declinationem admisisse potuerat, eius modi, ut degenerationis nota stuporis affectui, qualis simplex antea morbi imago fuerat, sit adiecta. Docetur autem expositione vocum Hippocratis, quam complures, necessitate haud dubie adducti, susceperunt, quocunque ce-

teroquin cum successu instituerint, illum iam tum non ab omnibus rite esse intellectum.

---

§. 15.

Exinde ad Galenum usque; quotquot exstiterunt medici et scriptis relictis memoriam suam ad nostra tempora produxerunt, nullus mentionem iniicit typhi vel typhodis alicuius morbi. Hunc autem Galenum, qui tot libros medicorum perlegerat, cui tam larga observationis copia, tam assidua de rebus medicis meditatio erat, qui tanta operum varietate et amplitudine omnia fere complexus est, quae medicorum scientia tunc aetatis continebantur, et plurima illustravit et additamentis ornavit; non facile poterat vel immemorem elabi vel inscium fugere, quod notatu vel expositione quodammodo dignum fuisset. Et profecto ex ipso plurimam, quae circa rem nostram versatur, haurimus cognitionem. Apud eum vero disiungenda est, quae affectio τυφώδης passim vocatur, a febribus, quas τυφώδεις nuncupavit, nisi, quae sibi incongrua nobis videantur, volumus indiscriminatim commiscere. Qua de causa, quae Galeno debeamus, bipartito sermone enarrabimus.

Veruntamen, quae de pathemate typhode memoriae ille prodidit, ex parte iamiam supra aliquando quasi praerepta legebantur; loci certe, sunt autem nonnisi pauci, exscripti ibidem sunt, quibus commemoratum illud inveniatur. Illic vero vox τυφώδης solummodo ad mentem Hippocratis exponitur, neque ita proprie ad Galeni sententiam illi referendi sunt, qui ipse eiusdem usus, cuius ille, particeps non fuit, imo privam sibi, eamque nonnihil ab illa diversam virtutem huic verbo febrem designanti adiecit, illius autem usum quasi obsoletum et insolitum interpretationis iamiam dignum iudicavit. Itaque, ut re-

petamus, quae supra (§. 4.) notata sunt, Galenus τυφώδη, quomodo Hippocrates dicit, idem ait significare, quod ἀόργητον, alibi, quod νωθρὸν, βαρὺν, δυσκίνητον, alio denique loco (Exeges. voc. Hipp.), quod ἐνεὸς καθεζόμενος, ubi historia servi Attici (Epid. 4, 9.) ante oculos ei videtur versari, in qua legitur: τυφώδης ἱδρύθη.

Sed his quum adiiciendum nihil habeamus, non amplius insistamus, nisi aliud quidquam ab eodem Galeno possit exspectari. Scilicet haec quaestio movetur, an in iis, quas Galenus aegritudines descripsit, quarumque, quamvis multae quidem et variae sunt, nulla nomen typhodis gerit, inveniatur, cuius effigies cum notis illius pathematis forte conveniat, quod in Epidemicorum libris τυφῶδες vocatur, et inde clarius forsan hoc ipsum illustrari possit?

Quodsi singula illius momenta spectamus, difficilem excitationem, profectam ex frigida temperie causae internae (ἐκ ψυχρότητος τῆς κράσεως) hebetudinem, motionem attenuatam, corpus ponderosum, stuporem cum taciturnitate, pulsum debilem, tardum, languidum, accessionem modo protopathicam, modo secundariam etc., notas soporosis pathematibus communes animadvertimus, et potissimum comatis somnolenti, lethargi (Gal. meth. med. L. XIII. c. 21. Id. differ. sympt. c. 3. — de Comate c. 2,) et cari effigiem in hisce licet agnoscere, quae affectiones communi cognomine cataphoricarum vocantur apud. Gal., Meth. med. l. c. et de simpl. fac. med. L. XI. c. 15. (de Castoreo). Quarum omnium, siquidem sincerae et exquisitae (ἀκριβεῖς) comparebant, causae Galeno in humore frigido ponebantur, crasso, tenaci, i. e. pituita, modo copia cerebrum obruente et irrigante, ut in comate, modo frigore intenso laedente, ut in caro, modo putrescente et acrimonia quadam irritante, ut in lethargo. Sed quaenam necessitas est, ut genus soporosorum pathematum in typhode affectu agnoscamus? et quid obstat, quo minus species eorundem

certa in ipso possit intelligi? Quae difficultas hac forte ratione poterit summoveri: Ut taceamus, signa in libris Hippocraticis ea solummodo potuisse deprehendi, quae universo generi conveniant, non quae speciem ex eo quandam distinguere possint; circa aetatem Hippocraticam, quippe cui hic usus nominis τυφώδης privus videtur fuisse, affectus illi nondum rite discernebantur, et nomina quidem exstabant, quibus serius discretas species significabant, res vero etiamtum commiscebantur, et eodem nomine aegritudines veniebant, quas posteri diversas habebant; qua de confusione facili negotio persuadebitur ei, qui singulos libros, quos Hippocratis dicimus, comparaverit. Ipse enim Hippocrates specierum varietatem augere parum curavit, neque ita singulorum morborum diagnosi studiis illius multum additum est, qui dignitate symptomatum discernenda plurimum meruit ad praesagium certius reddendum. Deinde vero discrimina ipsa dictorum pathematum partim ex doctrina de humoribus cardinalibus ad causarum internarum putatitiam aliquam diversitatem veteres revocabant, quibus opinionum commentis idem Hippocrates adversabatur, rarius tantum in causis indagandis, neque tantopere singularis cuiusdam affectus et internis, quam morborum in universum et externis occupatus. Illa disciplina vero post ipsum demum exculta, saltem aucta est, inde a Praxagora ad Galenum usque, qui magnam partem in ea exponenda versabatur. Nihilominus et hic compluribus locis soporosos affectus confundit, et coma modo genus, modo speciem eorum appellat, alios insuper auctores refert vel quoad nomina, vel res ipsas circa doctrinam de iisdem vitiis dissensisse, certissimo testimonio, de eorum notione, quantumvis forsan a singulis definita, haud quaquam inter omnes medicos vel tunc etiam esse conventum. Iam vero, quum singulae species modo discretae essent, et suis quaeque limitibus circumscripta, obsoletus videtur evasisse usus nominis τύφου vel τυφώδους,

ut promiscuae appellationis, vel in aliam rem significandam vim suam permutasse, cuius sententiae argumenta mox exhibebimus. Solummodo ubi cum aliis morborum nominibus coniunctum hoc fuerat, pristinam virtutem retinuit. Exempli instar τυφομανία habetur, qui affectus duorum sibi invicem contrariorum statuum connubium refert, typhodis scilicet et phrenitidis, cuiusque complures eaeque accuratiores apud veteres exstant descriptiones, unde lucis nonnihil ad doctrinam de typhode pathemate ipso possit redundare. Huius enim, ut vidimus, tam rara fit mentio, eaque tam parum sufficiens, ut nostrum esse videatur, supplendo, quae ad imaginem aliquando certiorem et clariorem requirantur, ipsius cognitionem quoquo modo illustrare. Quod vero sic maxime fieri poterit, ut earum affectionum, quae tamquam praecipuae species typhodis generis Hippocratici agnoscendae sunt, prisco tempore nondum distinctae, aliquam reddamus adumbrationem ex lectione Galeni potissimum profectam, ut simul intelligatur, quam formam illa disciplina observationibus praeceptisque eiusdem acceperit. Nec tamen dubitabimus, ex aliis auctoribus, siquidem circa hanc rem cum illo convenerint, quibusque huius typhi nomen quidem inusitatum, notio vero familiaris est, ea adiungere, quae ad componendam notitiam rei, de qua agitur, utilia possint hauriri. Quae opera eam insuper ob causam non videtur omni pretio carere, quoniam in commodum doctrinae, qualis nunc illarum aegritudinum habetur, nonnulla converti poterunt, quae vulgo, sicut alia multa merita veterum medicorum per contemtum vel inscitiam negliguntur. Hoc autem spectantes de lethargo prae ceteris paulo fusius disserendi veniam Lectores Benevolos rogamus.

§. 16

Initium vero faciendum est a comate, tamquam ea animalis virtutis affectione, cuius iam Hippocrates magnus diligentem instituit observationem et frequentem fecit mentionem, quam deinde Galenus largis commentariis adauxit.

Coma Hippocrati et Galeno vocatur propensio vel delatio in somnum (*καταφορὰ εἰς ὕπνον*, Gal. Comm. in Hipp. Epid. L. III. s. 1 t. 7.), quum aegri erecto animo vigilare nequeunt, sed oculis conniventibus vel alto vel tenui somno vel vigiliis detinentur. Neque re vera somnus coma est, sed illius praeter naturam quoddam desiderium (*κωμαίνειν*, somnum appetere).

Galenus (de Comate c. 2.) duas species distinguit, quibus hoc quidem commune est, quod oculos aperire non possint, sed mox graventur et dormire velint. Proprium vero alterius, quod hi quidem dormiant mox et profunde et diu, hi vero vigiles sese circumvolvant (*στρεφόμενοι*), iterum iterumque turbati mentis imaginibus et phantasmatibus, quibus somnus interciditur; unde perpetuo quidem vigiles manent, surgere vero non valent et vigilantium munera obire, nec tamen; si concesseris somnum, obdormiunt, sed gravantur solummodo (*βαρύνονται*), tandemque ne spem quidem servant, sese somnum esse capturos. Quam secundum diversitatem coma modo somnolentum (*ὑπνώδες*) est, et huic quidem proprie locus est in typhodibus malis, modo, sed rarius, vigil (*ἄγρυπνον*).

Igitur coma somnolentum (*βαρὺ, δυσδιέγερτον*), ex quo interdum difficulter expergefiunt, nasci dicitur ob humorum crudorum et crassorum (Gal. in Hipp. Epid. 3, 3, 62. et 63.), quibus cerebrum irrigatur, copiam, qualis ebriatis adesse existimabatur, subinde autem ob so-

lum frigus, quo occupetur primarium animi instrumentum, et saepe ob utramque causam coniunctam, nimirum ob pituitae plenitudinem, cerebrum aggravantem *). Praeterea vero eadem affectio oboriri potest ex imbecillitate cerebri, virtute vitali adeo iam debilitata, ut apertas palpebras servare non valeant (Gal. ad Epid. 3. s. 1. t. 7.). Quae quidem non a pituita, ut praecedentibus, nascitur, sed exhausto vel exstincto calore innato (ἐμφύτῳ θερμῷ) in febribus vehementioribus et inde oborto cerebri refrigerio et prostrata virtute. In hoc interdum leves somni tenuesque sunt (κῶμα λεπτὸν), idque proprie vel a sanguine ad cerebrum congesto et lentorem trahente vel a bile flava derivabatur, quam vehementia caloris febrilis dicebant assatam (κατοπτηθεῖσαν), atque consumto calore nativo in melancholicum humorem, cuius frigida natura esset, inspissatam **). Et sic quidem coma phrenitidi et causo, morbis ex frigidis et crassis humoribus minime obortis, subnasci potest, inprimis in pestilenti constitutione humorum crudorum magna copia ad cerebrum delata ***). Febris hoc comate affectis modo nulla est, ubi ex sola frigida et tenaci humore decumbebant, pulsus tunc languidissimus, tardus, rarus, parvus (Gal. in Epidem. III. 1. 7.), modo tepida et mitis (χλιαρὸς), ubi ex febribus ardentibus pathema prodiit; corpus tractanti ponderosum (Hipp. Epid. III. 3. 67.). Praesagium plerumque malum est, etenim malignae febri frequens comes accedit (Coac. Praen. 1, 36. — Gal. in Epid. 3, 3, 62.); pessimum autem est,

---

*) *Τὰ μὲν χολώδη τῶν νοσημάτων καὶ θερμὰ τὰς ἀγρυπνίας καὶ παραφροσύνας καὶ φρενίτιδας ἐργαζόμενα φαίνεται· τούτοις δ' ἔμπαλιν τὰ φλεγματικὰ καὶ ψυχρὰ νωθρότητάς τε καὶ καταφοράς.* Gal. d. loc. affect. L. III. c. 6.

**) Galen. Comm. in H. Epid. L. III. s. 3. t. 63. — Id. de Crisib. 2. c. 12. — Comm. in Prorrhet. I. 10.

***) Hipp. et Galen. Epid. l. c. et t. 34. et 62. — Gal. comm. in Prorrh. l. c. 10. et 14. cf. historiam Hermocratis, Hippocrat. Epidem. III. 1, 7.

ubi febribus acutioribus ex facultate vitali exstincta subnascitur, nam insanabilia sunt ea frigora, cum calidis morbis et siccis accedunt, teste Galeno in Comm. in dictam hist. Hermocratis (Epid. III. 1, 7.). Verumtamen solvitur etiam sanguine largo ex naribus prorumpente, alvo subrubra, abscessibus ad aures, siquidem circa criseos legitimum tempus hae mutationes contigerint. Aliquando adeo ipsum coma criseos instar fuit post diuturnas vigilias, ut Galenus refert in Libro de Crisibus pluribus locis. (Cf. id. in Prorrh. 1, 63.)

§. 17.

Hic adiiciamus nonnulla de natura alterius comatis, quod vigil dictum est, quamvis per se quidem ad sinceras affectiones typhodes, ad quas coma somnolentum, carus etc. pertinent, referri non debeat, sed ex vigiliis et sopore mixtum quasi pathema esse videatur. Verum partim, quia semel de priore specie disserebatur, quae opposita altera quodammodo illustratur, partim, quia exemplum refert connubii inter typhodem affectum et speciem morbi contrariam, igitur utriusque naturae speciebus accedere potest, partim denique, quia recentior aetas multa de eodem disputavit, ut de typhi, quem nunc ita vocamus, symptomate pathognomonico, exponere liceat meliorem partem eorum, quae veteres de eo animadverterunt.

Igitur quando aegri apertis oculis vigilare non valent, sed connivent spe conciliandi somni, quem quidem appetunt, sed captare non possunt, coma vigil pati dicebantur. *) Quae affectio oriri perhibebatur ex causarum sibi contrariarum conventu, quum humor tenuis,

*) Gal. de loc. affect. L. III. c. 6. — in Epidem. 3, 3, 39. — Paul. Aegin. L. III. c. 6. et 10.

calidus, siccus, i. e. bilis flava, cum crasso, frigido, humido, i. e. pituita, permixtus in cerebro immoderatius exsuperaret, et symptomata ederentur singulis humoribus peculiaria. Bilis enim flava per se quidem pervigilium cum delirio, pituita soporem inducit *). Hinc fit, ut, quoties utraque in cerebro invaluerit, contraria symptomata aegrum apprehendant, scilicet ut tum vigilet desipiatque, tum leniter ad soporem deferatur. Altera etiam statuenda est causa, sanguinis biliosi copia, quae quidem febrili aestu inspissata modo supra descripto (§. 17.) lentorem contraxerit, quo, cerebrum gravante, sopor gignatur, ob bilis autem admixtas reliquias delirium et vigiliae concilientur. (Gal. in Prorrh. l. c.). Et ubi humores illi aequa copia redundent, exquisitum (ἀκριβὲς) vocatur coma vigil, si exsuperet alter, ratione praevalentis, vel magis coma, vel magis delirium aegrum urgebit. Altera vero forma ad lethargum, altera ad phrenitidem accedit. (Paul. Aegin. L. III. c. 10. Galen. de loc. aff. l. c.)

Et ad hanc quidem causarum rationem et similitudinem cum duobus vicinis, sibi autem oppositis malis respiciens Galenus, et qui eum sequuntur, mixtam hanc aegritudinem ex lethargo et phrenitide **), vel mediam inter utrumque morbum vocant, unde vario nomine ipsa vocata est. Sic τυφομανία apellatur multis locis (Gal. in Prorrh. l. c.; id. de comate l. c.; Exegesis voc. Hipp. etc.) τυφωνία (Gal. definit. med.) ληθαργοφρενίτις ἢ φρενιτιλήθαργος (ibid.); λήθαργος παρακοπτικὸς (ibid.); λήθαργος νόθος (Alex. Trall. L. I. 14.); apud Avicennam denique describitur sub titulo Subeth Alshari (stupefactio pervigil), Can. L. III. Fen 1. tr. 3. c. 12. —

*) Gal. praesag. ex prls. IV. 8. — loc. affect. l. c. — in Prorrhet. I. 1.

**) Gal. de caus. puls. L. IV. c. 15. — Id. d. pulsib. ad tiron. c. 12. — de comate 2.

Duas autem species huius insomnis cataphorae distinguit Galenus (d. comat. c. 3.); alteram quidem pigram (*νωθρὰν*), alteram expeditam (*εὐκίνητον*). Commune utrique est, quod loquantur patientes et delirent et moveantur; sic enim a somnolenta s. lethargica cataphora differunt, in qua neque seorsim quid loquuntur, neque facile ab acclamantibus et pungentibus suscitantur. Pigro autem comate detenti, quibus pituita cerebri bilem copia vincit, vix moventur, et maxime delirant, cum ad somnum se componunt; hoc quidem proxime ad lethargum accedit, quocum adeo interdum confunditur, tum a Galeno ipso, tum ab aliis; verum in his facies neque intumescit, nec livida est, ut lethargicis, praeterea modice desudant. (Paul. l. c.). Qui denique expeditum coma patiuntur, facile surgunt, vocem et sonum omnem audientes, et si tetigeris partem corporis, mox oculos elevant et ad tangentem prospiciunt, vel stupefactis similes (Gal. Prorrh. 1, 1.) fixo obtutu diutissime in unum locum intuentur. Quamdiu vero ipsi cataphora premuntur, manus disiiciunt, vel crus, vel universum corpus iactant, ratione inentis alienationem demonstrante. Interdum adeo repente et desipientes exsiliunt. Et ita quidem comparata affectio haud multum differt a phrenitide, cui ipsa saepius adiungitur decurrenti. Alvus et urina supprimuntur, quae si forte exeat, tenuis est, decolor, turbata interdum et iumentosa (Paul. l. c.). Ceteroquin pro illa pathematis diversitate pulsus etiam diversi sunt, ambigunt enim inter illos, qui lethargicis et phreniticis adsunt, minus celeres et frequentes et languidiores, quam in phrenitide, validiores autem; quam in lethargo. Accuratius etiam hos describit Galen. d. caus. puls. L. IV. c. 16. et de puls. ad tiron. c. 12. Febris ubique hanc affectionem comitatur, inflammatione autem vacare potest, Galeno enim phreniticum coma vigil a non phrenitico distinguitur (d. comat. 3.), prouti cum phrenitide coniunctum, vel sine

ea occurrat. Qua de causa, quia vel phrenitidi vel lethargo vel aliis similibus affectibus associatur, a plerisque non tamquam morbus peculiaris, qui per se existit, sed ut symptoma describitur, non tamen simplex, sed multorum cumulus, quae ad sensuum communem rationem et reliquas animi facultates pertinent. Ab hac autem auctorum fere communi, ut videtur, sententia AVICENNA excedit', qui ut morbum specificum et per se natum describit l. c.

Interdum typhomania, ubi materia morbifica acrior evaserit, in phrenitidem terminatur; saepius vero pars tenuior, vel concocta, vel digesta et evacuata est, remansit autem crassior, frigidior, quam serius demum calor innatus vel omnino non potest evincere; hic lethargus supervenit (GAL. Prorrh. 1, 1. de Comate c. 4.). Secundum haec autem exitus mali divinari potest et periculi magnitudo aestimari. Praeterea quae de comatis somnolenti praesagio animadvertebantur, eadem de vigili specie dicta accipiantur. Saepissime semitertianae febri malignae comes accessit (GAL. de Typis c. 4.). Curam utraque comatis species communem habebat cum iis morbis, quorum tamquam symptoma existit, cum lethargo scilicet, causo, phrenitide etc. Primas partes venae sectio gerebat, ubi per vires et aetatem permittebatur, humor peccans deinde a capite repellendus erat. Quod quomodo instituerint, docetur PAUL. AEG. III. c. 10. GAL. loc. affect. III. c. 6. ALEX. TRALL. L. I. c. 14. AVICENN. l. c.; insuper iis locis, quibus de ratione phrenitidi et lethargo medendi disseritur apud eosdem, ARETAEUM (Cur. acutor. 1, 1.), GAL. Meth. med. L. XIII. c. 21. et alios complures.

---

§. 18.

Ad similitudinem comatis somnolenti (*βαρέως*) proxime accedit, quod pathema carus nuncupatur (*κάρος* a

κάρη, quia caput praecipue laesum apparebat). Sic quidem Galeno vitium dicitur in anteriore parte capitis circa ventriculos cerebri sedem figens, in quo sensus et motus facultas pereat, respiratione tamen illaesa*). Teste Aëtio ex Posidonio (Tetrab. II. 2, 5.), qui eo laborant, somno profundo detinentur **), ac si stimulentur, sentiunt quidem, non tamen loquuntur, neque oculos aperiunt. Galenus autem (loc. affect. l. c.) animadvertit, ubi anterior duntaxat cerebri pars afficiatur, solam linguae motionem vitio carere, reliquas vero faciei partes omnes, quippe quae a parte cerebri laesa nervos accipiant, in altera scilicet parte, dextra aut sinistra, sensum et motum voluntarium amittere. Eodem loco mentis etiam actiones addit oblaedi, et disertis verbis (de different. sympt. c. 3.) carum vocat facultatis imaginatricis paralysin. Huius enim virtutis sedes, unde nervi sensuum discederent, perhibebatur, Galeno et Avicenna testibus, propter mollitiem pars cerebri anterior, sicut propter duritiem pars posterior memoriae domicilium, media, rationis. Hippocrates vero eundem affectum appellare solet ἀφωνίαν, (Galen. ad Aphor. L. 5. a. 5.), interdum etiam nomine κατόχου nihil aliud nisi hanc soporis speciem significare videtur. Rhazes Mauritanus (ad Almansor. L. IX. c. 5.) idem malum sub titulo Subeth descripsit, ut Montanus iam observavit; et hoc fere modo: Est Subeth, ubi aliquis quasi dormiens iacet, et tamen sentit et movetur, ubi stimulo petebatur, sed levi admodum motu. Apud alios autem Arabes Subeth nomine coma seu cataphora, apud alios denique lethargus intelligendus est, unde novum argumentum accedit, hasce tres affectiones inter sese arctissime fuisse connexas et conspicuos habuisse transitus;

---

*) Gal. comm. in Aphor. L. V. a. 5. — de loc. affect. L. IV. c. 3.; qui locus circa doctrinam de caro veterum classicus est.

**) Gal. in Hipp. Prorrh. 1, 63. βαθὺς καὶ δυσδιέγερτος ὕπνος.

ut in unum pathema, quasi in genus, convenerint, idem, quod τυφῶδες veteres Graeci nominarint, Mauritani vero Subeth. Carum vero illi discernebant morbosum et non morbosum. Hic dicebatur somnus profundus, qualis interdum nullam comitaretur morbum, sed ex vini immodico usu fiebat (Hipp. et Gal. Aphor. V. 5.), et in pueris plerumque propter maiorem vaporum et exhalationum benigniorum copiam, quae cerebro incumberet, nasci videbatur. Quae ebrietatis affectio spurii, vel improprie dicti, vel boni cari nomen accipiebat. (Gal. in Prorrh. 1, 63.) Morbosum autem habebant, qui laesionem aliquam cerebri insequeretur, eumque modo mitiorem modo perniciosum. Mitior dicebatur somnus altus excitatu difficilis (Gal. et Hipp. Prorrh. l. c.), qualis aegris interdum, qui complures dies vigiles permanserant, superveniebat, noctu dieque continuatus, et qui magnum adferebat auxilium, inprimis infantibus, teste Galeno (l. c.). Atque is quidem a cataphora somnolenta non distabat, et proprie ita vocandus est. Pernicioso autem caro aeger correptus, et repente quidem plerumque, iacet, tum motu, tum sensu privatus (Gal. ad Aph. l. c.), etiamsi vel stimules, ferias aut inclamites. Et hic quidem solus est, qui proprie carus dicitur. Oboritur capite vehementer cōntuso (Gal. in Prorrh. l. c.), vel ubi osse calvariae vehementer attrito vel terebra perforato membranae cerebri incaute deprimuntur, unde ventriculi cerebri, inprimis medii male habeant. Praeterea vehementes dolores eundem affectum adducere perhibentur, concidente exinde robore animalis spiritus, quem in ventriculis servari Galenus existimabat, tamquam primum animae instrumentum ad sensum et motum in universas corporis partes transmittendos. Nonnunquam accessionibus morborum febrilibus additur delirio stipatis, Hippocrate et Galeno testibus, eadem plane ratione, qua coma, ubi cerebrum, nativo calore exhausto, refrigeratum est. (Gal. loc.

aff. L. II. c. 5. L. III. c. 4.). Eundem praeterea effectum esse putabant constipationis summae (στεγνώσεως), qua non carus solum, sed cetera etiam vitia soporosa et apoplexia ipsa conciliarentur. Atque id est, quod ab Hippocrate enuntiatur: ὡς τῷ ἐξαίφνης ἄφωνον γενέσθαι, φλέβων ἀπολήψιες (interceptiones) τὸ σῶμα λυπέουσιν. Quum vero constipatae vel interceptae fuerint arteriae, i. e sanguine oppletae, ut nullus amplius in ipsis vacuus relinquatur locus, in quem, dum per diastolen distenduntur, aërem externum et spiritus attrahere possint, transspiratio autem, propter obstructa oscula, et caloris cum aëre communicatio sublatae, tunc suffocatio instat, et exstinguitur calor innatus, et qui hoc patiuntur, cito sensum et motum totius corporis amittunt. (Gal. de morb. 3.). Alia causa mali, saltem mitioris cari, inveniebatur in pituita cerebrum humectante et vehementer refrigerante, in principiis febrium ex eodem humore oriundarum; namque somnolentos et veternosos affectus omnes frigidarum causarum ferebant soboles. Simili modo venenis, quae frigida vocabantur, e. g. hyoscyamo, mandragora, cicuta, omnia haec pathemata provocari observabant. (Gal. loc. aff. L. II, c. 5.; Caus. sympt. L. II, c. 7.). Eandem quidem frigidam materiam, quam in caro, suspicabantur in apoplexia et morbo comitiali. Differebat autem ipsis apoplexia a caro respiratione vehementer laesa et stertorosa, praeterea paralysi, quae solutae apoplexiae creberrime succederet, caro autem finito, saepe bona valetudo subsequebatur. Ceteroquin in hoc et in epilepsia ventriculi potius, minus corpus cerebri, in apoplexia autem corpus magis affici; in caro quidem anterior pars, in apoplexia autem morboque comitiali et haec et posterior fomitem mali excipere putabantur. (Gal. loc. aff. L. IV, c. 3.).

Quam prognosticam vim carus habuerit, partim ex iis, quae modo relata sunt, partim comparatis iis, quae supra de comate commemorata, facile quisque supplebit. Sic etiam cura (cf. Gal. Loc. aff. L. 2, c. 5.)

BOSTON MED. JAN 25 1923 LIBRARY

huic malo eadem conveniebat, quae ceteris soporosis affectibus.

---

§. 19.

Inter carum et coma vigil mediae naturae habebatur lethargus, sopor praeter naturam continuus, inexpugnabilem dormiendi necessitatem ac oblivionem inducens, cum febre miti, lenta, pituitam in capite putrefactam prosecuta. (Gal. Defin. medic. — Id. Meth. med. XIII, 21. — Cels. L. III. c. 20.) Caelio Aureliano (de acut. L. 2. c. 1.) derivatur a λήθη et ἀργία (aliis aliter, sed nullo rei discrimine), et ex Soranо Methodico, quem latinum ille reddidit, dicitur: pressura (oppressio facultatis animalis) celeris vel acuta, cum acuta febre, pulsu magno et tardo, inani, frequens in senibus. Eodem loco enarrantur complures lethargi definitiones propositae ab auctoribus, qui omnes conveniunt, laesas in eo esse cum febre principes animi facultates (Gal. Loc. aff. L. 3. c. 6 et 7.), prae ceteris memoriam et rationem. Motionis et sensus facultas infirma quidem est et torpet, nec tamen prorsus abolita. (Gal, Differ. sympt. 3.) In universum et improprie lethargus dicitur pro omni somno, qui difficilem habet expergefactionem, quemadmodum coma generatim vocatum; interdum simplex est et exquisitus, ex uno, simplici humore, scilicet pituita cerebrum humectante; interdum mixtus dicebatur, humore bilioso accedente, quod malum τυφωμανία alias appellabatur. (Gal. in H. Prorrhet. I. 1. 1.). Praeterea uti affectus supra descripti, similiter et ipse confunditur cum ceteris cataphoricis malis, ita, ut omnium singula nomina promiscue interdum ponantur. (Gal. Meth. med. l. c. — Id de simpl. med. facult. XI, c. 15. — Coac. Praen. L. II, a. 2.)

Circa naturam causae internae lethargi veteres non plane inter se conveniunt; a ceteris enim Avicenna (Can. L. 3. Fen. 1. tr. 3. c. 7.) et alii inter Arabes dis-

cedunt, qui frigidum apostema (sirsen) s. inflammationem oedematosam, corpus cerebri occupantem tamquam fomitem mali agnoscant; Galenus autem compluribus locis diversa et sibi repugnantia praecipit. Namque phrenitidem, quae secundum L. de caus. sympt. II. c. 7. etc. inflammatio cerebri vel eius membranarum est, tamquam contrariam opponit lethargo compluribus locis (e. g. Meth. med. XIII. c. 21.), sicut alii (Celsus, L, III, c. 19.) plerique auctores, et ita quasi frigidum tumorem hunc esse subindicat. Auctor defin. medic. (v. λήθαργος) comitem dicit tumorem ventosum (φυσώδες). Alio autem loco idem Galenus (Caus. puls. L. IV. c. 14.) phrenitidem, quippe cuius causa bilis flava, in tenui meninge dicit residere, lethargum vero, materia pituitosa oriundum, in ipso cerebro. Sibi autem repugnat, lethargum docendo (comm. in Prorrh. I. 1. 1.) eundem locum, quem phrenitis teneat, scilicet primariam animi sedem, prehendere et pituita irrigare. Ex his autem et ex L. de loc. affect. III. c. 5., ubi disertis verbis tumorem et externum aliquod loci affecti signum negat in omnibus affectibus soporosis, collegerim, Galeno inflammationem de natura lethargi non fuisse visam, licet nonnulli inter recentiores ipsius sectatores in contrariam partem discesserint.

Focus mali potissimum in posteriore cerebri parte ponebatur, minus in media, minime in antica; maior enim apparebat memoriae et rationis noxa, quam facultatis imaginatricis. (Averrhoës, Coll. L. III. c. 40.) Aliquando vero per consensum capitis cum visceribus et et diaphragmate oriebatur (cf. Gal. d. us. part. L. 2, 17.), ut ex Posidonio refert Aëtius; et in hac quidem sympathica affectione symptomata intermitti observabantur, haud aliter, atque in paraphrenitide, cuius eadem ratio est cum phrenitide, quae lethargi idiopathici cum sympathico. Eandem rationem sequuntur et ceteri affectus soporosi.

Materia igitur mali, quod aliquoties iam repetitum est, pituita habebatur; nec tamen copia tantum cere-

brum aggravans, sed putredine acris, et quia aliquantum calefacta, nonnihil irritans, unde deliria quidem, sed non nisi blanda et febris mitis (χλιαρὸς, βλησχρὸς, Galenus, Paulus, Nonnus, Avicenna). Vaporem enim de pituita cerebri putrescente ad cor per arterias et venas tendere arbitrabantur, et inde fieri febrem. Alibi eadem febris vocatur maligna (Auct. defin. med.), a Caelio Aurel. (l. c.) quotidiana, cui lethargi et ceteri sopores omnino familiares habebantur.

In remotioribus vero causis ponebantur temperamentum frigidum et humidum, phlegmaticum, senectus, ap. Caelium (Ac. 2. 1.), inprimis obliviosa; secundum Hippocratem autem (Aph. 3, 30.) virilis aetas lethargos amat, quae controversia forsan dirimetur, si incipientem senectutem intelligimus, aetati virili contiguam. Praeterea aër auctumnalis (Cael.), quies nimis protracta, veneris abusus, crapula, dum vini calore cerebri calor exstingueretur, saburrae (Heraclides ap. Cael. Aur.); ceparum usus (Avicen.), fungorum, venenorum potestate frigidorum, ut opii, hyoscyami, mandragorae haustus (Gal. de simpl. fac, L III, 18., id. in H. Aphor. 2.17). Haud raro denique morbis aliis subnascitur lethargus, vel mixtus, ut phrenitidi, febri semitertianae pestilenti etc., quae via mutationis frequentior est; vel exquisitus (ἀκριβὴς) quotidianae febri et catalepsi (Cael. Aurel. acut. 2, 10.); namque etiam haec, quae, Galeno teste, ex humore frigido et sicco provocabatur, cerebri posteriorem partem obtinente, ex Caelii sententia a strictura nascitur, et transmutatio morbi fit, cum pulsus, qui antehac plenus erat et vehemens, erectus, iam evadit inanis, et palpebrae hactenus apertae clauduntur.

Signa morbi et decursum referentibus potissimum Caelii Aureliani (acut. l. II., c. 2 et 3.), qui in hac re ceteris auctoribus palmam praeripit, vestigiis insistere liceat, inspersis hic illic, quae ab aliis forte notatu digna observata fuerint et ad confirmandam vel amplifi-

candam Caelii historiam utilia. Praecedunt autem febres acutae et vehementes, et hae quidem praecipue in secundario lethargo; capitis gravedo vel somnus aut dolor vehemens, repente ac praeter rationem superveniens; tinnitus aurium, facies tumidula, pallor, qualis ex ebrietate (cf. Auct. defin. med.), tristitia, taciturnitas, cum sanus loquax fuerat. Querelae non digna et incongrua ratione editae; pigrities, pandiculatio et oscitatio frequens, somnus multus, resupinus, idque contra consuetudinem; nec tamen somniantur, uti solent delirantes. Pulsus inaequales, maiores, tardiores pro aetate et natura, interdum inanes. Salivatio. Praesentem deinceps lethargum indicabant: hebetudo sensuum, sopor (cf. Cels. l. 3. 20. — Aretaeus, cur. acut. 1. c. 2.), febris vel continua vel luculenter remittens, pulsus tardi, magni, molles, inaequales, inanes, undosi, inflati, (ἰνωθροὶ Hipp. Coac. Pr. 145, — Cf. Gal. d. caus. puls. L. IV. c. 13. Paul. Aeg. L. III. c. 9.) tamquam signa ad naturam (οὐσίαν) huius affectus proprie pertinentia. Accessoria autem observabantur haec: aeger dormienti quidem similis decumbit, immotus (Gal. Meth. med. XIII. c. 21.), mortui instar, (Paul. l. c.) sed facile expergiscitur (Cael.), signum, ut suspicari licet, mixti lethargi, quemadmodum plura in sequentibus); interrogatus non statim, sed tardius respondet. (Leviter delirantem dicit Hipp. de morb. II. 70., Pavl. L. III, 9. Avicenn. 3. 1. 3. 8., ceteri auctores hoc signum non commemorant). Linguam exserere iussus, vel non prodit vel sero, prolatamque vel reducere obliviscitur, vel tardius reducit. Si quid manu tenuerit, nescius ac praeter voluntatem dimittit; verba faciens dictorum statim obliviscitur, neque ordinem orationis servat, neque mentem effari posse videtur. Manus velut impatiens praeter rationem extendit, tremulas (Coac. Pr. 145. — Aret. l. c.) et leviter convulsas; nulla sitis, neque alius cuiusquam rei desiderium (Coac. Pr. l. c.), sed saliva larga (Hipp. de morb. 3., init.), te-

nax et indigesta, unde mentum et stragula inquinantur. Urinam reddere iussus, matulam non postulat, vel si petierit, nescit datam, neque urinam dimittit, nisi admonitus *), et cum difficultate, et paullatim, turbulentam aut plurimam (iumento iam, Hipp. Coac. Pr. 1, c.) Crescente malo aeger iacet resupinus, facie vel leucophlegmatica (Coac. l. c.), vel livida, vultu distorto (conductus, Caelius), quasi moesto, superciliis conniventibus (caperatus, Cael.); a superiore parte lecti ad pedes delabitur, cruribus negligenter disiectis et conversis, corpore reliquo incomposito. Pulsus iam maiores, rari, inflati; respiratio tardior iusto ac maior, cum gemitu peracta; praecordia tumida et inflata, introrsum retracta (Aretaeus l. c.; cf. Hipp. Epid. 1. 3. hist. 2.); sensus magis magisque deficientes, ut, nisi acerbius stimulati sint, aegri non excitentur; statim vero, labiis tantum leviter commotis et distortis, in soporem ineluctabilem iterum implicantur. Alvi (Aret. l. c.) et urinae retentio, adeo, ut multi ex ipso quidem malo liberati, excusso sopore, urinae reddendae impotentes moriantur. Iam si in peius ruit morbus, respiratio tardior etiam fit et alta, quasi exstincta, oculi semiaperti, cavi; lingua arida, aspera, atra (Aretaeus), dentium stridor, trismus, vel os semiapertum, maxilla relaxata; stridor pectoris; immissi vel instillati liquoris difficilis et interrupta, vel cum sonitu peracta deglutitio (*βόμβος*), singultus, quem Trallianus (1, 20.) ex consensu cerebri cum ventriculo derivat, pallor et subsultus labii inferioris, artuum stupor, unguium livor, guttur prominens, pulsus iam humilis et myurus; sudores frigidi, glutinosi, circa faciem et collum; urinae et alvi involuntaria excretio, membrorum distorsio. Haec vero, ubi salutem aeger recuperaturus est, omnia sensim leviora efficiuntur, et sic ad

*) Hoc signum plurimi repetunt, quasi characterem morbi optime depingens.

perfectam nonnulli sanitatem revertuntur; at cum resipuerint, cervicis dolore angi queruntur *), (Coac. Pr. l. c.) flatusque et sonos per aures erumpere, quae phaenomena nostra etiam aetate sub eadem rerum conditione observabantur. — Felicem exitum praeterea annuntiant parotidum abscessus, sicut in reliquis omnibus capitis affectibus (Gal. de crisib. L. III, c. 3.) **); verum sanguinis profluvium e naribus, quod phrenitidi fere familiare est, non solet iudicare lethargum (Gal. d. Crisib. l. c.). Is potest etiam in phrenitidem, morbum specie contrarium, desinere, (Gal. in H. Epid. 6, 6, 8. Cael. Aur. l. c. c. 3.), quo facto salutem aeger recuperat; verum tunc exquisitus lethargus non erat, qualis Gal. in H. Prorrh. 1, 1, 1. traditur ex pituita cerebrum perfundente oriundus, nam pituita non potest in bilem flavam, humorem indolis prorsus contrariae, permutari, sed spurius ille existimandus est, improprie sic dictus, quem lentor et nimia copia sanguinis biliosi cerebro incumbens provocare perhiberetur. Qua materia morbi ex parte concocta emergere credebatur cerebri virtus, quamvis adhucdum bilis flavae irritamentum patiens, et ita sufficere posse morbo abstergendo, Quae spurii lethargi permutatio in veram phrenitidem notatu tam digna, adeo idiotis non inaudita videtur fuisse, neque enim Venusini poëtae facetiam elapsa est, qui hisce versibus eo alludit (Sat. 2, 3, 30 ss.):

---

*) Eundem dolorem in comatibus sudore stipatis commemorat Hipp. Prorrh. 1, 100.

**) Sic etiam accipienda videntur esse verba Hipp. Coac. Pr. 1, 145. ὁκόσοι σώζονται τῶν ληθαργικῶν, ἔμπυοι ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γίνονται. (Similiter Hipp. de morb. 3, init.) Empyema enim non solum de pure dicitur inter pulmonem et thoracem collecto, ut Galenus interpretatur (de caus. puls. L. IV. c. 9.), sed, eodem teste, apud Hippocratem suppurationes etiam in alia quavis parte conflatae saepius ita vocantur. (e. g. Epid. L. 3, s. 3, t. 25. — Gal. ad Aph. 5, 8. — id. ibid. L. 7, 44.)

Et morbi miror purgatum te illius. Atqui
Emovit veterem mire novus, ut solet in cor
Traiecto lateris miseri capitisque dolore;
Ut lethargicus hic, cum fit pugil et medicum urget*).

Denique lethargus, teste Avicenna, qui (l. c.) causam proximam in inflammatione oedematosa posuisse supra dicebatur, in gangraenam desinere potest. Verum haec observatio aliorum auctorum experientia non confirmatur.

---

§. 20.

Ex his manifestum est, veteres proprie non omnem soporem, sed illum, qui cum febre inciperet (et delirio) et progressus oblivionem comitem adiungeret, vocasse lethargum; iidem vero huic morbo admodum vicinam affectionem agnoscebant peripneumoniam. Sic pulsuum ratio utroque in malo parum a se invicem diversa memoratur, tardiores solummodo et debiliores in lethargo, qui profecto longe frigidior et magis lethalis esset, quam peripneumonia (Gal. de caus. puls. L. IV, 13.). Sic etiam de crisibus disserens Galenus utrumque morbum coniungit (Cris. 3, 3.). Adeoque (Hippocrates) auctor L. de morbis, 3, lethargum describit velut morbum pectoris, quasi pneumoniam spuriam; illaque lethargi imago nonnullis symptomatibus adiectis ab ea discrepat, quae vulgo eius morbi habetur, quam ob causam aliena admiscendo hanc ipsam turbare noluimus, illorum commemoratione supersedentes. Conveniebat autem, teste Serapione apostema lethargicorum et peripneumonico-

---

*) Ex hoc vero sermone concludendum non est, morbum ita conversum in peius ruisse; namque qui lethargo laborat, is morbo afficitur, quamvis magno tamen, non perturbato, nec molesto vel sibi, qui sui non conscius est, vel aliis. At si in phrenitidem incidit, vehementia mali concitatur, exsilit aeger et ita exagitatur, ut acerbus aliis, et non iniuria formidolosus esse possit.

rum partim in temperamento partis laesae, utraque enim mollis et humida, licet pulmo non sua natura, sed accessorio momento, scilicet humoribus ex cerebro defluentibus humidus Avicennae dicatur; partim in causis, a pituita enim uterque morbus potissimum conflatur; partim denique in symptomatibus, somnus enim ibi profundus cum oblivione, febris, pulsus inaequalis (cf. Galen. d. caus. puls. l. c.) et delirium, sic etiam a Caelio et Aretaeo inter propria peripneumoniae et pleuritidis signa numerantur coma et delirium.

Sed haec sufficiant de lethargi cum peripneumonia consensu a veteribus observato. Ille autem affectus, inprimis si forte Arabes secuti, naturam in inflammatione oedematosa posuerimus, nullo modo commiscendus est cum eo malo, quod ap. Hipp. de morb. l. 3. *οἴδημα ἐγκεφάλου* nuncupatur, et sic quidem nominis ratione similitudinem causae indicare possit. At vero capitis dolorem hoc adiunctum habet, inprimis in regione temporum, qui nunquam dimittit, venas turgentes et pulsantes, aeger prae dolore vociferatur, sursumque prosilit, confestim vero ad lectum delabitur, seque disiicit. Qui morbus lethalis erat, sed unde evadebant, qui diem XXI superaverant. Discrimina utriusque pathematis non opus est, ut digito monstremus, namque per se manifesta sunt.

Praeterea lethargus verus, s. exquisitus ab eo distinguatur, cuius causa consensus partium abdominalium inflammatarum cum cerebro est, quique, quod supra tetigimus, ad similitudinem paraphrenitidis subnascitur. In hoc enim (sympathico) pulsus durior reperiebatur, et praecessit dolor in parte primitus laesa et tensio, et tument hypochondria (Cael.); at ubi caput primaria sedes mali est, praecessit somnus uberior, capitisque tremor etc. In apoplexia respiratio magnopere laesa appareret, eaque subito hominem invadit. — Caros, si ex causarum ratione distingui non potest, nam plerum-

que febris vehementior eum praecedit, febris absentia differt, somno exitatu difficiliore et vocis defectu (Gal. d. loc. aff.). Sic etiam coma febre deficiente a lethargo distinguebatur. Ad hoc, inprimis vero ad typhomaniam lethargus (spurius) proxime accedit, ubi dormire videntur et somni sunt expertes, namque delirant. Catalepsis conspicua est oculis apertis, et rigido corpore, sed, ut cera, flexibili. (Gal.) Lipothymia pulsu denso, parvo (Cael. Aur. l. c. c. 4.). Qui venena soporifera (potestate frigida) hauserunt, pulsum habent rarum, sed pleniorem, lethargus autem inflatum et inanem. Qui lumbricorum stimulo soporem patiuntur, densum, celerem, parvum, deficientem pulsum exhibent, eumque remittente potius febre conspicuum; putabant enim, vermes inter accessionem febrilem non valere intestinis sugentes sese affigere, inhaerescere autem viribus a cessante exacerbatione recuperatis, atque ita lethargum spurium provocare. (Cael.)

Prognosis. Lethargus ponebatur in morbis acutis; (Hipp. vict. in acut. 1, 8. — Galen. in Epid. 6, 1, 29, ex Praxagora) quamvis febrem nonnisi lentam et mitem haberet, nihilominus, nisi occurrebatur, celeriter enecare visus est. (Cels. III, 20. Gal. in Epid. I, 3. 1.) Hippocrates (de morb. 2, 70.) terminum solutionis definivit. Ait enim, lethargo correptos intra septem dies interire, quos vero si effugerint, convalescere. (Caelius Aurel. et Galenus phrenitide eundem dicunt periculosiorem, propterea quod in illa membranae, in hac autem corpus cerebri laesum sit (Gal.). Quam maxime infaustum praesagium erat, quando ex phrenitide malum exstiterit, exhausta cerebri virtute et naturali calore exstincto, vel flava bile in humorem melancholicum inspissata; qualis fuit sors Hermocratis ap. Hipp. Epid. 3, 1, 7. (cf. ibid. l. 3. s. 3. hist. (15.) ux. Dealcis). Frigora enim, ut in commentariis ad illam historiam addit Galenus, et nos alio loco iam notavimus, quae a cali-

dis morbis exstant, incurabilia. Mali ominis praeterea tremor erat lethargo superveniens, quia materia propter sui incontinentiam (*διὰ τὸ δυσκάθεκτον*) ad nervos motorios medullae spinalis descenderit, unde hi mollescant, et spiritus animalis aliquantum deficiat. (H. Aphor. VIII, 1. comm. Chart.). Verumtamen liberantur lethargici transmissa materia ad fauces et circa aures, (Avicenn. III, 1, 3, 8.) et parotidibus suppurantibus, ut in reliquis omnibus soporosis affectibus (Gal. cris. III, 3.), Sic etiam intelligendum esse Hippocratem, qui de morb. l. 3. et Coac. Pr. I, 145. lethargicos doceat *ἐμπύους* evadere, supra ostendimus (§. 19.). Peculiaris autem hisce illa crisis perhibebatur; quia frigida materia longius non abscederet, sed ad proxima tantum loca decumberet. (Gal. d. cris 1, 3.). Sanguine vero ex naribus vel ore prorumpente, quo ceterae capitis affectiones solverentur, (Hipp. Aphor. VI, 10.) idem lethargus non solebat iudicari, teste Galeno, de crisib. L, III, c. 3. Denique in phrenitidem utiliter illum permutari, et quo modo hoc fieri videretur, ex superioribus licet cognovisse. (Gal. in Epid. 6, 6, 8.)

Superest, ut enarremus, qua medendi ratione usi, veteres tam gravem morbum impugnaverint. Et uti in maxime difficilibus et lethalibus malis quibusvis maxima medicaminum varietas sensim irrepsit, dum aliud non sufficiens locum cederet alii, mox eandem ab vanitatem reiiciendo, sic etiam veteribus evenit lethargo medelam facientibus; atque tanta remediorum farrago singulorum commendatione, prae ceteris Empiricorum studio, coacervata est, ut, vel potiora tantum omnia enumerando, fines huius commentationis praeter modum extensuri simus. Quare satius videtur, summam tantum eorum concipi, quae circa curandum hoc vitium in usu fuerint. Ex causis vero huius mali deprehensis vel putatitiis ars profecta est, qua periculum eius abigerent. Proxima igitur illarum vero et exquisito lethargo pi-

tuita est putrescens; spurio eidem, sanguinis bibliosi, febrili calore forte inspissati vel assati, plenitudo et lentor cerebro incumbens, vel, exstincto calore nativo, eiusdem perfrictio, quorum communis effectus est torpor cum omnium, tum maxime animalium functionum. Praecedens vero morbi momentum et remotius est in venis magnis conceptum, et auget cerebri malum, quippe plenitudo crudorum et tenacium humorum, quae toto perfusa est corpore, et qui fons est pituitae (Hipp. de morb. L. IV. init.). Hinc prodeunt indicationes, ante omnia febris habita ratione humorem ad caput affluentem vel fluxurum revellendi et, qui ad cerebrum decubuerit, repellendi, discutiendi, vel ad propulsionem ex corpore concoctione praeparandi et evacuandi, dein caput corroborandi, denique, si ex maligna febre morbus pendet, alexipharmacis *) corrigendi. Praeterea iustus vitae modus quam accuratissime observandus.

Itaque a revulsione auspicantes, clysterem praemittebant, inprimis si phrenitidi successerat lethargus, eumque acriorem, nec solum ad revellendum humorem congestum, verum etiam ad faeces evacuandas (Aretaeus Cur acut. 1, 2.). Deiecta alvo, si per vires, aetatem, anni tempus, coeli rationem, morbi magnitudinem, inprimis crudorum humorum plenitudinem (Gal. meth. med. XII, c. 3.) fieri poterat, vena in cubito secabatur **). Si metus, ut aeger ferret V. S., vel si ipsa iuvanda erat, cucurbitulam illis partibus apponere solebant, quae *συντιμωρίαν* habere perhiberentur cum capite: lateribus colli, pone aures, in humeris, vel in capite ipso abraso vel occipite; a nonnullis hirudines in hunc

*) De eorum virtute v. Galen. d. simpl. med. fac. L. V. c. 17.

**) Aretaeus, l. c., Galen. Meth. med. XIII, 21. — Cael. Aurel. Acut., II, 6. — Paulus III, 9. — Trallianus I. 20., quibuscum Aëtius, Actuarius, Arculanus, Nonnus, Avicenna, Avenzoar (cap. de lethargo) consentiunt.

finem commendantur capiti admittendae (Caelio, Galeno, Aëtio, Arabibus). Aretaeus cucurbitis utebatur, ubi morbus minime a phrenitide esset, sed ubi primarius invasisset, potissimum ubi lingua atra, tumor praecordiorum conspicuus. — Praeter sanguinis detractionem humorem derivare studebant peccantem sternutatoriis, quem in finem pipere, veratro albo, sinapi et suffitibus utebantur, ruta naribus imposita, cum aceto trita, si febris non urgebat, adeoque ad palatum irritantia et pituitam derivantia et mastucatoria adhibebant. (Gal., Aret. l. c., etc.). Idem efficere studebant clysmatibus, suppositoriis, urinam cientibus; itaque quaquaversus causam morbificam deducebant. Hic vero prae ceteris oxyrrhodini *) celeber usus erat ad repellendum et discutiendum, isque a plerisque auctoribus commendatur, similiter castorei internus et saepius externus cum aceto rosaceo vel oleo mixti. Quin et externa ad cutem irritantia medicamina applicabantur ad soporem discutiendum, rubefacientia, urticae, sinapismi, cauteria et quae similia essent. Dein ubi, quantum humoris repelli poterat, detractum fuit, quod residuum existimaretur, praeparandum erat et attenuandum, quo facilius a natura possit excerni; id quod herbae pulegii, satureiae, mercurialis et aliarum externo usu assequi conabantur. Simul aromaticorum medicaminum virtute visceribus consulebant ad flatus discutiendos, additis diureticis (Aretaeus l. c.), hyssopo, origano, peucedano, melissa etc.; praeparatum humorem denique purgantibus, pilulis de hiera cum agarico, veratro etc. eliminabant. Sub finem demum imponebantur castoreum, theriaca et alia aromatica ad cerebrum corroborandum. Victus per totum morbum porrigebatur aromaticus, exiguus, suadente Aretaeo, sed frequens; de-

*) Oleum rosaceum cum aceto iunctum v. Gal. d. simpl.. med. fac. L. III, c. 17.

clinante morbo, ubi coqui inciperet humor, vinum concedebatur. (Cels. l. c., Trall. 1, 20., Aetius). In primis de psychica, quam vocant, curatione elaboranda Aretaeus meruit, animo enim is stimulos aptos iniecit, ut soporem aggravantem evinceret. Ad hunc finem proposuit colorum varietatem in stragulis, vestibus, parietum picturis, et quaecunque visum proritare possent; sermones multos, vociferationes, iracundas increpationes, (qua in re Hippocratem habuit praeeuntem: Epid. l. II.) terroris et metus excitationem, quaecunque prius optasset et exspectasset aeger, eorum anuntiationem. Alii suis quemque studiis suscitare conabantur, quibus antea addictissimus indulsisset, milites clangore turbarum (Philoth. Aelian.) avaros tinnitu nummorum *). Idem Aretaeus, non minus Caelius (Soranus) propter sagacitatem in reperiendis pro aegris specie minoribus, sed re multum proficuis et gratis adminiculis, et propter prudentiam in evitandis incommodis maximopere laudandi sunt, operamque sic dederunt multo utiliorem quam serioris aevi quidam medici, e. g. Plinius Valerianus, inprimis vero Arabes aliquot, qui mirificum, quendam, et ridiculum medicaminum apparatum excogitando, vel memoriae prodendo, famam sibi parare studebant **).

---

*) Sic Horatius. Sat. 2, 3, 145 ss.

Quondam lethargo grandi est oppressus, ut heres
Iam circum loculos et claves laetus ovansque
Curreret. Hunc medicus multum celer atque fidelis
Excitat hoc pacto: mensam poni iubet, atque
Effundi saccos nummorum, accedere plures
Ad numerandum: Hominem sic erigit; addit et illud:
Ni tua custodis, avidus iam hoc auferet heres.
Men' vivo? Ut vivas igitur vigila. —

**) Ex quibus est: cerebrum pavonis assum, quod ad oblivionem respiciens Alsaharavius commendabat: cerebrum leporis, coagulum vituli marini, cimices, iecur aprinum. — Externa:

Largiora et accuratius, quam huius libelli tenuitas permittebat, exposita appetenti materiam suppeditabunt Galen, Meth. med. XIII, 21. Aretaeus, Celsus, Caelius, Aëtius, Paulus, Trallianus, ll. cc.; praeterea Dioscorides, Plinius Valerianus, Gariopontus locis sparsis singula remedia commemorant.

---

§. 21.

Coma, carus et lethargus a nonullis proprie soporosa pathemata dicuntur. Accedit autem quartum, quod saepe in illorum societatem refertur, specie vero aliquantum diversum. Est nimirum κατοχὴ s. καλάληψις (apprehensio), in qua tum mens, tum corpus sensu motuque paene privatum detinetur, aegerque in ea manet corporis figura, in qua fuerit correptus, sive apertis sive clausis oculis perstiterit etc., atque sic maxime differt a soporibus stricte sic dictis, quippe in quibus oculi clausi sunt et corpus prostratum. Propter similitudinem eorum, qui gelu tacti rigent, vel concrescunt, congelationis nomen accepit. Sedes ipsius in posteriore parte cerebri ponebatur, quam frigido et sicco, i. e. melancholico humore perfusam credebant, (Gal. loc. aff. III, 4. — Id. in H. Aphor. 2, 3.). Aëtius (Tetrab. II, 3, c. 4.), ubi delirii speciem et medium hoc malum dicit inter phrenitidem et lethargum, videtur simul subindicare, praeter melancholicum humorem ab alio quoque, e. g. pituita, interdum fieri posse, atque ita cum affectibus antehac descriptis convenire, quod innuit Galenus (Meth. XIII, 21.); ait enim: „in vitiis „cum sopore coniunctis cerebrum oportet excitare, ac

---

Dentes leonis, mulieris capilli et caprae pili incensi, vulturis pennae, iecur mustelae ustum, testudinis sanguis, ala dextra merulae, oculi, cor et fel philomelae etc.

„noxii humoris, qui citra putredinem et febrem cata-
„phoras graves invehit, spissitudinem incidere et cale-
„facere. Tales Graeci apoplexiam, carum et catochum
„apellant.“ Praeterea dissertis verbis Paulus Aeg. (3, 6, cf. 3, 10.) refert, comatosos affectus pituita redundante natos ante Galenum audivisse catochum. Idem usus Hippocrati est, in Prorrh. 1, 2, 90. 98. etc. Sic etiam Galenus (in Epid. 3, 2, 28.) Philippum et Archigenem ait ita vocasse coma somnolentum, humore pituitoso genitum. Proinde catoche haec merito adnumerabitur cataphoricis vitiis, quibuscum insuper hoc habet commune, quod et ipsa consensus via exoriri posse videretur, humore crasso vel vapore pituitoso ascendente et cerebrum refrigerante. (Gal. caus. sympt. 1, 7.)

---

§. 22.

Postquam de his vitiis sigillatim disseruimus, quantum ex proposito nostro visum est, nihil ad hanc partem rei absolvendam, nisi hoc superesse existimamus, ut percunctemur, quomodo ad typhodes pathema, tamquam genus, illae species singulae referantur, et quomodo illius notionem adaugeant et exornent. Erit autem ex historia horum affectuum manifestum, ipsos natura sua prorsus inter se convenire, nec nisi gradu diversos esse, mutuos ubique habere transitus et permutationes, finibus igitur haudquaquam luculenter ac rite decretis, vel inter omnes agnitis, a diligentioribus etiam auctoribus et distinguendi sagacissimis, uti Galeno, singulos saepe confundi, specie posita pro genere et altero pro altero etc. At vero intentio et remissio non variant speciem morbi; propterea consultum foret, hanc affectionum varietatem in unam imaginem et unum nomen colligere; id quod recentiores bene videntur

sensisse, illa fictarum specierum multitudine paulatim ex praxeos usu remota. Et prae ceteris, quod τυφώδης dicitur pathema, mereri mihi videtur, quod generatim in illarum locum substituatur. Namque quot eius notae habentur ex Epidemicorum libris, adiecta Galeni interpretatione, collectae, eiusmodi sunt, ut singulis illis, de quibus sermo est, affectionibus omnibus conveniant. Et si, quod supra commemoravimus, specierum illarum nomina saepius ad genus significandum usurpantur, id ab altera parte de typhode neutiquam praedicari potest, quippe cui generalis nota ubique adiecta est. Quo accedit, quod propria nominis virtus, secundum ea, quae in fronte huius libelli exposuimus, optime et genesin et habitum mali referat. Itaque, quae veteribus κώματα, καταφοραὶ, κάρος, λήθαργος, νάρκη, ἀφωνία νωθρότης, κάτοχος etc. dicuntur vitia, omnia in unum confluunt, quod τυφῶδες nuncupare liceat. Hoc vero, comparatis, quae de singulis speciatim traduntur, agnoscimus in scriptis veterum ut somnum praeter naturam profundum, qui aegro quidem, cuius animus prostratus est, minime excutitur, adstantibus autem expergefactu difficilis est. Delirium in puro hoc et legitimo statu a plerisque non videtur observatum esse, sed stupor et imbecillitas potius mentis facultatum, quam depravatio. (Gal. loc. aff. 2, 7.) Febre idem vel caret vel mediocri stipatur, pro varietate causae efficientis; secundum eandem intentio mali magnopere variat, a somno, qui parum a naturae norma dicedere videtur, ad gravissimam omnium voluntariarum actionum depressionem. Modo primario loco cerebrum laeditur, modo secundario, modo per consensus viam in societatem mali adducitur. Causae primarii affectus et exquisiti ponebantur modo in humore frigido et humido, i. e. pituita, copia cerebrum gravante, ubi nulla febris, eo vero putredinis acrimonia irritante, ubi febricula comes aderat, pro varietate nonnullorum symptomatum speciatim modo in anteriore modo in po-

steriore parte cerebri accumulato. Alia causa visa est in plenitudine sanguinis biliosi quidem ad cerebrum affluentis, sed constipatione (στεγνώσεως) oborta et transspiratione arteriarum suppressa, et ita, ex intercepta earum pulsatione, calore nativo cerebri exstincto. Secundariam deinde eandem affectionem perhibebant, ubi bilis flava vel sanguis biliosus, atroci aestu febris assatus, lentorem contraxerit, vel in humorem melancholicum, qui ex utroque humore, tum sanguine, tum flava bile, parari posse videbatur, inspissatus fuerit. Sic praecipue phrenitidi et causo subnascebatur. (Gal. in Prorrh. I, 1, 14.[et 10. — Id. in Hipp. de humorib. 1, 1. — Id. de crisib., 2, 12.) Etiam in hac conditione cerebrum frigescere putabatur, exhausta virtute vitali s. calore innato. Per consensum denique nasci idem vitium opinabantur, vaporibus crassis, flatuosis, pituitosis ex remoto aliquo viscere inflammato, vel abdominali, vel diaphragmate, vel pulmone, ad cerebrum ascendentibus. (Gal. caus. sympt. L. II, c. 7.). Quam ob rem saepe non morbus sui generis, sed symptoma potius alii malo superveniens pathema typhodes dicendum fuisset. Spatium decursus non longum, etsi causa frigida et febris mitis tardum annuntiarent, sed propinqua, nisi naturae vires vel artis auxilium succurrerent, morte terminatum; malum ceteroquin continuum instabat, nec, nisi ex consensu cerebrum laesum fuerat, intermissio concedebatur. Exitus pro causae et vehementiae varietate varius; modo in sanitatem, symptomatum gravitate paulatim decrescente, metastasi benigna, vel critica evacuatione superveniente: modo in alium morbum, idque cum salute vel cum pernicie aegroti; modo denique in mortem, causa morbi naturae vires vincente. Hinc periculi magnitudinem aestimare licet, interdum extremi, ubi vires vitales exhaustae fuerint; ceteroquin vero status medelam non prorsus asper-

nabatur, quippe quae derivando, coctionem iuvando et evacuando naturam tentaret imitari et adiuvare.

---

§. 23.

Et haec quidem ad illustrandam, quae in libris pseudohippocraticis τυφώδης affectio vocatur. Galenus igitur, ad quem redeamus, mihi saltem pervestiganti non visus est, alias eius pathematis facere mentionem, nisi ubi Hippocratem interpretaretur, quo ipso conamine docetur, parum tunc temporis vulgarem illum nuncupandi usum fuisse , Galeno certe non solemnem, atque propterea explicatione indiguisse. Nihilominus autem ille eandem vocem in onomasticon rerum medicarum recepit, verum non ad vitium animalis facultatis designandum, sed ad febrium quoddam genus vel speciem compellandam. Etenim inde ab Hippocrate, qui non nisi mediocri nominum apparatu usus erat, ad Galenum usque ut ceterorum morborum, ita et febrium varietas paulatim accrevit, nominibus passim novis aucta et distincta. Praecipue vero Galenus ille plurimum meditatus est circa causas internas, tum decursus tum symptomatum, eruendas; quo studio multum contulit ad componendam et amplificandam doctrinam de humoribus cardinalibus, quibus peccantibus pleraque pars morborum existere medicis videbantur. Insuper, si qua inter auctores dissensio esset circa compellandos morbos, dum varii eundem morbum variis nominibus insignirent, componere litem maluit, facilis in verbis et nominibus variandis, dummodo in rebus distinguendis convenirent, et naturam probe intuerentur *). Ita circa indolem

---

*) Ἐξέστω μὲν ἑκάστῳ, χρῆσθαι τοῖς ὀνόμασιν, ὡς ἂν ἐθέλοι, φυλάττοντι τῶν πραγμάτων τὴν φύσιν. Meth. med. L. X, c. 5.; sic et iam alibi passim.

ipsius praeparati, videmus, eum in ceteris febrium speciebus typhodem aliquam scribere, quam vero uberius non depingat, sed obiter tantummodo commemoret, quare periculum faciendum est, eruendi ex variis locis, quorum quidem non nisi paucos invenimus, qualem Galenus hancce habuerit, et quomodo a ceteris febribus ipsa seiungenda sit. Inquirentibus autem liceat a communibus et magis universalibus notis febrium indagandis proficisci ad eas, quae speciatim de singulis enuntiandae sunt. Scilicet febribus, ut veteres, in iis praecipue Galenus, arbitrabantur, totum corpus incalescit, quoniam cor, qui focus est totius caloris eumque per arterias cum partibus communicat, a calore praeter naturam aucto comprehenditur. Calor iste vero vel in corpore cordis primitus sedem ponit, vel in ipsum aliunde emanat. In substantia quidem visceris conceptus est in febribus hecticis et in habitum eius (ἕξιν) firmatus, unde nomen inditum est morbo. Aliunde autem in ipsum emanat, cum vel a spiritibus (πνεύμασι) vel ab humoribus contentis cor incalescit *). Et a spiritibus calorem attrahit, cum calefacti et accensi hi cor primum et inde universum corpus calore imbuunt, unde febris ephemera nasci dicebatur, quae, quoniam in materia tenui, dissipabili; vaga, fomitem habeat, ideo terminatur citissime, et sic nomen a brevitate accepit. Ab humoribus denique in cordis corpus calor commigrat aliquando quidem simplex, vel ubi modice constipatum (στεγνωθὲν) corpus est et plethoricum, aut praeter naturam calidius evasit a vita lauta, exercitationibus etc. (Gal de caus. morb. 3.); plerumque vero, quod putredinem isti conceperunt. Omnia enim putrida alieno calida sunt calore, qui non concoquit, ut nativus, sed corrumpit, et extrinsecus supervenit per aestum, pestilen-

*) Cf. Gal. de differ. febr. L. I. init., ubi haec similitudine lebetis calefacti illustrantur.

tem constitutionem, victum depravatum etc. (Gal. differ. febr. 2, 11.). Qui calor, ubi ad cor transmissus est, prodit febrium putridarum diversos ordines, prout vel hic vel ille humor, et prout in hac vel in illo loco ipse computruit. Cuinam igitur harum febrium generi τυφώδης febris adnumerata fuerit, prima iam quaestio exoritur. Respondendum est: putridarum. Legitur enim apud Galenum (l. de differ. febr. 1. c. 9.), postquam notae sunt enarratae, quibus febres putridae agnoscantur: pro iisdem febribus esse habendas, quibus in accessionis vigore accedat, nec tamen ut inseparabile signum, indicium ardentis febris, vel epialae, vel lipyriae, vel semitertianae, vel typhodis, vel alius eiusmodi febris *); hae igitur omnes species sunt generis febrium ex humorum putredine consistentium. Idem confirmatur alio loco (Gal. in H. Aphor. 7, 42.); de quo statim plura dicentur; nunc vero febrium differentiae accuratius pernoscendae. Putrescunt in febribus humores bifariam, vel extra vasa, in ipso partium parenchymate, unde fit intermittens febris, vel in vasis, et nascitur continua (συνεχὴς), cuius totus decursus una accessio est. Verum etiam huius duplex ordo habetur; namque ubi omnes aequaliter putrescunt humores, febris vocatur συνοχὸς, eaque triplex est; aut enim aequali usque vehementia urget (ὁμότονος), aut decrescens (παρακμαστικὸς), aut increscens ad crisin usque (ἐπακμαστικὸς); ubi vero singularis tantum in vasis computruit humor, febris proprie συνεχὴς dicitur **), speciatim vero tertiana continua s. febris ardens (καῦσος), ubi putrescit bilis flava, cui respondet in intermittentibus tertiana

*) Τὸ κατὰ τὴν ἀκμὴν τοῦ παροξυσμοῦ προδεῖξαί τι σύμπτωμα καυσώδους πυρετοῦ, καὶ λειπυρίων εἰ φανείη συμπτώματα, καθάπερ οὖν καὶ τὰ τῶν ἡμιτριταίων, ἢ τυφωδῶν, ἤ τινος ἄλλου τοιούτου πυρετοῦ.

**) Cf. Gal. differ. febr. 2, 18. Id. in Epid. L. 1, s. 3. t. 2. Id. ibid, L. 6. s. 1. t. 29. — de crisib. 2. 6. et alibi.

(exquisita), ut eundem humorem agnoscens peccantem, quotidiana dein continua (*ἀμφημερινὸς συνεχὴς*, *καθημερινὸς*), ubi pituita, et quartana continua, quae rarissima est, ubi bilis atra in causa habetur. Ex his vero speciebus febrium ad quamnam *πυρετὸς τυφώδης* referendus sit, patet ex disertis verbis Galeni ad Epid. 6, 1, 29.: *καὶ τῶν συνεχῶν (λέγομεν) τὸν μὲν ἡμιτριταῖον, τὸν δὲ καυσώδη, τὸν δὲ κρυμνώδη, τὸν δὲ λοιμώδη, τὸν δὲ ἑλεώδη, τὸν δὲ ἡπίαλον*, quibus illa febris vocatur *συνεχὴς* et cum ceteris seiungitur a *συνοχοῖς*, quae paulo inferius ibi commemorantur. Alio loco idem effatur, verbis solummodo mutatis, *τυφώδη* enim febrem vocat, quam humores in venis putrescentes accendant (comm. in Hipp. Aph. 7, 42. — cf. eund. in H. Aph. 1, 12.). Harum porro febrium putridarum aliae cito decurrebant, aliae tardius; cuius discriminis causa potissimum in ratione ac natura specifica humoris putrescentis quaerebatur. Quae enim flavae bili adscribebantur depravatione putrida peccanti, celerius observabantur ad crisin pervenire, quemadmodum febris ardens et tertiana; quibus vero humor frigidus, ut pituitosus, in causa exstiterit, eae tardo decursu conspicuae erant (Gal. de crisib. 2, 11.), et quas humor concitaverit mixtus ex frigido et calido, medium tenebant inter acutas et diuturnas. Quem locum in hacce iterum varietate febrium *τυφώδης* obtinuerit, ab eodem Galeno traditum est; scilicet in commentariis in Hipp. Aph. 1, 12. tertianam is docet celeriter iudicationis fieri participem, diuturnam vero esse quotidianam, eaque diuturniorem quartanam, utpote utramque frigido humore, alteram humido, alteram sicco, provocatam. Inter continuas autem ardentes esse acutas, typhodes vero his diuturniores, inter utrasque medias esse semitertianas (*ἐν δὲ τοῖς συνεχέσιν οἱ μὲν καυσώδεις ὀξεῖς, οἱ δὲ τυφώδεις χρονιώτεροι, μέσοι δ' ἀμφοῖν οἱ ἡμιτριταῖοι*). At vero ex multis locis Galeni certissimum est, ardentes febres ex flava bile esse derivatas; non minus certum, semitertianas ex

bile cum pituita permixta, quae quum inter illas et typhodes febres celeritate decursus intermediae sint, decursus autem ipse indolem humoris peccantis sequatur, ita ut calidus morbum festinet, frigidus autem retardet, manifestum est, typhodem febrem tamquam frigidi humoris sobolem ex Galeni sententia considerandam esse. Sed quum frigidus humor modo siccus sit, ut atra bilis, modo humidus, ut pituita, malim hanc in causa illius haberi, quam illam, quia setertiana, quae ratione symptomatum febres a natura sibi invicem oppositas, tertianam et quotidianam coniungit, ratione decursus inter febres ardentem et typhodem, et ipsas sibi hac in re oppositas, media intercedit, ex connubio bilis pituitaeque, uti dictum est, habebatur procreata. Quasi igitur bilem cum tertiana et ardente, cum quotidiana vero et typhode pituitam communem habeat.

Est igitur, si materiam mali contemplamur ad symptomata relatam et complexum symptomatum ipsorum, inter febrem ardentem, typhodem et semitertianam, ut morborum universi corporis, eadem ratio, quae inter phrenitidem, lethargum et typhomaniam sive lethargophrenitidem, tamquam omnes partis singularis affectiones, sed ex diversa humorum ratione oriundas. Quae similitudo magis etiam elucet, quum observemus, phrenitidem ardentibus febribus solemnem fuisse (Gal. in H. Prorrh. 1, 18. — Duret, ad Hipp. Pr. Coac. 1, 89.), typhomaniam semitertianis (Gal. de typis c. 4.), denique, quod disertis quidem verbis apud veteres non video enuntiatum, verumtamen consentaneum est, secundum ea, quae in superioribus disputavimus, lethargum, qui apud Galenum maxime in typhodis affectionis locum apparet substitutus, febri, quam idem typhodem appellat, familiarem fuisse comitem atque eundem humorem agnovisse peccantem. Etenim si verum est, typhodem decursus ratione ardenti febri oppositam esse, illam vero pituita, hanc flava bile putrescente concitari, fieri non potest, quin cum quotidiana continua

(ἀμφημερινὸς συνεχὴς) illa conveniat, quae eandem prae se fert indolem, quam hactenus in febre typhode cognovimus. Typus nimirum in febribus continuis et intermittentibus sequitur, ut universus decursus, rationem humoris morbifici, sic ut bilis flava tertianum amet circuitum, unde in ardentibus tritaeophyae referuntur, continuae quidem, sed alternis diebus vehementius urgendo affinitatem cum tertiana subindicantes. Pituitae vero quotidianus typus solemnis est, igitur eadem ratione, qua intermittens quotidiana, quae simpliciter ἀμφημερινὸς vocatur, quotidiana continua, cui eadem morbi materies est, quotidianas habet, vel noctu, vel interdiu, exacerbationes, quare ab Hippocrate (Epid. 1, 3, 2 et 6.; L. 3, 3, 64.) πυρετοὶ ἡμερινοὶ et νυκτερινοὶ distinguuntur, utrique μακροὶ et συνεχεῖς dicti. Quoniam vero intermissio quotidianae febris non tam integra et pura erat a phaenomenis febrilibus (Gal. differ. febr. 2, 4.), veteres continuam remittentem cum intermittente videntur saepe commiscuisse, plerumque enim intermittentem videbant, modo exactam (ἀκριβῆ), modo spuriam, multo rarius continentem, quae confusio propterea facilis erat, quoniam utraque species quotidianae eandem servabat rationem causarum, symptomatum, decursus et connubii cum aliis morbis, nec nisi typo variabat, eoque uti dictum est, plerumque non luculenter expresso (Gal. de crisib. 2, 6.).

---

§. 24.

Sed in hoc consensu febris typhodis cum quotidiana continua quaerere aliquis possit, utrum illa ad hanc veluti species ad genus, referatur, an omnino cum hac ita conveniat, ut promiscue possint haberi. Quam circa rem dubiam, etsi in Galeni operibus nihil certe constitutum invenio, nihilo secius existimaverim, typhodem

apud ipsum cum quotidiana continua eundem morbum significare, qui ita promiscuo nomine vocatus sit. In eam vero sententiam, quae sane nihil nisi coniectura est, haec me adduxerunt observata. Primum, nullibi locorum eorum, in quibus febris typhodes inter ceteras febrium species enumeratur, ut in Gal. comm. in H. Aph. 7, 42. — ibid. comm. in 1, 12. — id. in Epid. 6, 1, 29. — Differ. febr. 1, 9, quotidianae continuae fit mentio, quamquam in omnibus commemoratur febris ardens biliosa, quae, ut affinis simul et opposita species, quasi iubeat illius mentionem exspectari, siquidem, ut bili tamquam febrium causae, ita et pituitae, easdem partes agenti, sua iura erant vindicanda. Sed in locum eius febris pituitosae substituta est typhodes, neque ullo loco utriusque nominis mentio mihi occurrit coniuncta, ut colligi inde potuisset, discrimen inter typhodem et quotidianam vere intercessisse. Deinde compluribus locis, ut ardentes febres complures (e. g. Gal. in H. Aph. 1, 12.), sic etiam non singularis, sed plures τυφώδεις dicuntur, unde hae videantur habere notam generis, cuius species forte differant, ut eiusdem ardentis, parte peculiariter laesa, symptomate quodam excellente, decursus ratione e. s. p. Denique passim Galenus quotidianam febrem ita describit, ut videatur, praesertim de calore illius verba faciens, ante oculos habuisse propriam virtutem verbi τύφεσθαι et τυφώδης. Ait enim (differ. febr. L. 2. c. 4.) τὴν δὲ τοῦ φλεγματώδους χυμοῦ θερμασίαν εἰκάσαις ἂν πυρὶ καπνώδει ξύλων χλωρῶν ἐξαπτομένων; mox id, quod in hac febre consumitur, dicit ὑποτυφόμενον, verbo ipsi haudquaquam familiari, sed quod h. l. aptissimum ad rem designandam ei videatur, quo tacitus subindicat, febrem eiusmodi calore et tali combustione materiae conspicuam, mereri, quae τυφώδης nuncupetur. In eodem libro c. 17. de simili febris calore disserit his verbis: τύφεται τοιγαροῦν δίκην ξύλων ὑγροτέρων ἀθρόως ἐπιβληθέντων ὀλίγῃ φλογί etc. — in l. ad Glaucon. 1. 7.

καπνώδη τινὰ θερμασίαν ἀτμῷ πολλῷ συμμιγῆ δόξαις ἀνιέναι; quae cum iis conveniunt, quae in fronte huius libelli ex Photii et Hesychii commentariis ad virtutem verbi τύφος etc. constituendam exscripsimus. Ex his praeterea liquet, qua causa et quo sensu quotidiana febris τυφώδης dicta sit, quasi ex fumosa flamma constans, eaque ardore externo non admodum conspicua, tardius materiam, ut accensu difficilem (δυσεκθέρμαντον, δυσέξαπτον, Gal. diff. febr. L. 2. c. 4.), comburens; atque sic quidem calor febris ex pituita concitatae opponitur ardori causi et tertianae febris, qui luculentus accenditur, quemadmodum ignis plane purus, in quo nulla fumosa caligo invehatur *). Tali modo illa febris τυφώδης dicitur quasi per metaphoram et in differentiam et oppositionem caloris contra ardentem (καῦσον), et ita percepta a compluribus redditur succensa (Chartier), fumosa **). Non igitur est, quod moneamus, in hoc usu v. τυφώδης non esse respectum ad male affectam facultatem animalem, et stupore depressam, quemadmodum intelligendum illud est in libris Hippocraticis de morbis popularibus, sed ad calorem extrinsecus non conspicuum, mitem, ex igne tardius depascente (cf. Budaei et H. Stephan. thes. v. τύφεσθαι). Praeterea in eandem sententiam de consensu febris typhodis cum quotidiana continua discessit Cardanus (contradict. med. L, II. s. 5. c. 29.), verumtamen speciem quotidianae febris typhodem esse existimat, qua in re propter dictam rationem ab ipso dissentio.

Quum vero duplex illud nomen uni eidemque febri existat, haec autem apud Galenum non nisi sub quotidianae titulo accuratius descripta nobis occurreret,

---

*) Gal. differ. febr. l. 2. c. 4. Ἡ θερμασία, — ἐξάπτεται λαμπρὰ, καθάπερ τι πῦρ ἀκριβῶς καθαρὸν, οὐδὲ μιᾶς ἐμφερομένης αὐτῷ καπνώδους ἀχλύος.

*) Gal. differ. l. 2. c. 4. ὑποτυφόμενος dicitur quotidiana, quae tertianae febri associatur.

hanc expositionem ad febrem typhodem iure nostro transferemus. Itaque febris τυφώδης illa Galeni s. quotidiana continua (ἀμφημερινὸς συνεχὴς) ex pituita putri nascitur (Gal. differ. febr. 2. c. 1, 2. et 4.) in habitu corporis pituitoso, tempore hiberno, quo regnat pituitosa diathesis, et constitutione aëris frigida. Amat praeterea aetatem puerilem et senilem, regionem frigidam et humidam, vitam otiosam simul cum repletione ciborum, potissimum tenacium et pituitosorum, et stomachum male affectum (Id. de typis. c. 4.); nec non eos, qui post cibum vel in umbra lavantur *). Incipit autem a frigore partium extremarum atque horrore potius (ἀπὸ φρικῆς), quam rigore (ῥίγους), et propter humoris tenacis temperamentum frigidum et humidum tardius increscit ad vigorem. Difficulter enim pituita incalescit (vid. supr.) ac tarde movetur, saepe in ipsis meatibus haerens, ac premit interdum gravatque vires atque pulsum in insultu, quem primo incremento inaequalem efficit magisque debilem et parvum (Id. differ, febr. l. c.), et obscuriorem, rariorem et tardiorem, quam in tertiana; sic etiam habetur, quando quotidiana febris cum tertiana complicata est, in semitertiana, illis horis scilicet, ubi la pituita febris accessio urget. (Id. l. c. 2, 7.; de crisib. 2, 9.). Calor contingenti primo humentior et vaporosus potius (ἀτμώδης) quam mordax sentitur; diutius autem immorante manu paulatim acrimonia accedit, eaque maxime inaequalis (δακνώδες ἀνώμαλον), ita ut per colum (ἠθμὸν) quoddam vel cribrum (κόσκινον) transmitti videatur **) (Id. differ. feb. l. 2, c. 1. fin.). Cuius inaequalitatis causam, quum aliae febres ex humoribus conciliatae aequabiliter

*) Id. de typis l. c. — com. in Epid. l. 1. s. 3. t. 1. — (cf. Hipp. de morb. L. IV.) — Gal. in Hipp. de humorib. l. 1. c. 1. — Id. de crisib. l. 2. c. 5. —

*) Similiter calor et pulsus describuntur, in l. ad. Glaucon. I, c. 7., ubi calor quotidianae febris comparatur cum igne in humore potius exstincto, quam ipsam materiam evincente.

occurrentem calorem habeant, Galenus quaerendam esse putat in lentore et spissitudine humoris atque ita dissolutionis difficultate (ibid. c. 12.). Nulla his febribus adiuncta est motus velocitas vel magnitudo vel vehementia, quae solemnia sunt ardentibus et tertianis, neque coguntur aegri corpora denudare, neque multum aut frequenter respirant, neque sitiunt. (Id. de crisib. 2, 5.) Propter quam caloris mediocritatem et febris segnitiem evacuationes paucae in hac febre existunt; urinae enim primis diebus tenues, albae, aquosae, sicuti in quartanis incipientibus (d. Crisib. l. c. c. 4,), atque iisdem diebus minime sudant, sed progrediente tempore sudor accedit (l. c. c. 5.). Longitudo accessionis diuturnior (Id. differ. febr. 2. c. 4.), namque protrahitur illa crassitie et multitudine excrementi in vasis et carnibus retenti, ac propter virium imbecillitatem et meatuum infarctorum angustiam (ibid. c. 16.). Accedit vero, vel acerbius instat febris quotidie sub vesperam modo (Id. de crisib. 2, 5.), modo etiam interdiu, unde nocturnae et diurnae febres iamiam ab Hippocrate ferebantur (Epid. l. 3. s. 3. t. 64. — 1. s. 3. t. 2. et 6.), Neque per declinationes accessionum integre purgatur, quae intermittens dicitur, sed materiam quasi, quae aestu amplius consumenda sit (*οἷον ὑποτυφόμενον*), relinquit. (Id. diff. febr. l. 2, c. 4.). Inde intermissio multo minus sincera redditur; ac putavimus propterea in hac descriptione continuam cum intermittente non inepte posse coniungi, praesertim quum a veteribus ipsis propter similitudinem non strenue discretae esse videantur (Id. de crisib. 2, 6.). Utraque praeterea recensetur in diuturnis morbis febri ardenti et tertianae opposita (ibid.), et comitantur eam praeter habitus humiditatem, cuius mentio iam facta est, pituitosi vomitus, tensio et tumor praecordiorum (l. c. c. 5.), et totius corporis gravitas et torpor, mentis pigritia, somnus caroticus et cataphoricus, pulsus in declinatione magnus (*διογκοῦται*, Gal. de ty-

pis c. 4.), rarus et laxus (χαῦνος), facies subtumida, flaccida, mollicula (πεπονώδης), tumores oedematosi, pustulae latae, (quales in Simone observabantur, Epid. l. 7.), color humoris speciei respondens, albescens, leucophlegmaticus (Gal. in Hipp. de humorib. l. I., c. 1.). Facile subsequitur lienis durities et, malo inveterascente, tremulae et lethargicae cataphorae, hydrops (Id. de typis. c. 4.). Ceteroquin longa quidem haec febris est, nec tamen admodum lethalis (Hipp. Epid. 1, 3, 6.); iudicatur sudoribus, vomitu et deiectionibus pituitosis (Gal. crisib. 3.3.). Saepe eam febrem, et continuam et intermittentem, complicari observabant cum tertiana, eaque ipsa modo intermittente, modo continua, qualis typus ἡμιτριταῖος vocabatur atque periculi gravissimi notam habebat *), ab ipso Hippocrate iamiam observatus et in Epid. l. III. saepius commemoratus. Comparebant in hac febre, cuius complures species habebantur, signa febris biliosae cum pituitosae indiciis permixtae, ac difficilis eius habebatur solutio, propter materiam febris compositam. Varii enim affectus, ut Galenus animadvertit ad Hipp. Aphor. 4, 40., vel ex variis humoribus conflati, semper diuturniores fiunt, quam qui sunt unius modi et formae; quum natura brevi tempore composita vitia subigere et concoquere nequeat. Nihilominus recte haec eidem Galeno dici poterat minus diuturna, quam febris typhodes (pituitosa); nam biliosus fomes pituitosi humoris, cui adiectus est, segnitiem accelerat, unde serius quidem quam febris biliosa, ardens, iudicabitur, nam bilis celeritatem pituita hic detinet, citius vero quam quae ex sincera pituita provocata est (Gal. diff. feb. 2. 8.). Semitertiana febris plerumque continua est, interdum vero intermittens; ab Hippocrate, teste Galeno de typis c. 4., modo acutis modo diuturnis morbis adnume-

*) Cf. de eo Gal. de typis, c. 4., eund. differ. febr. 2. 7. et alibi passim.

rabatur; in pestilenti constitutione (Epid. L. III.) haud infrequens erat, symptomata secum ducebat gravissima, typhomaniam, cum qua eandem habebat morbi materiem, syncopen, lethargum.

Sed silentio hic praetereunda non est quaestio, an ex Galeni sententia partis cuiusdam peculiaris pathema, tamquam inseparabilis comes, ad naturam febris typhodis pertineat, qua sine existere haec non possit. Hoc nimirum Aetius de illa febre praedicat, ut mox videbimus. Galenus vero ipse negare nos iubet hanc quaestionem, namque ad Aphor. L. VII, 42. febrem typhodem ad eos morbos refert, in quibus sine partis inflammatione humores in venis putrescant. Post commemoratas partium nobiliorum inflammationes, quibus febris ut symptoma accedat, pergit: *ἐφ' ὧν δὲ χωρὶς μορίου φλεγμονῆς, οἱ κατὰ τὰς φλεβὰς χυμοὶ σηπόμενοι πυρετὸν ἀνάπτουσιν, ἐπ' ἐκείνων μόνων ἔλεγον ὑπὸ πυρετοῦ τὸν ἄνθρωπον ὀχλεῖσθαι, καὶ πυρετὸν ἔχειν αὐτόν. Ἐπ' ἐκείνων δὲ καὶ τὰς διαφορὰς τῶν πυρετῶν ἔγραψαν, ἡπίαλον, καὶ λειπυρίαν, ἕλκώδη τε καὶ τυφώδη, καὶ λοιμώδη καὶ καῦσον.* Idem praedicat de febribus pituitosis et biliosis (de crisib. 2, 6,), atque amplius ita confirmatur sententia nostra, typhodem febrem, ex pituita oriundam, et quotidianam continuam iuxta esse putandas.

---

§. 25.

Hactenus typhodem febrem Galeno auctore cognovimus tamquam insignem caloris mediocritate, decursus diuturnitate, itaque materiae febrilis tardiore consumtione, quae omnia contraria habeantur in febre ardente. Alicubi vero non hisce indiciis, sed humiditatis nota causo opponitur, quae verba, quum reliquis, quae de typhode febre animadversa inveniuntur, incongrua esse viderentur, in dubium complures interpretes coniece-

runt. Ait enim in l. adv. Lycum, c. 2. Galenus: „Febrium ipsarum nonnullae plane siccae sunt, quemadmodum ardentes sincerae (*ἀκριβῶς καῦσοι*), aliae vero maximopere humidae, uti quae typhodes vel helodes vocantur (*τινὲς δὲ ἐσχάτως ὑγροὶ, καθάπερ οἱ τυφώδεις ἢ ἑλώδεις ὀνομαζόμενοι*). Quod si quis, pergit auctor, hisce vocabulis non oblectetur, aut ad aliam rem dicta cognomina adferre consueverit, explicabo, quas febres humidas esse dicam: Quum a primo quidem die aegri sudant, ipsisque sudoribus aut parum aut nihil omnino levantur*), has ego febres humidas appello, siccas vero, in quibus vehemens urget sitis et lingua arida, et cutis tamquam dura et ingens in toto corpore squalor est.“ Haec ille. Nobis vero perscrutandum est, quomodo haec cum iis conveniant, quae de febre typhode iam disseruimus tamquam pituitosa.

Profecto sudores effusi, a quibus nihilominus levamen aegro non accedat, largum indicant humorem eumque vel maxime pituitam. Simul iidem, si circa initia morbi apparent, quo tempore crisis bona fieri nondum potest, longitudinem febris praenuntiant (Hipp. Progn. 1, 26.), quum redundans materies, prae ceteris frigida, sero demum et difficulter subigi a natura et concoqui possit, nisi ipsa haec a multitudine obruta, potius exstinguatur. *Τὰ κρίσιμα*, ait Hippocrates (Epid. 2, 1, 7.) *μὴ κρίνοντα, τὰ μὲν θανατώδεα, τὰ δὲ δύσκριτα· τὰ προκρινόμενα, ἢν ὡμῶς κριθῇ, ὑποστροφαὶ, ἢν δὲ μὴ, ἀκρισίαι, γένοιτο δ' ἂν καὶ ὀλέθρια τὰ μὴ σμικρά.* Eiusmodi febres ex egregia copia humorum crassorum et crudorum provocatas idem Hippocrates observavit (de quibus cf. Epid. l. 1. s. 2. t. 25 — 27., ibid. s. 2. t. 10 et 11.), in qui-

*) Huic sudatoriae febri similis describitur *ἱδρώδης* ap. Hipp. Epid. l. 6., s. 7. t. 1 et 2, cuius curandae methodus insuper docetur. Febris ipsa haec mediocris, fere longa, difficilis iudicatu, sitis non vehemens.

bus non levamen sudores, sed noxam potius inferre viderentur, quare Galenus ipsos in commentariis inter maligna refert symptomata. In his igitur typhodes febris, quae humida modo vocabatur, cum indole illius convenit, quam supra ut pituitosam descripsimus. Differt autem tempore, quo prodeant isti sudores; eos enim a primo statim die exortos habet; in illa vero (Gal. diff. febr. 2. c. 4. Id. de crisib. 2. c. 6.) primis diebus sudor minime adesse dicitur, propter segnitiem febris. Quae contradictio, nisi in levitate Galeni explicationem habet, qui festinante calamo negligentius libros ita conscriberet, ut multis locis sententiae sibi repugnent, sic forsan nonnihil avertitur; ut statuamus, febrem in l. adv. Lycum c. 2. commemoratam, aliquando diversam fuisse a typhode illa, quae cum pituitosa, quotidiana conveniret, ita ut haec legitima, sincera, illa vero pro spuria habenda sit, in qua praeter pituitam alius humor, isque acrior (bilis) admixtus tantopere morbum festinaverit, ut citius, quam in sincera pituita, humorum excretio perageretur, etiamsi propter multitudinem morbo tollendo non sufficeret. Sic etiam Hippocrates (Epid. 1. 2, 26. 27.) sudores illos copiosos, verum inutiles, in semitertiana febre maligna observavit biliosis symptomatibus stipatos.

Sed quum adv. Lycum c. 2. typhodi febri helodis mentio adiecta sit, quaesiverunt nonnulli dubitantes, num unum eundemque morbum duplex nomen designet, an discrimen inter utramque hanc febrem intercedat. Ambigua omnino et mihi res esse videtur, quae in utramque partem possit diiudicari. Diversas quidem fuisse dixerim, si typhodem hoc loco dictam eandem intelligamus cum ea, quae Gal. in H. Aphor. 7, 42. et in Epid. 6, 1, 29.) commemoratur (dum modo ἑλεώδης, ut ibi legitur, et ἑλκώδης eadem sit, quae ἑλώδης); namque his locis, in quibus species febrium diversae exhibentur, nuncupatur praeter typhodem helo-

des; quarum haec ab interpretibus redditur: palustris, illa vero: succensa. Itaque differentia aliqua iis non interesse non potuit. Sed si febres typhodes humidae ab iis differunt, quae in commentariis ad Hippocratem commemorantur, id quod magis mihi verosimile est; possit forsan cum helode febre iuxta haberi, siquidem a vulgari usu scribendi aliquantum recedamus. Scilicet hoc dico: Nonne suspicandum foret, pro τυφώδεις illic primitus scriptum fuisse τιφώδεις? Τῖφος enim idem denotat, quod ἕλος (palus, stagnum), unde τίφη, planta aquatilis et τιφώδης i. q. ἑλώδης. Forsan itaque per similitudinem vocis fieri poterat, ut, certe hoc loco, nomen τιφώδους πυρετοῦ in τυφώδη abiret, utpote quae dicendi ratio alioquin magis usitata fuerit. Cuiusmodi conversiones praeterea complures factae sunt a Galeno, vel emendandi studio vel negligentiae culpa, quas enumerandi locus hic non datur. Si vero nominis primitivam vim intueri animus est, febris ἑλώδης s. τιφώδης, vel a similitudine aquae stagnantis dicta, notam praebebat tarditatis et impuritatis, quare sic etiam facilis erat verbi τιφώδης in τυφώδης transmutatio; vel ab origine e miasmate paludum, quo ex fonte veteribus morbi maligni saepius enasci videbantur, et ipsi humorum, praesertim ad caput tendentium, multitudine conspicui, itaque a pituitoso fomite non adeo alieni *).

§. 26.

Non inepte febris haec typhodes comparabitur cum pathemate supra dicto typhode. Causa quidem efficiens utrique vitio, certe sincero, adscribebatur frigida et humida, pituita, cui in febre quidem nonnihil caloris a pu-

*) Cf. Gasp. a Reies, Elysius iucundar. quaest. campus. Qu, 68. L. Cael. Rhodiginus, Lect. antiqu. L. V, c. 12. ed. Aldin.

putredine accederet, eaque causa huic in venis repo-sita, illi vero, pathemati, cerebrum obtinens. Eadem materia morbi in spuriis etiam hisce malis agnoscebatur, hoc autem posito discrimine, ut in febre illa pituitae, siquidem coniecturae locus est, bilis nonnihil esset ad-mixtum, in pathemate vero refrigeratio cerebri ex bile flava derivaretur, vel sanguine copioso, propter aestum febris in melancholicum succum, indole sua frigidum, inspissato, vel ex calore innato et facultate vitali per lentorem copiamve sanguinis bilisve et aestum febris praeternaturalem consumto vel exstincto. Inde com-munis utrique malo erat nota segnitiei, tum in anima-libus, tum in vitalibus, tum etiam in naturalibus fun-ctionibus, quam propter affinitatem lubentissime in ae-gris sibi associabantur, ut affectio partis febri, univer-sali morbo, symptomatis vice adiungeretur, adeoque priva esset eidem. Et uti typhodes haec ardenti febri oppo-nebatur, ratione materiae efficientis, decursus, caloris, excretionum et reliquorum symptomatum, anni tempo-ris, corporis naturae, vitae generis, aetatis etc., quibus amica esset, sic affectio typhodes, (lethargus, carus etc.) circa eadem fere momenta contraria dicebatur phreni-tidi; inter hanc vero et ardentem febrem plane eadem ratio intercessit, quae inter affectum et febrem typho-dem s. pituitosam. Nec tamen huic in rebus consensui, quo utrumque hoc malum coniunctum erat, nominis de-bebatur concentus. Hoc enim diversa ex ratione indi-tum, diversam habet virtutem, et in affectu typhode, uti vidimus, notionem reddit fumi vel vaporis cerebri fa-cultatem exstinguentis; in febre autem calorem innuit vaporosum, ex superficie corporis accedentem et cum largo fumo materiam morbi tardius depascentem.

§. 27.

Ex recentioribus medicis, qui *τυφώδη πυρετὸν* interpretantur, plurimi Aetium auctorem sunt secuti; nonnulli huius sententiam cum iis commiscuerunt, quae Galenus circa hanc rem tradiderat, pauci plane ab illo recesserunt. Nihilominus vix luculentius apud Aetium invenimus febrem illam describi, quam a Galeno vel Erotiano. Ait enim (Tetrab. II, 1, 89.), ubi hepar erysipelate afficiatur, febrem inde ortam typhodem appellari, ubi ventriculus, *λειπυρίαν*, et ubi pulmones, *κρυμνώδη* *). Addit deinceps, talem febrem typhodem refrigerantibus eduliis ac potibus impugnandam et externis medicaminibus eiusdem virtutis opus esse, ad quem usum commendantur lactucae humidae et dulces, portulaca, plantago, atriplex, et extrinsecus adhibendum oleum rosaceum.

Affectionibus partium, etiamsi febre stipatae essent, veteres pro ratione ac varietate laesi instrumenti nomina tribuere consueverunt, e. g. phrenitides, pleuritides, hepatitides, et febrem ipsam, quamvis ad naturam illorum pathematum necessaria accederet, adeoque indolem ipsorum dirigeret, pro symptomate, non pro morbo ipso constituere (Gal in Hipp. Aph. VII, 42.), pauci solummodo febres ex laborante quadam parte accensas ab hac cognominabant, lienariam, pleuriticam, hepaticam etc., vocantes. (Id. in eiusd. Epid. L. VI., s. 1. t. 29.). Hisce partibus laesis suam cuique diversam et singularem febrem oboriri, Galenus auctor est, sive inflammatione sive erysipelate laborent; et aliam esse formam febris phreniticae et peripneumonicae et pleuriticae et hepati-

*) Falso haec interpretandi ratio Galeno adscribitur a Gorraeo (definit. medic. v. v. *τυφώδης*), quem secutus esse videtur Hildenbrandus (üb. d. anſteck. Typhus p. 2.).

cae, nec non aliarum febrium, quae ex partibus quibuscunque inflammatis concitentur; et iterum diversas esse species earum, quae ex erysipelatibus accidant, et febres quidem ardentes malignas (κακοήθεις καύσους) supervenire, si pulmonem, vel hepar, vel ventriculum erysipelata petierint *). In quibus omnibus externus quidem calor mitis est (Gal. d. crisib. 3, 4.), minor interdum naturali, ut in lipyria, sed ab interna affectione gravia prodeunt symptomata: febris nunquam intermittens, sed omnes tritaeophyae, tertianae naturam typo referentes. Leniter Hippocrates eas observabat incipere, in totum perpetuo increscere, diebus iudicatoriis atrocius exacerbari, in deterius magis magisque procedere, parum remittere et quam primum rursus ex remissione vehementius invadere (Hipp. Epid. 1, 2, 25, — ibid. 3, 3, 25 et 33. c. comm. Galen.). Erysipelas in hisce malignis febribus ardentibus modo in externis partibus haerebat (H. Epid, 3, 3, t. 11. 22. 30. c. comm. Gal.), modo in profundum secedebat ad principes partes (Gal. ibid. t. 25. et 33.). Fieri autem erysipelata dicebantur multa flava bile ad partem aliquam decumbente; vel pura, vel sanguine permixta, vel sanguine simplici quidem, sed fervido et substantia tenuissimo (Gal. de crisib. 2, 12. — id. ad Glaucon. l. 2. c. 1. — de comp. med. sec. loc. 2, 1.). Hac ratione febres cum erysipelatibus internarum partium ad ardentes omni iure relatae sunt, tamquam eiusdem humoris morbifici participes, ipsaeque hae ardentes tunc maxime gigni dicebantur, quum in iecinoris et ventriculi venis bilis abunderat (Gal. in H. Epid. 1, 2, 20. l. 3, 3, 11.). Et ii auctores ex recentioribus, qui typhodem febrem speciem esse aiunt ardentis, ut Gorraeus (definit. med. v. τυφώδης), Mercurialis (Prael. Pisanae in hist. Epid. p. 273.) et al. procul du-

*) Gal. de crisib. l. 2. c. 7. — Id. d. loc. labor. l. 5. c. 7. — Id. in Hipp. Progn. 1. 55. —

bio Aetii solum hoc indicium intuentur. Cui opinioni de bilioso mali fomite respondet etiam cura, quae contra humorem siccum et calidum humectantia et refrigerantia in usum vocat; contraria enim contrariis impugnari iubent Hippocrates et Galenus multis in locis (e. g. Comm. in Hipp. Epid. 6, 2, 9.); ceteroquin oleo rosaceo repellendus et discutiendus humor est, qui ad hypochondrium decubuit, ut deinceps, primario malo sublato, febris, quae symptomatica vel secundaria est, sponte discedat.

Haec ipsa vero num a mediocri calore typhodes dicta sit, quemadmodum Galenus videtur verbum τυφώδης recepisse, an ob cerebri affectionem, quae secundaria via ex hepatis malo nasceretur, posset forsan dubitari. Qua in causa equidem posteriorem explicandi rationem praetulerim; namque si τυφώδη pariter hic accipiamus, ac πυρετὸς βληχρὸς, χλιαρὸς, qualis in malignis febribus animadvertitur (Gal. de crisib. 3, 4.), non intelligamus, cur ceterae febris ardentis malignae species quotquot ex erysipelatibus viscerum oriuntur, non eodem nomine insigniantur, nam eandem caloris prae se ferunt mediocritatem. Praeterea necessario acuta est et cito decurrens febris nostra, qualis non bene convenit cum illa virtute verbi τυφώδης, quippe quae tardam subindicat materiae consumtionem. Sed potissimum me movent testimonia auctorum de consensu hepatis laesi cum cerebro, ut febrem, de qua disputatur, stupidam habendam esse censeam, i. e. hebetudine et oppressione facultatis animalis conspicuam. Inter illos Aretaeus rem ita enuntiat, ut Aetius eum quasi presso pede videatur secutus esse. Scilicet ubi de acutis iecinoris affectibus ille referens signa hepatitidis exponit (d. caus. et sign. acut. L. II., c, 7. ed. Boerh. 1735.), haec verba interiicit: ἀεὶ ἐπαυξέα γίνεται τὰ πάθεα· γνωμὴ οὐ κάρτα παράφορος νωθρὴ, μετέωρος, τετυφωμένη, ὄκνος πουλὺς, ψύξις ἀκρέων, τρόμοι, ῥίγεα, λύγξ κενὴ, σπασμώδης, ἴκτερος etc.

Quo ex fragmento similitudo mali elucet cum lethargo, vel affectu typhode, secundario, qui ad modum paraphrenitidis per consensum cum viscere aliquo remotiore subnasci perhibebatur. Scilicet et in hoc et in omnibus similibus cerebri vitiis, quae per consensum fiunt, non ab initio mali symptomata urgent animalis virtutis laesae, sed in fastigio vel summo incremento morbi oriuntur, et vaporem aliquem mordentem et calidum ad cerebrum ascendentem (*θερμὸν ἀναθυμιώμενον*) causam habent. (Gal. de. caus. sympt. l. 2. c. 7.) Haud aliter idem Aretaeus (caus. morb. diuturn. 1, 13.) de iis scribit, qui inflammatione et abscessu hepatis laborant: *ὕπνοι καθαροὶ φαντασίῃ οὐ μάλα· νηφάλεοι μὲν ἐς παντὰ, ἐς ἓν δέ τι τῶν προσκαίρων ἐξαπίνης παρακοπαὶ, καὶ κατεστάθησαν εὐθέως.* Intelligitur autem ex his, non solum in erysipelate, sed in aliis etiam affectibus iecinoris illum connexum cum cerebro veteres medicos non latuisse. Morbi hepatis ab Aretaeo in universum periculosissimi habebantur et lethales; quo maior enim dignitas huius partis erat in nutriendo corpore et tuenda valetudine, nam facultas alteratrix auctore Galeno (Loc, affect. 5. 8.), et sedes animae appetitricis (*τοῦ ἐπιθυμητικοῦ τῆς ψυχῆς*) ex doctrina Platonis in ea ponebantur (Gal. d. loc. affect. 3, 5. — Aret. Caus. acut. 2, 7.), tanto maius periculum inducere videbatur morbus illam infestans, inprimis violentus, ut inflammatio et erysipelas. Sed non acquiescamus in Aretaei auctoritate, quamvis eum ob diligentiam observationis magni facimus et alterum Hippocratem merito praedicamus, sed ipse Hippocrates, vel quicunque auctor est| libri de int. affect. II., hepatitidem describit (paulo ante typhi historiam), quae nascatur ex bile cum pituita et sanguine permixta, et cui, febrem adducenti acutam, symptomata cito accedant cerebri in consensum tracti. Etiam morbi crassi altera species, quae in eodem libro descripta est, et ean-

dem fere, quam hepatitis illa, causam habet, cerebri in societatem pathematis adiuncti praebet exemplum.

Nec tamen crediderim, febrem typhodem, qualem Aetius agnoscit, omni in erysipelate vel simili vitio hepatis veteribus esse visam; namque Galenus, qui magno verborum apparatu (loc. affect. 5, c. 7 et 8.) erysipelas et cetera hepatis vitia depingit, non meminit cerebri secundaria vice laesi, neque alius cuiusdam signi, quod cum febre typhode congrueret; sic alii etiam auctores veterum, quos hac de re comparare mihi licuit, illum consensum silentio praetereunt. Forsan itaque, nam in tanta rei obscuritate pro certo quidquam affirmare non ausim*), non qualemcunque febrem erysipelati hepatis adiunctam Aetius vocabat τυφώδη, sic enim haec cum legitima febre ardente plane convenisset, sed eam tantum, quae cerebri facultatis excelleret secundaria laesione, et calorem inde externum quidem minutum, sed, intus eo gravius turbando, malignitatis notam proderet, et quae propterea Galeno hac conditione κακοήθης καῦσος cum similibus morbis vocata sit. Quod si ratum habere licet, similitudo elucebit inter typhodem hanc febrem et paraphrenitidem; utraque enim nascebatur tamquam symptoma visceris alicuius primario loco laborantis, secundaria autem vice cerebri facultatem laedentis, illa quidem obtundentis, vel debilitantis', haec vero cum alienatione excitantis; singulae singulis respondebant protopathicis cerebri vitiis, quorum ipsae imaginem referrent, haec phrenitidi, illa affectioni typhodi vel verae et sincerae, vel spuriae, ob sanguinis biliosi spissitudinem vel copiam genitae. Quin etiam ipsa febris haec typhodes cum secundaria affectione typhode, de qua supra diximus, convenerit. Iisdem porro paraphrenitis et febris typhodes humoribus peccantibus nasci dicebantur, in hoc autem sic certe di-

*) Gal. comm. in Hipp. Prorrhet. 1, 70.: ἐν ταῖς ἀσαφέσι ῥήσεσιν, ὡς ἂν ἐθέλοι τις ἀκούειν, ἔξεστιν.

versae, ut in illa primaria visceris laesio gravioris mali (inflammationis) formam, in febre typhode minus conspicuam speciem (erysipelatis) induere videretur, unde putandum est, inflammationis signa in paraphrenitide magis fuisse manifesta. Etenim quod erysipelas, non inflammationem hepatis, causam febris typhodis refert Aetius, innuere videtur, specificam indolem huius affectionis eam esse, in qua non emineant signa inflammati visceris, sed cerebri potius male habentis ac nervosa, quae nos dicimus, symptomata. Denique utraque affectio comparata convenit inter se tamquam species febris ardentis perniciosae, et curam propterea postulabat humori peccanti et primario malo accommodatam. Atque ita Aetius maxime a Galeno discedit, quod hic causum scribit contrarium febri typhodi, ille autem, ut ex ceteris praeceptis veterum persuasum nobis est, hanc illi tamquam speciem vel varietatem subiungit.

Exempla eiusmodi pathematis in libris Hippocratis de popularibus morbis haud rara inveniuntur. Is enim diligentius hypochondrii (praecipue dextri) conditionem, eamque quotidie explorabat et notabat scriptis, unde factum est, ut in multis perniciosae febris ardentis et phrenitidis historiis tensa, retracta, dolentia etc. legamus fuisse hypochondria, in quibus omnibus erysipelas, vel phlogosin hepatis adfuisse, credendum non est, sed obstructionem potius humorum crudorum eo congestorum; e. g. in Sileno, Herophonte, Erasino, muliere, quae in littore decumbebat; quorum morbi in Epid. l. 1. s. 3. describuntur. In his cerebri affectio fere praecessit hepatis tumorem. Verumtamen Apollonii historiam, quae Epid. 3, s. 3. t. 13. narratur, febris typhodis exemplum referre existimaverim, quod iis, quae de natura huius mali modo disputavimus, illustrandis possit inservire. Haud scio denique an eandem febrem in illis agnoscere liceat, qui in Coac. Praenot. 2, 2, 6. traduntur *κωματώδεες, ἀσώδεες, ὑποχονδρίον* (dextrum) *ὀδυ-*

νώδεες, σμικρὰ ἐμετώδεες τὰ παρὰ οὖς ἴσχουσι (ἐπάρματα), πρόσθεν δὲ περὶ τὸ πρόσωπον ἐπάρματα μετὰ κώματος. Coma in hac observatione etiam Duretus (ad h. l.) dicit per contagionem viscerum cum cerebro nasci, et crudo humore vel vapore ad caput translato. (cf. ibid. 2, 2, 2.).

Quod vero rationem attinet mutuam, quae intercederet inter febrem typhodem hancce et ceteras causi perniciosi species, lipyriam, febrem asodem etc., hae omnes convenire videbantur in causa, quae in inflammatis vel erysipelate prehensis visceribus ponebatur, differre autem specie symptomatum eminentiorum. Etenim haud aliter atque animalis facultatis laesio in typhode febre super ceteris morbi indiciis excelleret, sic in lipyria ardorem internum corpore ad cutem frigescente, in febre asode inquietudinem et iactationem et cuiusvis oblatae rei fastidium (velut in Chartade, Epid. l. VII.) prae ceteris atrociter institisse probabile est. Omnes quum malignae haberentur, a phrenitide, hepatitide etc. simplicibus distinguebantur; poterant vero, quia differentia specifica nonnisi in symptomate praevalente rationem habebat, inter sese commisceri (Hipp. Vict. acut. l. IV.), si quando plura eiusmodi symptomata consociata apparebant. Unde factum est, ut in Coacis Praenotionibus (e. g. I, 36, — II, 2, 6.), in libris Prorrheticorum et aliis complures species in unam observationem comprehensae communem saepe habere dicantur circa praesagium dignitatem et significationem. Praeterea haec discrimina, solummodo ad specierum diagnosin pertinentia non videntur in curandis hisce morbis multum valuisse, omnibus enim eadem cura, qualis malignae febri ardenti in universum, gerebatur.

---

§. 28.

In Aetii modo illustrata febris typhodis definitione acquieverunt igitur plurimi, qui inde ab ipso ad supe-

rius usque seculum exstiterunt rei medicae scriptores et veterum interpretes. Inter quos ii recensendi sunt omnes, qui eandem febrem ardentis speciem scribunt, e. g. Mercurialis (Prael. Pisan, in Hipp. hist. epid. p. 273.; Foësius (oeconomia Hipp.), Gorraeus (definit. med. v. τυφώδης) etc.; deinde, qui erysipelas hepatis causam et fomitem, febrem autem ipsam symptomaticam dicunt, ut Sennertus (de febrib. L. II. c. 16. p. 208. ed. Frcft); similiter Forestus, qui (Obs. med. L. II. o. 37.) historiam hepatitidis vulgaris in abscessum desinentis sub titulo febris typhodis enarrat, quamvis alias (ibid. L. VII, obs. 27.) Galenum secutus, eodem nomine febrem appellat, in qua ex humorum copia sudor continuus prodeat. A quibus alii nonnihil recedunt; in illis Aubrius (Commentar zu d. 1 u. 3. B. v. Hipp. Epid., a. d. Franz. p. 375.) febrem ita vocat continuam, malignam, quae in hepate non solum, sed in liene etiam et renibus sedem et fomitem habeat et suppurationem vel gangraenam adducere amet; Baglivus, qui in Prax. medic. L. I. p. 57. ed. Lugd. 1714. typhum vocat ardentis febris speciem, quae totum occupet ventriculum, eamque describit velut gastritidem. Praeterea vero idem morbum aliquem typhodem in cachexiis habet, (ducem professus Hippocratem de init. affect.) qui ad scorbutnm vel inveterascentem hypochondriacam proxime accedat, ubi sanguis nimia salsedine omnino corruptus sit, ac sero tandem et difficulter in pristinum restituatur *). Alii

*) Zacutus Lusitanus (de medic. princip. L. II. hist. 122.2) quaestionem proponens: num ex causa calida hydrops oriri possit: ita rem exponit, „Si parum quidem hepatis temperatura a praeternaturali calore corrumpatur, veluti quia fiens est, pravos quidem gignet et biliosos humores, hi enim cum per ulteriorem coctionem gignantur, et concoquens calor iuncto extraneo intensior reddatur, fit, ut biliosa evadat sanguificatio. Si vero plurimum iecur vitietur, humidum in flatum vertet, — atque pro sanguine et humore flatum creabit, et ex eo tympaniam, — nam tympanitici et ascitici saepe febriculam patiuntur, quam laticam Arabes, Graeci typhodem vocant, etc.“

denique, latiores fines dictae febri assignantes, magis etiam discrepant ab Aetio et reliquis veterum, e. g. Cael. Rhodiginus, Lect. antiq. L. IV. c. 14.) typhodem et malignam iuxta habet, quae re quidem magna sit ac difficilis, nec crisin habeat certam, tametsi facilitatis speciem prae se ferat; cuius sententiae auctorem ille testatur Galenum de defin. medic.; Prosper Alpinus (d praesag. vitae et mort. L. 1. c. 10.): febres exterius mites, intus conturbantes Graeci typhodes appellant; ac tantopere inter variorum explicationes pristina nota et ratio illius febris degeneravit, ut iisdem verbis Fracastorius (de morb. contagios. L. II. c. 3. ed. Iunt. 1584. febres pestilentes generatim describeret.

Quae sententiarum varietas sufficienti documento est, quam diversa mente febris typhodes sit intellecta. Haudquaquam vero exquisitas ex illis et principes et maxime discrepantes studiose collegimus, sed promiscue apprehendimus, quae forte ad manum erant, quia catalogum satis plenum et bene compositum reddere vel historiam quasi variarum circa hanc rem opinionum scribere animus non erat, sed corollarii loco unam solummodo alteramve adiicere, ut intelligeretur, quomodo veterum illa dissensio ad posteros transierit. Ceteroquin in Graecis, nominis auctoribus, consistere propositum nobis fuit.

Et quomodo in superioribus binas auctorum relationes, seorsum antea disquisitas, passim contulimus et alterna perlustratione accuratius discernere studuimus, ita nunc maxime exspectari possit, ut in unum omnes conspectum collectas simus comparaturi. Sed quia in hunc finem non potuissemus non multa repetere, ex parte aliquoties iamiam commemorata, lectoribus hoc relinquimus, ut coniunctim sententias intueantur et invicem perpendant. Nostrum solummodo hoc esse iudicamus, ut Galeni et Aëtii diversas febres typhodes sigillatim sibi opponamus. Diversam igitur uterque verbi significationem tenuit; ille quidem, si tantum tribuere licet com-

parationi, quam saepius instituit cum flamma fumosa, mediocriter ardente, tardius itaque fomitem depascente, febrem dixit τυφώδη non ob stuporem, qui profecto huic accedit frequenter, attamen fortuito; verum propter caloris specificam rationem, quam verbo ὑποτύφεσθαι compluribus locis describit. Hic autem febrem sic vocavit omnino quidem caloris externi mediocris, et in qua fomes internus exaestuaret, nec tamen pituitam pro causa habuit, qua febris mitior provocata sit, ut Galenus, (id docet curatio, quae bilem flavam impugnat) sed stuporem ex succenso fomite interno, hepate scilicet cerebrum in aegritudinis societatem contrahente. Quod confirmatur observationibus veterum de utriusque huius partis consensu. Itaque bilem Aetius, Galenus pituitam tamquam causam, ille acutam, hic tardam febrem intellexit, illius morbus malignus erat et lethalis, huius febris typhodes terrificis quidem symptomatibus, in quibus soporosae affectiones, stipatur, sed non adeo lethalis dicitur; illic lethargus, coma etc. spuria apparebant, ex consensu conflata, hic idiopathica et vera eadem pathemata, ex pituita nasci dicta. Quae symptomata ad naturam febris Aetii quidem pertinuisse, ut necessario accedentia, febri autem Galeni fortuito, nec inseparabilia adiuncta fuisse videntur; quare in illa affectio particularis princeps momentum morbi erat, accessorium vero febris, velut symptomatica, in hac autem febris principatum tenebat, cui partium aegritudines accederent symptomaticae, et in his praecipue animalium functionum hebetudo ac torpor. Aetius denique arctioribus finibus notionem typhodis febris circumscripsit, quam Galenus et Erotianus, Hippocratem sequi professus; ille enim speciem, hi genus febrium ita nuncupabant, ipsi vero hoc discrimine, ut prior characterem morbi statueret ex humoris peccantis natura, ex typo febris et symptomatum ratione, posterior vero ex decursus inaequalitate et exitu principiis non respondente. Sic

etiam veterum sectatores alii ampliores habebant, alii angustiores limites febris dictae, utpote a prioribus haudquaquam unanimi consensu descriptos.

In hoc vero omnes conveniunt, quod nemo hanc febrem memorat populariter grassari, et vel ex miasmate aliquo oriri, vel contagio circumstantes ad pestis modum inficere, vel exanthemate conspicuam esse, vel stadia decurrere a medicis discreta, nisi Erotianus in definitione sua hoc forte innuebat. Quod eorum gratia monemus, qui typhum, quem nostra aetas sic dicere consuevit, hisce indiciis tamquam nccessariis et peculiaribus volunt dignosci.

---

§. 29.

Et sic quidem propositam hanc disquisitionem absolvere licuisset; sed non supervacaneum nobis videtur, sub finem adiicere nonnulla de causa et fonte illius dissensionis, quae inter auctores obtinet circa affectus et febris typhodis rationem. Pars causae quaerenda esse videtur in varietate significationis, quam in verbo τύφος et iis, quae huic cognata sunt, demonstravimus; alio enim sensu, uti vidimus, Hippocrates verbum τυφώδης accepit, aliter Galenus; et quod illi stupefactum denotat, apud hunc succensum redditur. Inde varia vocis virtute ad varias res significandas in morbis utebantur; in illo pathemate ad cerebri laesionem, in hoc ad febris calorem respiciebant. Alteram causam posuerim in usus raritate. Nam satis vetusta quidem illa vox esse videtur, verumtamen ad morbum aliquem nuncupandum haudquaquam multum et pridem solemnis, quare non nisi apud scriptores medicos sic usitata reperitur, apud reliquos et populares inaudita. At vero, quemadmodum animadvertimus, etiam medicis usus satis rarus erat, quare Erotiano et Galeno tamquam mi-

nus cognitum, neque recte ab omnibus intellectum verbum interpretatione indigere videbatur. Scimus autem, eiusmodi interpretum studiis, siquidem, uti hic, minus consentiunt, veritatem et cognitionem neutiquam iuvari, confusionem potius, dubitationem et obscuritatem augeri.

Sed circa illam verbi raritatem, causae eruendae gratia, singulos auctores intueamur; et ut ab Hippocrate incipiamus: illud vitium, quod in libr. Epidem. τυφώδες dicitur, (cuiusque tam rara mentio fit, etiamsi causas mali tam frequenter quam nunc, etiam illis temporibus occurrisse, suspicari licet), compluribus nominibus ab eodem auctore promiscue nuncupatur, quum diagnosis mali nondum ita decreta esset, ut diversis nominibus diversae et rite distinctae aegritudines significarentur. Nonnulla eiusmodi synonyma verbi τυφώδης supra exhibuimus (§. 22.). Causa vero, cur eadem vox, quantumvis rara, solummodo in Epidemicorum libris scribatur, neque in aliis quibusquam dispersa sit, mihi videtur esse consuetudo auctorum varia, quos complures scimus esse eorum librorum, qui Hippocratis nomine veniunt. Nimirum, ut in synonymis dictis consistamus, sicut v. λήθαργος inauditum est in libris Prorrheticorum, raro tantum commemoratur in Coacis Praenot., sic nostrum τυφώδης auctori illorum librorum de popularibus morbis privum est, ceteri idem aliter dicunt. Inde ab Hippocrate sensim sensimque, quemadmodum a nobis expositum est, nomen illud generis ex sermonibus medicorum disparuit, in cuius locum species complures succedebant, secundum causarum et symptomatum varietatem distinctae; nec amplius aeger vocabatur τυφώδης, sed febrium quaedam species hoc nomen tulit. Verum etiam hanc consuetudinem vocandi parum vulgarem fuisse existimarim, non quidem propterea, quoniam ab Aretaeo et Caelio Aureliano (cuius liber, primitus Graece scriptus, hanc vocem habere poterat) non commemoratur, nam uterque parum operae dedit febri-

bus describendis, nec apud priorem nisi ardens accuratius exposita est; sed Galenus etiam, quippe cui tam multa debemus de febribus disputata, quique tam multi sermonis est, ut non facile quidquam, quod ampla eruditione sua complecteretur, omisisse videatur, paucis locis mentionem fecit typhodis febris, neque fusius usquam descripsit morbum hoc nomine insignitum. Cuius silentii ratio sic forsan reddi poterit paucissimis: primum, quod loquacitatem attinet huius auctoris, illa non adeo conspicua est in nominibus enumerandis, potius in rebus definiendis et largo verborum apparatu docendis. Imo non adeo multum tribuebat nominibus colligendis, vel sedulo distinguendis et definiendis, quod ex superioribus cognovisse licet, ubi typhodis affectionis species partim secundum eius auctoritatem describebantur (vid. §. 23.). Itaque mirum non est, si v. τυφώδης, quod familiare ei non erat, et cuius usus forsan non ipsum, sed alium auctorem habebat, qui pristinum medicorum usum, ut tam rarum, negligeret, non nisi aliquoties apud eum occurrit. Scilicet ab altera parte eandem febrem aliter etiam, et sic frequentius, compellabat, non ex caloris peculiari indole, nam sic fere in ardentis febris societate, et ei quasi opposita, scribitur, sed ex typi vel humoris efficientis ratione, modo quotidianam continuam, modo pituitosam (φλεγματικὴν), quarum febrium descriptio ad typhodem igitur potest transferri, quemadmodum fecimus supra. Denique illa febris ex pituita genita, sicut atrabilaris, teste eodem Galeno, in rarioribus morbis erat, quum pleraque pars febrium vulgarium ex bile derivarentur. Quam ob rem non adeo frequens locus dabatur, hunc morbum describendi, vel exempli causa commemorandi, et ob eandem causam, qui post Galenum scripserunt medici, fere sectatores illi addictissimi, partim raro ipsum morbum memorabant, partim aliter inscriptum, forsan eo magis, quoniam in usu verbi τυφώδης ille ab Hippocrate discede-

ret, ne ambigua et falsa fieret eius nominis perceptio, ipsum hoc omittere malebant. Aëtius autem, vel quisquis febrem cum erysipelate hepatis primus typhodem vocaverit, respuit usum Galeni, quippe quo augeretur confusio et obscuritas, sed scrutationes et commenta causarum, quibus tunc maxime occupabantur, cum notione Hippocratica sic coniunxit, ut peculiarem sedem affectioni iam pridem cognitae excogitaret, et ita quasi ad pristinum loquendi usum rediret, verumtamen morbi fines aliquantum contraheret. Num vero Galeni dictio cum Aetii usu simul deinceps existeret, an alterutra a medicis illius aetatis reiiceretur, ex scriptis auctorum decernere non ausim, nobis certe mansit haec sententiarum varietas, cuius rationi reddendae operam dedimus.

ARTIS MEDICAE
PRINCIPES
DE CURANDA
FEBRE TYPHODE
COMPARATI.

Ego liberam medicinam profiteor, nec ab antiquis sum, nec a novis: utrosque, ubi veritatem colant, sequor, et instar metallicorum ex scoriis tum novae tum veteris medicinae aurum et argentum praeceptorum colligo.

Baglіv. d. usu vesicantium. Praef.

PROLEGOMENA.

§. 30.

Si Graecos inter auctores, typhum et pathema typhodes dicentes, tanta idearum diversitas obtinuit, mirum non erit, quod, qui secuti illos sunt, medii aevi adeoque recentiores medici, haud magis de eadem re inter sese convenerint. Plurimi enim, pars Aetii, pars Galeni [1]) nomen et usum, certe primitus, professi, paulatim causae suae quisque patronum, sive immemores, sive spernentes, deseruerunt, dum vel diversimode, ut ingenium singulos ducebat, rem exceperant, vel ambiguitatem et inconstantiam notae morbi sentientes, aliena, eaque pro arbitrio varia, admiscebant, ut certam tandem effigiem suo Marte inde componerent. Sic factum paulatim est, ut, quae accessoria et spuria essent, pro necessariis et genuinis haberentur. In hoc autem, quotquot mihi certe comparare contigit, omnes consentiebant, quod speciem peculiarem, non genus febrium, utpote quod Galenus [2]) haud dubie voluit, typhodem nuncuparent, etiamsi plerosque antiquae verbi et primitivae notionis, qualis in Epidemicis apud Hippocratem [3]) reperitur, bene gnaros fuisse, haud dubitandum sit. Demum Salvagius, graecas origines intuens, generis honorem typho restituit [4]); nec tamen propterea ad principem morbi ideam reversus est. Hippocratis enim utcunque nomen praetendit (typhum I et II., in l. de int. affect., spectasse testatur), in re ipsa ad Ga-

1) v. supr. §. 28. 2) v. supr. §. 23. Cf. p. 92. 3) v. §. 4—7.
4) Sauvages, Nosolog. methodic. ed. Daniel. 1792. T. II. p. 83.

LENUM auctorem referendus, hoc posuit generale morbi indicium, ut febrem significaret continuam, synocho longiorem, calore et urina et pulsu sanorum fere similibus, artubus interea maxime prostratis. Malignam vero hac ratione eandem appellavit, quod bona caloris, pulsuum etc. specie medico imponens, clam aegro insidiaretur et symptomata gravissima, ut soporem, delirium, convulsiones, exanthemata subito induceret. Luculenter in hac typhi idea quotidianam continuam s. phlegmaticam febrem GALENI [5]) et Arabum recognoscimus, quae sopores et similia accessoria quidem, necessaria autem symptomata febris mediocritatem et tarditatem haberet. Posthac vario tempore, modo catarrhalis maligna, modo pituitosa, modo nervosa lenta (HUXH.), modo febricula (MANNINGHAM), modo aliter nuncupata est. Interim morbi haec a SALVAGIO instaurata notio denuo paulatim declinabat, ac nova inter viros doctos aborta discrepantia est, jam vero, etsi specie levior, re tamen gravior atque eventu vere perniciosa. Etenim quantumvis pristino tempore et posthac diversa febris typhodis idea jactabatur, tamen in medicinam morbo faciendam differentia illa vix quidquam effecit; in scholis enim et catalogis morborum innocua circumferebatur febris, quae tunc typhodes diceretur, doctrina; praxis medica non facile in commodum suum convertit. Tanto acerbius vero recentiore aliqua aetate persentiebatur, quantum in arte exercenda notio morbi valeat praemature concepta. Scilicet postquam CULLENII [6]) licentia typhi notam recens constitutam mutavit, non fausto omine; BRUNO *), quae hactenus de habitu mere ex-

5) cf. §. 24.

6) Synops. nosol. method. T. II. Typhus est morbus contagiosus; calor parum auctus, pulsus parvus, debilis, plerumque frequens, urina parum mutata, sensorii plurimae functiones turbatae, vires multum imminutae.

*) Element. med. II, 193. Typhus pestilens morbus asthenicus summae, vix ipsa peste excepta, debilitatis est.

terno morbi idea desumta fuerat; citra naturae sinceram et circumspectam interpretationem, ad naturam simul internam et proximam causam transtulit. Quo ancipite consilio factum est per obcaecationem medicorum, qui sectabantur, ut multa millia mortalium ante tempus ad inferos commigraverint, arte non minus, quam febre ipsa fatali. Quamprimum enim symptomatibus morbi apparentibus, prostratione virium, pulsus languore etc., de debilitate vera, tamquam causa efficiente et absoluta, cogitantes, nihil antiquius habebant, quam ut, confestim ingestis calefacientibus, roborantibus, analepticis, putatitiam impugnarent. Non meminisse videbantur, quod Hippocrates antiquitus jam perspicuum habuisset, quod Sydenhamus, Haenius et alii nuper non sine severitate monuissent, artuum lassitudinem et languorem causas agnoscere toto coelo diversas, diversa igitur medendi ratione in diversis casuum exemplis devinci. Ac tantopere systematis speciosae simplicitati, opportunitati apparenti et promissae constantiae protervi confidebant, ut praeoccupatis ingeniis non viderent, quantam refraganti naturae violentiam inferrent. At non diu ista calamitas grassata est; mox sua jura veritas recuperavit. Usus enim et experientia dominantur in artibus, neque ulla est disciplina, in qua non peccando discatur. Etiam ex hoc errore medicina nostra non sine emolumento acquisito resipuit. Vicit ars Hippocratica, et cognitum est, eo maturitatis nondum accrevisse experientiam, ut tempus sit, secundum internae naturae compertam rationem, ideam morborum constituere ac dignoscere; neque pluris aliquid hodiedum a natura concessum nobis esse ad medelam justam decernendam, quam quo Hippocrates tantopere inclaruerit, fidam, diligentem, ingenuam externarum rerum animadversionem. Nihilosecius minime adhucdum circa notas febri typhodi proprias inter medicos conveniri, quotidiana docent librorum lectio ac virorum do-

ctorum controversia et dubitatio. Verum haec, et quonam ritu Reilius, mox Hildenbrandus, mox alii ad hoc usque tempus typhum dixerint, diversa singuli innuentes, recenti omnibus memoria vigent, imo ad taedium usque jam terebantur; neque igitur morari nos debent proposito proxima via intentos.

---

§. 31.

Quocunque modo viri docti circa usum verbi typhodis in febribus designandis discrepaverint, pro mea parte ad eam sententiam proxime accesserim, quam ut primariam ex Hippocraticis eruere studeremus. Ac re vera ad eandem, qui vel nunc vel paulo antehac scribebant, plerosque in potiori saltem parte videmus congruere, etiamsi forte definitionem mali longe aliter sonantem pronuntiaverint. Nihilominus in ea, quae nunc etiam superstes est, idearum varietate bene sentimus, non posse aliquem plurifariam et paulo diligentius et uberius de typhode febre sermonem instituere, quin Lectores praemonuerit definiendo, quid intelligi velit hoc genere dicendi usus; aliter enim metus est, ne dictam ob causam falso a quibusdam percipiatur et sine ratione accusetur. Qua quidem in re satius esse putavimus, eo allaborare, ut sententiarum quam plurimas complecteremur, quum animus sit, diversitatem opinionum componendi et in communes fines singulas redigendi. Itaque primitivam et simplicem verbi virtutem, puram ab additamentis tum veterum, qui post Hippocratem fuerunt, tum recentiorum tot auctorum, si firmiter tenemus, typhodes febris est insignis stupore sensuum et mentis facultatum [7]), sive indiciis graviter affectae virtutis cerebralis et nervosi generis universi. Proprie

---

7) Mercurialis, Praelect. Pisan. p. 273. Hippocratem interpretatus dicit ardentem cum stupore. Vid. supr. §. 5. p. 9.

quidem depressa et obtusa facultas illa sic dicitur; latiori vero sensu, quem per hoc opusculum retinebimus, quovis modo conspicuo eoque aliquantum constante, male habens et laesa. Etenim cum artem facienti, certe in sporadicis malis, ex vulgari doctrina, quae febris cum signis excitatae virtutis cerebralis incedit, ab ea utiliter distingui saepe non possit, quae dejectam prae se ferat vim nervosam, vel perverso modo temperatam, quum vel in singulis aegrotantibus triplex ille status per vices repentinas sese prodat; in popularibus autem plerisque ejusmodi constitutionibus, prout variat diathesis privata, trifariam illa laesio cerebri facultatum patefiat, nec tamen in diversas morbi formas ceteroquin sibi constans epidemia bene discerpatur: consultum videtur, de iis febribus conjunctim disserere, quarum praecipua symptomata laesionem prodant et turbam facultatis cerebralis et nervosae undecunque natam, sive delirium furiosum sit et loquax, sive placidum et studiosum; sive vigiliae infestent, sive sopor; sive convulsio et dolor, sive torpor et resolutio. Namque haec omnia observatori vulgo apparent mixta, vel eodem in casu citissime se invicem excipientia, nec nisi rarius cuncta morbi symptomata referri possunt vel ad excitationem sinceram vel ad depressionem systematis laborantis. Neque omnem febrem dixerim typhodem, quae forte delirium, capitis oppressionem etc. offerat, siquidem haec in propensis quibusdam hominibus admodum facilia habentur, cito evanida et satis tuta; sed in quibus affectiones illiusmodi principatum teneant et constantius ac periculosius urgeant, adeoque ceteras partes functionibus turbatis in mali societatem contrahere videantur. Namque a potiori denominatio rite fit; quum in natura rerum singula singulis attingant multiplici similitudine et nexu usque continuato, sine discrimine generum et specierum, quippe quod humano arbitrio interpositum est. Licet et sic constitutae febris typhodis complures gradus discernan-

tur, varii admodum pro varia mali intensione ac remissione et complicatae forte aegritudinis gravitate. Tali fere modo existimabam, controversiam auctorum de typho referentium, potissimum ex HILDENBRANDO superstitem, tutissime componi et dissidentes inter sese conciliari. Namque nec contagium, neque exanthema, nec virium dejectionem, nec privam quandam et familiarem complicationem, nec decursus anomaliam, vel medicationis inefficaciam in hanc typhodis febris notionem recepi, etiamsi illa aegritudo modo contagiosa, modo epidemica, modo sporadica, modo primaria, modo secundaria, modo exanthematica, modo hujus, modo illius systematis vel instrumenti laesione sit complicata etc. Agmen enim vel cognatio harum febrium, pro varietate harum conditionum, causarum, vel aliarum rerum accessoriarum perspecta, in species singulares discerni deinceps poterit, in gratiam distinctae expositionis vel curae dirigendae, easque vel plures vel pauciores, prout cuique placuerit, vel necessarium fuerit visum. Quaerentibus autem nobis, qualem febrem sic dictam typhodem diversis aevis dissitisque in regionibus auctores observaverint, et quemadmodum curaverint, hoc sufficere videbatur, ut generalem ideam adumbraremus [8]). De industria adeo species distinctas enumerare omisimus, ne quis forte existimet, nos in perscrutandis auctoribus certo quodam morborum circulo, quem nomina aliquot praeposita circumscriberent,

---

8) Neque enim artis officium est, per species, quae sunt innumerabiles, evagari, sed ingredi per genera, quae possunt cogitatione mentis et ambitu verborum facile copulari. COLUMELLA, de re rustic. L. I. — Minime nova, qualis hic proponitur, typhodis febris idea est; jam pridem enim promulgavit CLARUS, praeceptor celeberrimus (*Annalen des klin. Instituts zu Leipzig. Bd. 1. Abth. 2.* p. 204—6.); ac laetabar, cogitationem, in quam ingenua auctorum studia me conducerent, tali viro viam muniente, minus infirmo pede jam insistere.

contentos fuisse. Interim subinde, praecipue ubi de veterum observationibus agetur, adjici supervacaneum non fuerit singulares titulos, quibus in communi dicendi genere medici nunc plurimum utantur, vel quos vulgo lectissimi scriptores adhibuerint. Quae quidem Lectoribus ob eam forte causam erunt utilia, quod, ad nostras morborum effigies relata, faciliorem et certiorem reddere valeant historiae mali perspectionem; nos vero hoc auxilium non parum juvabit, ut, spatii angustiae inservientes, citius ad finem perventuri simus; simplici enim nominis facta mentione totam quandam morbi imaginem revocabimus significari ita consuetam.

---

§. 32.

Ipsos autem auctores, quos Lectoribus producendos censeamus, ita eligamus, ut primario quidem loco optimos adeamus, ob practicas virtutes omnium consensu laudatos; neutiquam vero ejusmodi viros omittamus, quorum praestantia vulgo minus celebrata, sed nobis certe indubitata ac tanta habeatur, ut ipsos in illustriorem illum coetum bene merentes inducere mihi videar. Quo in delectu deinde varietatem coeli et populi, in quo medicinam fecerint, et simul genium seculi diversum perpetua attentione spectabimus, ut observationes, quantum fieri possit, temporis et loci spatio dissidentes colligamus. Quam ob causam hinc inde egregius aliquis observator silentio praetermissus vel breviore notatu memoratus fuerit, ne cum pluribus contemporaneis vel popularibus committeretur, utpote quibuscum, ut coelum, constitutionem forte popularem et mores morborum, ita et genium doctrinae et artis in tractandis aegris et alia haberet communia. Rerum enim repetitiones, quae propter rationem operis evitari non possunt, minus taediosas ita reddemus, varietati quam maxime consulentes. Tanto lubentius autem recipiemus,

si quos viderimus eodem, vel certe parum diverso tempore et loco praxin exercentes, sed alias constitutiones vel aëris vel hominum, alias species morbi nactos, aliam scholae doctrinam vel sectam medicam professos, quo luculentior evadat naturae et integrae observationis et artis bonae constantia veritasque, in omni accidentium rerum differentia, instabilitate, fallacia. Porro dum universim epidemicorum observatores, reliquis, quibus sporadica potissimum haec mala occurrerent, ceteris paribus, praetulerimus, argumentis moti facile manifestis, neutiquam tamen insistamus monographiis, q. v., licet facilius conferendis; ubi manifestum fuerit, auctores ex aliorum libris plurima, ac minus interdum considerate collegisse, dum ex proprio penu pauciora forsan addiderint; vel ubi opinionem singularem vel systema medicum intemperantius tuerentur, eoque observata praeoccupato judicio revocaverint, et curam inique et praeter naturae suffragium dirigerent; etiamsi tales aliquot non mediocrem laudem nacti sint. Etenim, id quod tertio loco monendum, hoc mihi usque in propositis erat, ut non nisi fidam et sinceram naturae observationem admitterem; ut redundaret exinde et servaretur, quod stabile, confirmatum, tutum ac proficuum exstiterit, praetermissis, quae ut fluctuantia et fallacia et arbitraria et vana sese prodiderint, utcunque quasi ad vivum expressa jactentur, sive placita virorum doctorum, sive non rite observata fuerint. Talia autem persequi, ad historiam doctrinae quidem pertinere videbatur, neque vero ad experientiam, quam scribimus, comparatam. Magni profecto aestimamus studia illa ingeniorum praestantium: multa cum sincera voluptate consideramus, neque, ubi ad praxin auctorum illustrandam necessariae fuerint visae, meditationes etiam reticere licebit. Neutiquam enim memoratu indigna habemus, quae naturae sincera interpretatione fulciantur ratiocinia, quibusque re ipsa, non specie praxis juvetur. Talia quidem

auctoribus suis supervivunt, et varias inter theorematum jactationes et rejectiones suppressa iterum iterumque emergunt, probatam ob virtutem accepta. Ingenium felix naturae ipsi aeternae sigillum suum impressit. Neque hac luce divinitus communicata carere poterimus, si in abscondita rerum penetrare animus est; estque aliquid etiam in materiae ditione, quod non oculorum sed ingenii acie perspicere nobis datum est; ceteroquin vero etiam speciosissimae argumentationes extra limites hujusce libelli positae sunt. Complures itaque celeberrimi viri dictam ob causam in censum nostrum non ingredientur, quippe placitis philosophorum, mathematicorum, naturae male curiosorum impensius inhiantes, eaque praeter sanae rationis sinceritatem obtrudentes. Contigit autem aliis, interdum acerrimis theorematum motoribus, ut ad aegrotorum cubilia, immemores vanae speculationum indaginis, fidos sese praestiterint naturae ministros et sinceros atque ingenuos modestosque interpretes. Illos omni jure audiemus. Nemo denique, uti speraverim, vitio nobis vertet, incunabulis artis diutius institisse, atque in conditoribus medicinae explorandis impensius haesisse. Tribuendum enim suum cuique, pro virium nostri et spatii modulo. Magnorum virorum monumenta intuens, utut ab admiratione sibi temperare debet scrutator, nequeo tamen debitam gratiam et justa laudis praemia tacito sinu recondere. Multum accepit ars ab iis, qui primi medicinam docuerunt; non pauca debet posterioris aevi ingeniis; utinam nostra aetas addiderit, quae digna acceptis reperiantur! — Sed a Jove principium.

HIPPOCRATES.

§. 33.

Vetusta antiquitate morbum, de quo agimus, infestasse, verosimillimum est; causarum enim efficientium

ratio illis temporibus, uti omni aevo, eadem haud dubie obtinuit. Accedit relatio auctorum, ipsorum rei testium, vel certe ex sinceris fontibus haurientium, et suspicionem confirmat. Valet hoc praecipue de populariter grassantibus morbis, qui pestis communi titulo designarentur. Sed circa curam mali, quatenus a medicis tum observando tum medicando gesta sit, ad Hippocratem usque nihil certi nostrae memoriae proditum est. Etenim pristino tempore morbi atrocioris, utpote ab ira coelestium immissi, apud sacerdotes solummodo, omnis tunc sapientiae custodes et rerum divinarum interpretes, quaesita sunt remedia, qualia habebantur sacrificia, expiationes, lustrationes etc. [9]). Quid boni et salutare haec instituta habuerint, exponere, nostrum non est, nec latebunt haec rerum humanarum perspicaces. Neque etiam, quae narrantur de Jachino, Aegyptio (ap. Suidam), de Acrone, Agrigentino (ap. Plutarch. de Isid. et Osirid., Plin. Hist. Natur.), de Toxari, Scytha (ap. Lucian.), qui rogis accensis pestem suppresserint, de Empedocle (ap. Plutarch. adv. Colot), qui patrios agros peste ac sterilitate liberaverit, obturato montis hiatu, per quem auster in campos pestifer irruisse, etiamsi probabili testimonio referrentur, ad rem nostram pertinent, quippe qui in omnibus, quae traduntur, recipiendis non titulis mali nudis, vocibus indefinitis, dubiis, acquiescamus, sed ipsam historiam consideremus morbi, cui medela haec vel illa fuerit adhibita.

At vero, si jure nostro iis supersedemus, in quorum

---

9) Cf. Hom. Iliad. Rh. 1. Apollo sacerdotis precibus hoc dabat, ut ventum validum emitteret, ad Graecos peste liberandos. — Quid medicorum in bello Trojano officium fuerit, v. ap. Celsum, in Praefat. Quos tamen (Podalirium et Machaonem) Homerus non in pestilentia, neque in variis generibus morborum aliquid attulisse auxilii, sed vulneribus tantummodo ferro et medicamentis mederi solitos proposuit.

ambiguitate conjecturarum longa opportunitas patet, certissimum habetur, Hippocrati affectionem typhodem nostram occurrisse, varia rerum conditione ortam; modo epidemicam, alias sporadicam, si recte suspicamur, modo primaria, modo secundaria via natam, febribus variae indolis supervenientem, variisque accessoriis malis complicatam, ut ex scriptis, quae supersunt, statim demonstrabitur. Haec autem sic consulemus, ut, quantum fieri licet, seligamus, quae in genuinis perscripta legantur; simul vero, quae opportuna nobis visa fuerint, et Hippocraticum ingenium spirantia, ex iis depromamus, quorum nonnihil dubia est sinceritas, materia forte Hippocratis, forma autem et ratiocinium et alia additamenta alieni auctoris; denique seorsim adjicienda venient, si quae forte ad rem facientia, vel in consensum cum genuinis scriptis enuntiata, in manifesto et prorsus spuriis libris dicantur. Scilicet inter omnes constat, qualis census Hippocraticorum habeatur. Ordinem vero rerum eum constituimus, ut praemittantur, quae Hippocrates de populariter grassante morbo observaverit, in primo ac tertio Epidemicorum libro notata; adjungantur, quae promiscue sive sporadicum malum sive epidemicum spectantia, in ceteris Hippocraticis praeceptis dispersa legantur, in eorum, quae praecedunt, confirmationem et supplementum; dein quae circa causas et praesagium morbi docuerit, ultimo loco; quam medendi rationem secutus sit; contracta copia enarrabimus.

---

§. 34.

Annus [10]) in Thaso ab exeunte aestate totus fuerat humidus, frigidus, aquilone largo perflatus. Morbi inde populares nulli usque ad vernum tempus insequentis

---

10) Epidem. L. I. S. 2. (Constitutio secunda).

anni; tunc vero catarrhi complures a variis partibus apparebant; febres typo variae, ardentes quidem paucae, multae intermittentes. Simul caput extulerunt continuae tritaeophyae, i. e. alternis diebus acerbiores, illaeque omnium, quae tunc infestarunt, violentissimae, longissimae et perniciosissimae. Leniter quidem inceperunt; in totum vero perpetuo invalescentes, diebus criticis plerumque atrocius instabant, magis magisque in deterius procedentes. Omnibus horrores vagi, erratici, leviusculi aderant; sudatiunculae nihil allevantes, potius noxam afferentes; extrema pertinaciter frigentia. Vigiliae soporibus permixtae; alvi dejectiones pessimae; urinae ut plurimum tenues, crudae, decolores, aliquanto post paululum quasi concoctae, criticum tamen nihil vel crassum prae se ferentes, verum turbidae, neque quidquam subsistentes, neque maturatae, vel cum sedimento exiguo, infausto et crudo; quae omnes mali ominis erant. Comitabantur tusses. Omnia plerisque phaenomena diuturna, difficilia, sibi invicem non respondentia, neque crisis justa, vel in atrocius vel in mitius laborantibus. Febris aliquantulum quidem subinde intermittens, celeriter tamen recidiva, atque ad minimum die octogesimo judicatione soluta; nonnullis multo longius protracta; plerisque absque omni judicatione tandem evanida.

Gravissime aegrotantibus in hac constitutione pertinax aderat ciborum aversatio, eaque aliis praecipue exitialibus conjuncta. Sitis non adeo molesta; increbrescentibus laboribus iniquae et importunae metastases; materies mox retroversa, unde deteriora evadebant omnia. Accesserunt tormina, alvi fluxus, tenesmi, lienteriae, hydropes, papulae incongruae, parvae (miliaria?), mox evanidae, nec melioris notae parotides. Humorum ad coxendicem secessus paucis salutares. Mortui ut plurimum infantes atque impuberes. Unice exoptatum et faustum indicium erat mictionis difficultas,

diu urgens, cum lotio crasso, vario, rubro, purulento, nata a materia decumbente, cum cita et manifesta omnium mutatione. Cibi inde alacrius capti, ac bene ferebantur; febris mitescebat. Nonnulli repentina morte abripiebantur, capitis ac cervicis dolorem et gravitatem accusantes, maloque in delirium, cum vomitu aeruginoso et convulsione, converso.

---

§. 35.

II) Circa aequinoctium auctumnale [11]), tempestate, ut apparet, non adeo incongrua, aegri solebant comate infestari, praecipue impuberes multi, nec tamen saepius lethali. Mox vero febres ardentes enatae, plurimique sic aegrotantium delirio acuto continuo (phrenitide) sunt tentati, ex quo plerique obiere. Ipsaque jam circa initia harum febrium de instante judicari poterat pernicie. Scilicet statim prehendebat febris acuta, cum horrore mediocri, vigiliis, siti, inquietudine magna, sudoribus parvis circa frontem et claviculas, neutiquam universalibus: simul deliria multa, pavores et animi desponsio, extrema frigescentia; febris diebus paribus intensior. Dies quartus plerisque maxime laboriosus; sudor utplurimum subfrigidus, neque amplius recalescentia extrema, sed livida usque et frigida; sitis evanida. Urinae vero nigrae, exiguae, tenues, cum alvi retentione. Narium haemorrhagia in hoc rerum statu nulla, vix parcum stillicidium, die sexta cum sudoribus mortem secum trahens. Delirantibus judicatio accessit die undecima, quibusdam vicesima; qui vero primo tempore moderatum morbum passi fuerant, his circa septimam in atrocitatem et phrenitidem ille intendebatur. Rebus sic constitutis salutem praesagiebant largus ex naribus sanguis, aut urina multa, cum sedimento copioso et lau-

---

11) Ibid. (T. III. p. 396. ed. Kühn.)

dabili, aut alvus biliosa, tempestive, forte cum intestinorum difficultate, dejecta. Quae indicia singulis saepe omnia sensim sensimque superveniebant, pejus hinc habere apparentibus; sed omnes criticam hanc perturbationem experti evadebant. Quibus autem parotides enascebantur, crisis die vigesimo contigit; et quibus non suppurabant, tumores cessabant, materia vel ad alvum vel ad vesicam conversa. Nihilominus unus alterve, quibus illi suppuraverant, perierunt. Febris universim post judicationem incompletam frequenter recidiva, veruntamen evaserunt.

Pulcherrime ad haec noster interponit quaedam generatim de morbis, praecipue popularibus, explorandis praecepta, quibus Boerhaavius, Stollius, aliique celeberrimi viri tanto cum fructu se usos esse profiteantur. Morborum [12]) justa et proficua cognitio rite hauritur ex perspecta conditione omnibus communi, et peculiari singulorum hominum indole; ex accurata observatione tum morbi et ipsius aegroti, tum ingestorum et juvantium ac laedentium [13]). Cognoscimus morbos praeterea, constitutionem contemplati universalem et particularem, conditiones rerum superarum et coelestium [14]) (aëris etc.) et regionum singularum; ex consuetudine hominum, ex victu, ex studiis et vitae genere, ex aetate cujusque, sermonibus aegri, moribus, silentio, cogitationibus, somnis, vigiliis, insomniis quibusdam, qualia sint, vellicationibus, pruritu, lacrimis, dejectionibus, quae ab accessione fiant, urinis, sputis, vomitu, et permutationibus factis, et secessibus humorum vel in perniciem vel in salutem aegri evadentibus, sudore, horrore, tussi, sternutatione, singultu, spiritu, eructatione, flatibus cum strepitu vel sine eo prodeuntibus, haemor-

---

12) Ibid. S. 3. init.

13) cf. Boerh. Aphor. 1112. 4. vid. infra.

14) τὸ θεῖον; vid. et Epid. L. II. de quibus paulo inferius.

rhagiis variis etc.; post haec, quae fiant, et propter haec, quae eveniant, probe considerandum ac dignoscendum [15]).

Sub finem libri Epidemicorum primi adjuncta sunt iis, quae de populari aegritudine universim referuntur, singulorum aegrotantium historiae quatuordecim, quas forte ex illa tempestate memoriae dignas Hippocrates servavit. Complures, quemadmodum ibi enarrantur, profecto febrem nostram typhodem luculenter, quasi exemplarium vice, describunt; nobis certe Silenus (hist. II.), Herophon (III.), uxor Philini (IV.), Erasinus (VIII.), Dromeadae conjux (XI.), homo, qui febre incipiente multum coenavit bibitque (XII.), mulier, quae in litore decumbebat (XIII.), ita videntur laborasse, bilioso statu plurimis adjuncto vel praecedente. Ex reliquis etiam aegrotis forsan unum alterumve huc pertinere, aliquis existimet, similitudine minus manifesta. De singulis autem quum sermonem hic instituere longum esset, velint Lectores, accuratiorem notitiam cupientes, ipsius Hippocratis consulere commentarios.

Similiter in compluribus aegris, de quibus in fronte libri tertii sigillatim refertur, eandem febrem typhodem recognoscimus. Praeter alios aliquot, de quorum aegritudine difficilius dijudicatur, in hunc censum deferre haud dubitamus Hermocratem (hist. II.), aegrum, qui in hortis Dealcis decumbebat (III.), Philisten (IV.), Chaerionem (V.), Euryanactis filiam (VI.), feminam denique historiae XI.

---

15) Cf. cum his: Epid L. VI. s. 8., ubi pleraque haec et alia, quae ad morborum cognitionem faciant, uberius exponuntur, non indigna, quae nunc etiam aetatis a medicis probe considerentur. -- Multa ceteroquin egregie observata et in perpetuam Hippocratis auctoritatem dicta aegre praetermisimus, utpote paulo remotius a tramite nostro distantia.

§. 36.

III) Graviorem statum publicae valetudinis in sequentibus noster describit *), et pestilentem ipse vocavit. — Scilicet annus austrinus erat, pluviosus atque in totum ventis vacans. Nam quum antehac siccior solito tempestas obtinuisset, versus auctumnum spirantibus austris multum pluebat. Auctumnus ipse nubilus, nebulosus, cum aquarum abundantia; hiems dein austrina, humida, lenis, sera frigora et brevia, ver pariter subcalidum, ventis non perflatum, aquae multae et continentes ad aestatem usque adultam, ipsa haec postmodum serena evadens, calida, cum fervoribus praefocantibus, magnis; auctumno tandem appropinquante et aquilonibus rursus spirantibus, denuo imbres confertim irruebant.

In tanta anni calidi humiditate hiems quidem salubriter plerisque degebatur, vere autem erysipelatosae inflammationes increbrescebant, in suppurationem ichorosam, putridam degenerantes, multisque adeo immanem, ut circa extremas aliasque partes carnes passim omnes absumerentur, et ipsa ossa in artubus vel capite etc. denudata conspicerentur. Morbus vero, de quo accuratius exposita apud auctorem ipsum relegenda sunt, terrificus potius aspectu, quam eventu perniciosus. Etenim, quibus saniosa haec carnium tabes rite desaeviit, ii evaserunt; disparente vero erysipelate neque colliquatione insequente, perierunt. Febris cum hisce laboribus modo aderat, interdum etiam aberat. Simul indicia terrebant cerebri male habentis, coma vigil etc. Sed magis haec conspicua fiebant in febribus ardentibus et insaniis febrilibus, quas deinceps noster scribit verno tempore coeptas, post frigora praegressa. Plurimi hisce malis diuque aegrotabant, atrocibus et exitiosis laboribus conflictati. Circa initia enim febrium illarum ardentium

*) Epid. L. III. s. 2.

soporibus aegri detinebantur, cum inquieta jactatione et horrore. Febris acuta quidem, sitis autem non magna, deliria nulla; sanguinis aliquot guttulae de naribus stillantes. Accessiones plurimos paribus diebus fatigabant, et oblivio tunc prehendit, resolutio artuum, vocis defectus. Pedum et manuum extrema magis magisque frigentia, praecipue circa has febrium intensiones; mox vero lentius, nec probe haec recalescebant; mentis integritas redux fiebat, et loquela restituebatur. Comate oppressi omnes decumbebant, nec tamen obdormiscentes, sed vigiles detinebantur cum multa inquietudine; alvi dejectiones plurimis crudae, tenues, aquosae; similiter urinae multae, tenues, criticum vel bonum nihil habentes, neque aliud quidquam judicationis indicium; neque sanguis prorumpens, neque abscessus critici comparebant. Moriebantur fere omnes circa judicationis tempora, nullo observato decursus ordine, alii serius, cum vocis defectu, alii denique cum sudoribus. Phreniticis similia eveniebant; sitis plane nulla; nemini furiosum delirium vel vehemens exagitatio, ut alias fieri solet sic laborantibus; sed vel parvis interruptisque somnis affecti, vel stupido sopore profundoque gravati similiter interibant. Omnes praeterea, sive ex acuto, sive ex diuturno morbo decederent, alvi perniciosus fluxus peremit. In omnibus simul vel pessime habentibus ciborum constans fastidium terrebat. Grassabantur cum hisce aliae multae affectiones et febres variae speciei ac typo diversae, in quibus describendis multus est auctor. Et talia quidem verno potissimum tempore observata sunt; aestas vero, quae secuta est, etsi non satis consuetudini suae responderet, solvebat hos morbos et satis salutaris decurrebat.

Denique ex aegris illis sedecim, quorum historiae tertium hunc librum claudunt, sicut ex iis, quorum supra mentio facta est, haud paucos reperias, quorum pathemata ad typhodis febris ideam accedere judices,

complures quidem phreniticos ab auctore nuncupatos vel febre ardente laborantes. Utrumque enim morbum, et phrenitidem et causum, cerebri laesa facultate noster conspicuum habebat, neque adeo ex intentionis quidem diversitate distinguere videtur, fines omnino certos non interponens. Conferantur autem ob dictam causam historiae filii Parionis (I.), mulieris, quae in Thaso ad frigidam decumbebat (II.), Pythionis (III.), phrenitici (IV.), calvi Larissaei (V.), Heropythi (IX.), mulieris morosae in Thaso (XI.), Apollonii (XIII.), mulieris in Cyzico (XIV.), uxoris Dealcis (XV.), adolescentis Meliboei (XVI.), in quibus singulis jam cognoscere licet, quam variam originem, speciem, complicationem, exitum etc. morbi Hippocrates animadverterit.

---

§. 37.

Quae ex reliquis Epidemicorum libris ad morbi nostri historiam videantur referri posse, consulto reticemus, ne nimium prolixi reperiamur. Pars enim levioris est argumenti, pars, aliquanto obscurior, non exigua premitur dubitatione [16]). Interim septimus, ultimus ex illis, liber, quamvis ex Hippocratis nostri calamo minime profectus, complures praebet historias, quibus satis fideliter depictam habemus febrem, de qua quaestio movetur, et ex quibus in comparationem partim cum Hippocraticis ipsissimis observationibus, tum supra scriptis, tum statim communicandis, partim cum nostra febre typhode instituendam, exempli causa unam eligere liceat, et cujus alibi major opportunitas non detur, hic subnectere. Ordinem referendarum rerum, qui auctori placuerit, non mutabimus, etiamsi minus, ut videtur, congruus et facilis sit, ne forte, arbitraria rerum dispositione, causae nostrae plus justo arrogasse arguamur.

---

16) Cf. Constitut. Perinthi. L. II. s. 3.

Hermoptolemi uxorem [17]) hiemali tempore febris et capitis dolores prehenderunt, deglutiendi difficultas, lingua ab initio livida. Primum indicium morbi: horror a balneo natus; vigiliae nocte dieque continuae. Post primos dies non solum de capitis, sed de totius corporis laboribus conquesta sitim passa est modo intensam, modo mediocrem. Die V, VI usque ad IX ferociter delirabat, et rursus obstupescens secum loquebatur, non bene congrua; subinde manum extendebat parietis tectorium versus, et pulvinar, quod capiti suberat, pectori admovebat; interdum vestem stragulam disjiciebat. Oculo simul dextro subcruentum aliquid et lacrima inerat. Urinam mittebat, qualis in pueris mala esse solet. Alvi dejectiones circa initia subflavae, serius multum aquosae, haud mutato colore. Die XI. calor mediocris, passim sitis adeo deficiens, ut, nisi quis offerret, potum non peteret. A principiis morbi somnus interdiu sat bonus, nocte vero vigiliae; et labores augebantur versus eandem. Nono alvus turbata, aquosa dejiciens, similiter undecimo et sequentibus, ac frequens exsurrectio ad desidendum. Primis autem diebus excandescebat et plorata est puelli instar, cum clamore et pavoribus et turbulentis circumspectionibus, quandoquidem ex sopore fuerat excitata. Decimo quarto difficulter, nec nisi brevi tempore, contineri poterat, exsiliens repente et vehementer vociferans, velut plaga aliqua afflicta, vel dolore atroci et formidine. Dein requiescebat, ac veterno oppressa perpetuo dormiebat. Neque quidquam prorsus cernebat, interdum neque auscultabat, totum fere diem utrobique, modo ad tumultum, modo ad tranquillitatem per vices crebras conversa. Nocte sequente subcruentum aliquid, veluti mucosum per alvum secessit, mox vero tamquam faeculentum; postea porracea admodum et nigra. Die XV vehemen-

17) Hipp. Opp. ed. Kühn. T. III. p. 646.

tes corporis jactationes et pavores, clamor aliquanto pacatus, sequebantur autem immanis efferatio, iracundia et ululatus; nisi quis, quod appeteret, cito exhiberet. Auditio inaequaliter perversa, modo acuta, etiam ubi summissius aliquid diceretur, modo vero altiore sermone opus esse videbatur. Pedes cum reliquo corpore aequaliter usque calidi, solo decimo sexto minus. Die XVII quum moderatius haberet quam ceteris diebus, sub noctem, velut horrore suborto, major febris et sitis multa; reliqua signa non mutata; sed manibus tremebat, caput concutiebat; oculorum obtutus malum portendebat. Ubi biberat, confestim rursus postulabat, potum arripiebat et avide sorbebat, neque avellere poterant: nihilominus lingua sicca perstitit et valde rubra, et totum os internum ac labia exulcerata (aphthis?) et sicca. Manum utramque ori admovebat tremulam, manducabat, et si quid manducandum vel sorbendum porrigeretur, avide ac furiose deglutiebat et sorbebat, etiam adspectu ingrata. Ante mortem autem tribus aut quatuor diebus horrores subinde aegram corripiebant, adeo ut corpus contraheret, et contegeret, et cum anhelitu respiraret. Spasmi simul crurum et pedum frigus jam aderant. Sitis vero et mentis affectio eaedem, et exsurrectiones ad desidendum vel inanes, vel pauca et tenuia dejiciebantur cum brevi quodam conatu. Ultimo vero die, XXIII, oculus mane magnus, et brevis circumspectio, et quies, interdum rejectis integumentis, et soporis absentia, sub vesperam autem oculus dexter, tamquam cerneret aliquid, vel appeteret, ab externo angulo ad nasum convergebat, mentis moritura compos erat et ad interrogata respondebat, voce a sermonibus multis non nihil balbutiente atque ex vociferationibus fracta et rauca.

---

§. 38.

Morbum, de quo res agitur, reapse Hippocrati, nec adeo raro fuisse observatum, satis quidem, si

recte judicamus, ex dictis apparet. Veruntamen in hoc acquiescere neutiquam nobis licet, quippe propositum nondum assecutis. Superest enim, ut ex reliquis operibus, quae ejusdem auctoris nomine feruntur, eligamus, quibus notitia et cura morbi, qualis tunc temporis viguerit, et quatenus patuerit, plenius et accuratius evincatur. Manifestum vero est vel obiter Hippocratica scripta perlustranti, eam passionem, quam phrenitidem ille appellat, quamque modo ut symptoma aegritudinis, modo ut peculiarem morbum describit, prouti scilicet secundaria vel primaria genesi existeret, nihil aliud referre, nisi statum nostrum typhodem, certe gravius intensum [18]). Etenim apud Hippocratem neutiquam illi solummodo phrenitici dicuntur, qui cum febre acuta, ardente et exquisita delirent ferociter et cum furibunda et violenta exagitatione, cum surrectionibus crebris etc., utpote quos encephaliticos neotericorum nonnulli nuncuparunt; sed tum loquaces simpliciter, tum maxime tremulas et obscuras desipientias hoc nomine insignivit, in quibus febris mitis sit, aegri floccos legant, festucas evellant, palpent et vigiliis tacitis, sopore intermixto, stupidi detineantur, quem statum supra, ut proprie et strictiore sensu typhodem indicavimus [19]). Creberrime observaverat ille, delirii speciem et cerebri (τῶν φρενῶν)

---

18) Galen. comm. in Hipp. Prorrhet. I, 1, 1. Videntur ab Hippocrate omnes phrenitici vocati, qui mente laesi continue fuerint, febre solummodo a vesanis discrepantes. — Similiter alibi passim.

19) Tali modo aegrotavit uxor Dealcis, phrenitica, Epid. III, 3. hist. XV. et alii, cf. supr. §. 36. — Veteres, ex Hippocratis auctoritate, atrabilarem hanc febrem, aegrosque μελαγχολικῶς delirare dixerunt. (Coac. Pr. I, 82. Brendel). Nuperis autem fere maligna illa est, nervosa lenta (Huxh.). Cf. Brendel (resp. Biedermann) diss. de cognatione paraphrenitidis et febrium malignarum. Gott. 1752. et ejusd. (resp. Ellenberger) diss. de phrenitide. 1756, qui veteris medicinae versatissimus scrutator ad oculos hunc consensum demonstravit.

laesionis indicia diversis diebus in iisdem aegrotis diversa esse, licet rerum statu ceteroquin non mutato; augeri potius periculum vidit, ubi a ferociori praegressa exagitatione tranquillitas superveniret apparens, sed indiciis laesae mentis facultatis stipata. Tali modo languentes intelligit, ubi morbos dicit difficiles, qui inter mala signa appareant leviora, et inter bona non remittant [20]), vel quae citra rationem bona fiant in morbis. Raris tantum locis paucisque in libris tacita haec et depressa mentis alienatio lethargi peculiari nomine distincta est [21]), posterioribus medicis tantopere familiari.

Haec igitur aegritudo duplici specie occurrens innumeris vicibus apud nostrum commemoratur; plurimis tam perspicue describitur, ut ex imagine proposita statim recognoscatur, etiamsi nomen morbi non adjectum historiae sit. Hauriamus, quae ad cognitionem ejus faciant, notatu digniora, posthabitis quidem iis fere, quae in historiis aegrorum supra dictis facile relegantur.

Nascitur phrenitis interdum primario loco [22]), saepius autem, secundaria sive symptomatis vice, ex aliis morbis acutis: febre ardente, sanguinis profluvio, pleuritide [23]), pneumonia, intestinorum [24]), praecordiorum [25]) doloribus, ileo et aliis, saepe cum convulsione, vel in eam desinens, ubique mali ominis [26]). Frequens est prae ceteris aetati constanti [27]), frequens etiam, speciatim somnolenta phreniti, austrina tempestate, qua humores versus caput cogantur; ut in constitutione ista pestilenti [28]).

Portenditur morbus proxime instans, et cognoscitur

---

20) Coac. Praen. I, 43. Brendel.
21) Ut in Praenot. Coac. I, 145. ed. Duret (125, Brendel).
22) Exemplo est aeger IV. in Epid. L. III. s. 3.
23) Coac. I, 30. Brendel. 24) Ibid. 98. 25) Ibid. 29.
26) Aphor. VII, 9—12.
27) Aphor. III, 30. VIII, 1.
28) Epid. L. III. s. 3. et alibi.

praesens facie bene colorata, aspectu torvo [29]), lingua alba, sicca [30]), serius tremula, aspera, fissa, vel cum siti intensa, vel absque omni, vel eadem praeter rationem evanida *); respiratione magna, rara [31]), sublimi (*πνεῦμα ἀραιὸν*), quasi obstaculum offendente (*προσκόπτον*), serius intercepta subinde expiratione et anhelitu quasi convulsivo, singultuoso, ut in lacrimantibus [32]) (*θολερὸν*); inquietudine, vigiliis **), soporibus, stupore, vertigine, rigore, praecipue si facies simul intensius rubet [33]), horroribus et aestu fugaci sese invicem repente excipientibus [34]), vel lassitudine cum horroribus juncta [35]), vel si ex rigore aegri perfrigescunt, parvis cum sudoribus fugacibus, potissimum circa superiora [36]). Circa initia morbi saepissime animadvertuntur debilitas citra rationem ac praegressam vasorum evacuationem ***), dolores et gravitas capitis, aurium, cervicis, lumborum, hypochondriorum, manuum, femorum, surarum, pedum, vel artuum eorundem torpores fugaces vel convulsiones [37]), dolores vagi, suffocatorii circa collum et fauces cum oscitatione [38]) crebra, deglutitione intercepta; surditas [39]), aurium sonitus et gravedo [40]), oculorum caligo †), contractio frontis [41]), gravitas secundum nares; talia patientibus delirium expectandum est taciturnum, mite (quod melancholicum Hippocrates dixit), nisi sanguis prius erumpat [42]). Porro delirium praevideri potest, si quid praeter consuetudinem aegri faciunt, vel magno studio curant (*προθυμέουσι*) prius

---

29) Coac. Praen. II, 54. et alibi passim.
30) Coac. II, 72, 77, 78. Prorrhet. I, 3, 5.
*) Coac. I, 45, 54. 31) Progn. I, 24.
32) Prorrh. I, 5. Coac. I, 44. Aphor. IV, 68.
**) Progn. I, 36. Coac. I, 44. IV, 123.
33) Coac. I, 7, 33, 41. II, 20. 34) Ibid. I, 33, 38, 45, 48.
35) Ibid. 34, 41. 36) Ibid. 37, 14. 33, 34, 49, 65. ***) Coac. I, 50.
37) Coac. I, 52. 15, 22, 72. 38) Coac. II, 95, 99.
39) Coac. II, 37. Epid. I, 3. t. 18. 40) Coac. I, 119. II, 35.
†) Ibid. 41) Ibid. 54. 42) Ibid. I, 119.

non consuetum aut contrarium [43]), si ferox responsum redditur ab homine moderato [44]), si indecore quaedam geruntur ab homine verecundo, nisi de industria aegrum hoc fecisse constet [45]); si vox acuta est [46]), perturbata, clangens, tremula [47]), vel si deficit plane [48]), si oculi rubent, feroces, sordidi sunt [49]), si acutus faucium dolor urget; si os ex hiatu difficulter clauditur [50]); si a levi strepitu aeger facile excitatur [51]); si signorum crebrae permutationes [52]), si dolor a laesione inflicta non provocatur [53]); si urina rubra est, sedimenti expers, citra rationem quasi matura cum enaeoremate [54]), levi [55]), tenui, evanido, si jumentosa, turbida [56]), decolor, nigra [57]), alba, pellucida *), si intercepta est cum rigore vel sopore [58]); si praecordia sursum revulsa sunt, sanguine non profluente ex naribus [59]). Delirium ipsum modo cum feroci emotione incedit, forte levi de causa proritata [60]), modo cum taciturnitate [61]), modo cum risu, modo, quod pejus est, cum studio, palpitatione, contrectatione rerum, tremore [62]); pessimum, quod circa necessaria et consueta versatur, e. g. si cibum, potumque recusant, veneficium extimescentes, vel somnum, insidias hostium memorantes [63]). Aegri saepissime tristes decumbunt, morosi prospiciunt, floccos legunt, stragula vellicant, festucas in pariete abradunt, manum portendunt, ad faciem admovent, muscas venantur, quibus saepe convulsivi aliquid subnascitur [64]); vel jactantur in

---

43) Coac. I, 42. 44) Coac. I, 46. 45) Epid. VI. 46) Coac. I, 47.
47) Ibid. 93. Prorrhet I, 17, 19. Vict. acut. IV. p. 81. Kühn.
48) Prorrhet. I, 93. Coac. II, 38.
49) Prorrhet. I, 17. Epid. L. VI. s. 1. t. 31. 50) Prorrhet. I, 11.
51) Prorrhet. I, 16. 52) Coac. I, 86. Prorrhet. I, 26.
53) Aphor. II, 6. 54) Coac. VII, 10.
55) Coac. I, 28. Prorrhet. I, 42. 56) Coac. VII, 21, 22.
57) Coac. VII, 26. 14. Prorrhet. I, 4. *) Aphor. IV, 72.
58) Coac. I, 26. VII, 19. 11. 59) Coac. I, 110. 66. 47, 114.
60) Coac. I, 80, 141. 61) Coac. I, 61, 87.
62) Coac. I, 72. Aphor. VI, 53. 63) Coac. I, 92.
64) Coac. I, 79, 89, 105, 141. Progn. I, 21.

lecto [65]), inquieti, de salute desperantes, morbum moleste ferunt, etiamsi non caleant [66]), in ventrem praeter consuetudinem decumbunt [67]), ad contactum manus exsiliunt vel pavescunt, quasi excussi ex somno [68]); breviter bibunt, cum contentione quadam, difficulter deglutiunt, haustu saepe interrupto; ad strepitus adtendunt, tremuli facile et convulsi [69]). Febris modo mitis est et lenis, non urens, modo acuta [70]), vomituritio, in screatum frequentem desinens [71]), sputa vero pauca, rotunda Hippocrates dicit. Saepe concurrunt spasmi maxillae inferioris, stridor, siccitas et squalor dentium [72]), tumores multis nascuntur ad aures cum sopore, anxietate et nausea, dolore praecordiorum [73]), cum exitu vario.

Quae signa quum malum tam atrox et cito funestum annuntiarent, universim in malis nostro auctori habebantur, praesagiumque jam per se infaustum reddere solebant. Speciatim vero periculosa ejusmodi aegrotis reperiebantur: sudores, praesertim frigidi, diebus judicatoriis oborti, vehementes et veloces, qui expellerentur ex fronte velut guttae, large manantes [74]); mortem hi saepe indicabant ob internam inflammationem forte accessoriam [75]); terrebant etiam sudores parvi [76]), strepitus in deglutiendo, vocis defectus et buccarum ac labiorum inflatio, velut dormientium [77]); incitatio ad alvum deponendam inanis, mortis proximae annuntia [78]).

Quantum ad exitum morbi, tam multa et bona noster jam pridem observavit, ut recentior aetas nonnisi pauca adjicere sciverit. Permulta nunc etiam verissima

---

65) Prorrhet. I, 26. 66) Coac. I, 2. 67) Coac. IV, 120.
68) Coac. I, 55. 69) Coac. I, 90. 70) Coac. I, 89. II, 69.
71) Coac. I, 51. II, 83. 24. Prorrhet. I, 12.
72) Progn. I, 21. Coac. II, 79. 73) Coac. II, 24. et alibi.
74) Aphor. VIII, 4. 75) Aphor. IV, 37, 38.
76) Epid. VI. s. 7. t. 14. et alibi. 77) Epid. L. VII, 6. t. 7.
78) Epid. L. VI. s. 7. t. 14.

reperiuntur; non pauca quidem in quibusdam solummodo aegris vel morbi speciebus vim habere videntur, quippe quae non in omnibus sed compluribus tantum animadverterentur. Talium vero difficilior usus in praxi est, et exercitatum medicum requirit.

Bona sperare licet, si aegrotus morbum facile fert, si decumbit eadem ratione, qua sanus consueverat [79]). Malum est, moleste ferre morbum, cum inquietudine implacabili, praecipue cum calore externo mediocri adeove minuto [80]). Fatalis etiam est decubitus supinus, extensis cruribus, vel disjectis vel valde incurvatis et complicatis, similiter si ad pedes pronus aeger delabitur, ponderosus; ore hiante inter soporem continuum. Pedes nudos habere et manus, si calor vehemens non est, significat anxietatem, itaque malum est [81]).

Caput et pedes et manus perfrigerari, alvo et lateribus calidis, funestum; optimum autem est, totum corpus aequaliter calidum et molle esse, aegrotum facile converti, et in attollendo se promptum esse; gravitas autem totius corporis et manuum ac pedum mala est. Si vero etiam praeter gravitatem livescunt ungues et digiti, mors in propinquo est [82]). Lethale enim in quocunque morbo, si cum imbecillitate livores eruperunt, vel ulcuscula in ambitu livida [83]). Si vero penitus nigrescunt, minus periculum urget, quam si liveant; siquidem partes nigrefactae decidunt, aeger morbum facile fert, et alia bona signa concurrunt [84]).

Si puri oculi sunt, et albuginea eorum tunica, quum livida et nigricans fuerat, pura redditur, criseos indicium est [85]). Sed sordes oculorum, caligo, aut rubor, vel livor, aut venularum in albuginea impletio, non bona sunt. Malum etiam, splendidiorem lucem fugere,

---

79) Coac. IV, 120. 80) Coac. I, 2. 81) Coac. IV, 120.
82) Coac. IV, 116.
83) De locis in hom. c. 12. (p. 371. ed. Chart.).
84) Coac. l. c. 85) Coac. II, 58.

aut lacrimari, aut oculos distorqueri, alterum altero minorem apparere [86]), aut oculos crebro agitari, aut difficulter moveri [87]), aut lemas parvas, sebaceasque sordes albicantes circa eosdem habere, aut corneam sub superiorem palpebram revelli; mala item oculorum cavitas, et prominentia insignis, vel nitor deficiens, pupulae immobilitas, extremitatum palpebrarum curvedo, et oculi fixi, assidue nictantes, colorem crebro permutantes, quasi subsultantes, filamentosam lanuginem ad palpebrarum limbos habentes, palpebrae per somnum non commissae [88]). Talia cum sonitu aurium juncta symptomaticam phrenitidem denuntiant.

Crisis ardentium febrium fit per diem XIV, sive allevetur aeger, sive perimatur [89]). Acutae salutariter judicantur sanguine de naribus fluente vel haemorrhoide largiter prorumpente, die critico, septimo, nono, decimo quarto, in mulieribus menstruo fluxu; sudore multo oborto et urina purulenta vitrique instar perspicua, habente bonam hypostasin et acervatim exeunte; porro abscessu memorabili oboriente, alvo mucosa et sanguinolenta, derepente effusis biliosis, dysentericis, et vomitu non parvo, nec inter mala signa comparente, circa criseos tempora [90]), dolore etiam genuum et coxendicum [91]). Nihil vero quod paucum, criticum evadit; pauca enim comparentia, velut sanguinis stillae aliquot, in omnibus excretionibus naturae molimine institutis mala omnino sunt [92]). Laudabat noster sudores, qui, quum diebus criticis prodirent, febrem prorsus auferrent [93]), qui guttatim stillarent et vaporem dimitterent, qui toto corpore manarent; sicuti omnes omnino egestiones, quae facerent, ut aeger facilius morbum ferret [94]). Frigidus

---

86) Epid. VII, t. 110. 87) Epid. L. VI. S. 1. t. 27.
88) Coac. II, 59, 68. V, 9. 89) Coac. I, 124.
90) Coac. I, 136, 138. 91) Coac. I, 138. 92) Coac. VII, 46.
93) Aphor. IV, 36. Progn. I, 26. 94) Aphor. I, 2.

autem sudor, circa superiora tantum contingens, diuturnitatem et mortem, illam in mitiore, qualis lenta morbi species est, hanc in acuta febre portendit [95]). Solvitur etiam febris ardens rigore semel superveniente circa criseos tempora, siquidem sudor mox subnascitur [96]). Repetiti horrores, vel post sudorem oborti, mali.

Alvi egestio optima est mollis, formata, subfulva, non valde graveolens, prodiens hora consueta, pro ratione ciborum ingestorum, copiae respondens; spissari autem solet versus crisin [97]). Commodum etiam, lumbricos decedere simul, versus crisin; melius, vivos; deterius, mortuos [98]). Bonum est, circa criseos tempora obortum profluvium subrubrum [99]), prodest praecipue soporosis, valde lassis, surdis factis in vigore morbi [100]). Malum vero idem est diebus morbi prioribus, praecipue si lentus et quasi malignus morbus evadit, ubi statim in principiis sopores urgent, cum capitis, lumborum, colli, hypochondriorum doloribus, vigiliis, naso stillante [1]). Nocet spumosa dejectio et biliosa, valde alba [2]), aquosa, non desinens, pejor etiam quasi furfure permixta; sopor inter haec funestus est, et imbecillitas praeter rationem nata [3]). Terret medicum sanguis meracus vel atra bilis in initiis morbi decedens [4]).

Vomitus securissimus est ex pituita et bile permixtus [5]), deterior meracus; inter talem singultus funestus est [6]). Mali ominis etiam vomituritio vel vomitus parvi, cum anxietate, vigiliis, aurium sonitu [7]), vel sub vomitu siticulosum et sitis expertem fieri [8]). Celerrimam mortem significat lividus et male olens [9]). Mictio

---

95) Coac. VI, 1. 96) Coac. I, 121. et alibi.
97) Coac. VIII, 1. 98) Ibid. 2. 99) Prorrh. I, 3, 100.
100) Coac. II, 23. 1) Coac. II, 19. Prorrh. I, 2.
2) Prorrh. I, 13. Coac. I, 85. 3) Coac. VIII, 3—6, 17.
4) Coac. VIII, 10. I, 64. 5) Coac. V, 1. 6) Coac. V, 13.
7) Coac. V, 5, 6, 9. 8) Coac. V, 10. 9) Coac. V, 3.

nigra, vomitus nigri, cum dolore capitis, surditate, manuum tremore, colli dolore juncta, perniciosa [10]). Urina bona est cum sedimento multo, crasso, levi, albo [11]); periculosa vero, quae repente et citra rationem parum coquitur, et generatim in acuto morbo sine ratione matura, quae alba et diffusa est, livida, nigra, oleosa [12]); funestum est, si praeter voluntatem et latenter dimittitur [13]). Ex perfrigerio urinas intercipi, pessimum [14]).

Icterus ante septimum diem accedens, malus; septimo vero, aut nono, aut undecimo, aut decimo quarto criticus est, dumne hypochondrium induratum, nec anceps rerum facies sit [15]). Minus vero tuta crisis aurium abscessu fit, atque in constitutione epidemica aliqua supra memorata duos aegros noster obiisse refert, quibus parotides rite suppuraverint [16]). Familiares ejus modi abscessus sunt febribus ardentium similibus; et si crisin perfectam non fecerint, neque cocta materia fuerit, aut sanguis e naribus proruperit, aut urinae crassum sedimentum concipiant, aegri pereunt. Plerique vero illorum tumorum antea subsidunt. Considerare praeter haec oportet ipsam febrem, num augescat, an remittat, et sic pronuntiare [17]). Cum dolore vehemente intumentes parotides perniciosae evadunt [18]); post alvos graveolentes natae cum hypochondrio intento tardius elevatae occidunt [19]); prodeunt maxime soporosis, anxiosis cum nausea, praecordia dolentibus, crebro et pauca spuentibus [20]); salutares evadunt, si cum coctionis signis et cum levamine morbi contigerint; si ante maturationem subsidebant, aegri juvantur aut sanguine ex naribus profluente, aut diarrhoea biliosa, aut urina

10) Coac. II, 16.
11) Epid. L. VI. s. 6. Coac. VII, 1, 10, 11, 19, 26.
12) Epid. I. s. 3. t. 18, 19.
13) Prorrh. I, 28. Coac. VII, 16, 42. 14) Coac. I, 5.
15) Coac. I, 112. et alibi. 16) Epid. L. I, s. 2.
17) Coac. II, 49. III, 21. 18) Coac. II, 40.
19) Ibid. 42. 20) Coac. II, 24.

crasso sedimento conspicua, aut alia crisi per abscessum superveniente. (In Epidemicis passim.) Surdidatem in hac febre natam tollit alvi dejectio, et vice versa, alvi egestio cessat surditate oborta [21]). Etiam sanguinis fluxus ex naribus surditatem solvit, stillicidium vero, eadem simul cum torpore obtinente, anceps est [22]). Generatim funestus est sanguis de naribus quarto die effusus, minus infaustus quinto, sexto vero stillae aliquot, pessimae [23]).

Impeditae crises diuturnitatem morbi praesagiunt, sed nondum lethales sunt [24]). Recidivum morbum urina portendit post sudorem turbata [25]) et universim, si quid post crisin relinquitur *). Firmam autem crisin testantur somni profundi, non turbulenti, nec multis malis signis stipati, a quibus melius aeger habeat [26]), resipiscat; turbulenti et cum dolore corporis, a quibus levamen aegro non accedat, nocent potius [27]); sopor vero profundus, ubique malus [28]). Exoptatum est, si insomniorum phrenitici reminiscuntur [29]), si congrua illa sunt et evidentia; bonum etiam, si facies bona [30]).

Si vero in febre ardentis simili aeger nonnihil perfrigescit, inter dejectiones aquoso-biliosas, frequentes, si oculi subsiliunt, distorti, praecipue si stupor simul adest, admodum infaustum [31]). Quicunque porro sine voce jacentes, oculis conniventibus nictant, hi si post sanguinis ex naribus profluvium aut vomitum loquuntur, et resipiscunt, servantur; quae si non fiunt, cum respiratione difficili brevi moriuntur [32]). Similiter qui ex rigore perfrigescunt, febre scilicet miti, lenta, parum calente, caput et collum dolentes, voce in decursu morbi destituuntur, leviter et superioribus saltem continuo su-

---

21) Coac. VIII, 44. 22) Coac. II, 50, 51. 23) Coac. I, 121.
24) Coac. I, 70, 132. Epid. L. II, s. 1. t. 7.
25) Coac. VII, 21. *) Aphor. II, 12. 26) Aphor. II, 1, 2.
27) Coac. I, 137. 28) Coac. II, 18. 29) Ibid. I, 84.
30) Epid. L. VI. s. 2. 31) Coac, I, 122. 32) Coac. I, 73.

dant, morti proximi sunt, ubi tandem ad sese redeunt [33]); quemadmodum nunc etiam in febre typhode (nervosa) lenta fieri, creberrime observamus. Quaecunque enim signa febri adversa sunt, i. e. symptomata mitescunt, deliria cessant etc., sed sine ratione et abscessus significatione, maligna sunt et brevi lethalia [34]).

Lethalis praeterea Hippocrati comperta est faciei corruptio saepe repentina, minus vero, si propter vigilias aut famem aut alvi exturbationem facta esset. Cernitur haec facies oculis cavis, naso acuto, collapsis temporibus, auribus frigidis, contractis, pellucidis, cute dura, sicca, cum calore minuto, rigore, colore pallido, aut nigro; livescens autem palpebra, aut labium, aut nasus brevi mortem praecedunt [35]). Lethalia non minus tremores artuum, linguae vehementes [36]), in quos brevi ante mortem desinit morbus; convulsiones, praesertim in fastigio morbi [37]); dentium stridor, si delirio supervenerit, et siccitas eorundem circa vigorem mali [38]); vocis interceptio [39]); suffocatio [40]), vel frigidus, ore et naribus spiritus emissus [41]); rigor, si aliis infaustis signis adjunctus est [42]); maxillae constrictio vel retractio et columellae revulsio [43]), lingua livida, fissa, sublurida, nigra [44]); fauces exulceratae, si alia mala concurrunt [45]); colli rigor et deglutitio difficilis, denegata [46]); strepitus, dum bibunt, in oesophago editus, cum respiratione tussiculosa [47]); mentis alienatio, cum silentio, voce non deficiente [48]); potissimum si vires antea exhaustae fuerint [49]), si aegri neque videant, neque audiant, aut labium, aut supercilium, aut oculus, aut nasus distor-

33) Coac. I, 1. 34) Coac. I, 133.
35) Coac. II, 53. 33. Ib. I, 3, 62. Epid. VI, 2.
36) Coac. I, 91. Prorrh. I, 9, 14, 20. 37) Aphor. IV, 66. et alibi.
38) Coac. II, 79, 80. 39) Ibid. I, 32. II, 86. 40) Ibid. 57.
41) Progn. I, 24. 42) Prorrh. I, 13.
43) Progn. I, 17. III, 17. Prorrh. I, 1, 11. Coac. II, 90.
44) Coac. II, 72. 45) Ibid. 96. 46) Ibid. 97.
47) Coac. I, 59. 48) Coac. I, 61. 49) Ibid. 94.

queatur [50]); si declives fiunt, a culcitra ad pedes delapsi [51]); si extrema algent, internis summopere aestuantibus et dolentibus [52]); sopor etiam, qui ex praecordiorum doloribus subnascitur, pessimus [53]). Lethalia lacrimae praeter voluntatem effusae, siquidem alia pessima signa adjunguntur, neque narium haemorrhagia expectanda est [54]), omnis omnino excretio, quae sine sensu aegri elabitur [55]), testes et pudenda sursum revulsa [56]), tendinum distentio [57]), pustulae per totum corpus erumpentes (miliares?), nisi purulentus abscessus, maxime circa aurem, fiat [58]). Denique lethalis morbus is maxime habebatur, in quo graviter laborantium corpora eadem permanerent, nec morbi saevitia attenuari vel imminui viderentur, aut si magis, quam mali natura postularet, colliquescerent, aut, uti memoratum est, in debilitatem absque manifesta ratione, vel a principio statim inciderent [59]).

§. 39.

Quae igitur potiora Hippocrates in febre nostra animadverterit, pleramque partem ad praesagium morbi referens, hacce collectione in faciliorem forte conspectum prodidimus. Apud auctorem quidem haec phaenomena multiplici nexu feruntur complicata, et variis societatibus ac mutuis rationibus inter sese multifariam coëuntia. Haec vero singulorum indiciorum permutatio non poterat diversitatem non efficere tum speciei aegritudinis, tum decursus, tum exitus, tum aliarum

50) Ibid. 68. Aphor. IV, 49. cf. hist. uxoris Hermoptolemi §. praeced.
51) Progn. I, 15. 52) Aphor. IV, 65. 48. VII, 1. Coac. I, 107.
53) Coac. I, 29.
54) Prorrh. I, 10. Epid. L. I. s. 2. t. 80. Aphor. IV, 52. VIII, 2.
55) Coac. VIII, 44. 56) Coac. IV, 117. 57) Coac. II, 90.
58) Coac. I, 106. 59) Aphor. II, 28. Coac. I, 58.

rerum. Quare multa dictorum symptomatum praesagium habent, demum pro comitantium signorum varietate definitum. Rebus autem sic complicatis nihil aliud nobis relictum erat, nisi ut, solutis illis symptomatum complexibus, quae singula compluribus communia essent, in arbitrarium aliquem ordinem conscriberemus, atque ex potiori et frequentiore eventu significationem certam erueremus, quo decreto propius accederetur ad simulacrum morbi generale confingendum. Nullibi enim completa accurataque imagine morbi historiam ejusque decursum generatim noster proposuit; sed levi adumbratione ac paucis indiciis complures quosdam affectus notavit, quos, sive cito transeant, sive diutius persistant, ad febris nostrae ideam conjunctim referri posse putaverimus. Interim etiam, qui ita exhibeantur symptomatum complexus, singulares profecto ac sibi constantes, utut pauca tantum concurrentia offerrent, quibusdam solummodo vel compluribus aegris, neutiquam omnibus vel plurimis saltem similiter laborantibus evenisse, haud dubium est lectione Hippocratica versato. Quin in compluribus observationibus non parum ambigitur de supponenda specie morbi, atque tam ad acutam, quam lentam vel aliusmodi febrem typhodem singulae aliquot aequa verisimilitudine referuntur, propter vim verborum et symptomatum significationem ancipitem. Itaque in circumscribenda generali morbi effigie egimus, quemadmodum modo indicatum est, continuo habito respectu ad nostram experientiam et morborum doctrinam; brevitati simul sic melius consultum putabamus, vitata frequentiore quorundam phaenomenorum repetitione, quae necessaria fuisset ipsos aphorismos convenientes ad verbum exscribenti.

Colligenti vero dispersas illas adnotationes atque inter sese comparanti verisimilitudo mihi quidem quam maxima exstitit, Hippocratem bene jamjam novisse et distinxisse plerasque affectiones, quas hodiedum nos

tamquam typhodis febris species communi cognomine comprehendimus; vidisse typhodem statum cum febre inflammatoria, ardente, biliosa, vel simpliciter gastrica, saburrali, quod testantur praeter multas sparsas observationes, aegrorum historiae, quas ipse reliquit; cognovisse etiam, quam lentam dicimus febrem, in Epidemicis [60]) et alias [61]) depictam. Non latuit eundem, quae nuperis luculentius expressa est, febris typhodis versatilis et stupidae diversitas, ut ex superioribus partim, certius autem ex sermonibus auctoris ipsius apparet. Bene porro observavit viscerum inflammationem eidem malo saepe praeviam, vel comitem adjunctam, ejusque complicationis praemagnum periculum, quod tam atra nota etiamnum signavit posteritas, compluribus locis sagaci judicio expendit. Huc referendae sunt multae, etsi non omnes, ut quidam voluerunt, febres assodes, lyngodes, et leipyria, de quibus plurima exstant adnotata [62]). Quin etiam, quo jam supra innuimus, secundariam, metastaticam, quam vocamus, sympathicam mali originem et rationem a protopathica rite discernebat; ac prae ceteris frequens, ut multis ex locis intelligitur, eidem occurrebat, quae morbi (soporosa) species pulmonis affectibus inflammatoriis vel infarctui subnascatur [63]).

---

60) L. I. s. 2. cf. supr. §. 34.

61) Tali modo laborantes intelligere noster videtur, quos (in Coac. Praenott.) cum lassitudine, caligine oculorum, vigiliis, comate, sudatiuncula incalescentes, i. e. mediocriter febricitantes, pessime aegrotare praesagiat. — Cf. Ibid. i, 1, 33, 34. hisce et aliis locis compluribus praecipue in eodem libro manifesta febrium lentarum nervosarum significatio habetur.

62) Aphor. IV, 48. etc.

63) In Coacis Praenotionib. I, 125. Brendel. (145. Duretus.) et alibi lethargicos hos dicit: manibus contremiscentes, soporatos, pallore decolores, unaque turgidulos, facie oedematis in modum inflata, pulsum habentes sepultum, languidum, genas tumidulas, sudores varios et alvi dejectiones profusas, biliosas, sinceras, cum meteorismo; vel ubi adstricta

Animum praeterea advertit ad eam debilitatem, quae citra evacuationem quandam vel aliam causam manifestam saepius repente invaderet, quasi a materia subtili, principes facultates pessumdante [64]). Denique, ut hoc unum saltem addamus, et aetas et privata hominum constitutio, qua efficacia sit in variandis status typhodis fomite et specie, neutiquam illum effugit; alium enim mali habitum, alias excretiones agnovit in juvenibus, biliosis, aliam constanti aetati familiarem (ferinam hanc dicit phrenitidem, melancholicam, obscuram, silentem [65]), aliam formam aetate provectioribus magis propriam (lethargicam passionem [66])). Suspicatus etiam est, periculum nonnullis intendi non tantopere a morbi vehementia et irritationis ac fomitis magnitudine, quam potius materiae mali deteriore indole et ineluctabili iniquitate (qualitatem malignam recentiores dicere amabant), quae veneni ad instar, indole magis quam copia peccante, naturae facultatibus infesta esset. Tali materiae occulte insidiosae debetur virium modo dicta atrox dejectio citra humorum jacturam ex improviso superveniens; eodem innuit Hippocrates deliria stu-

---

alvus antehac fuerit, urinam et faeces injussas clam aegro secedere; urinas ceteroquin esse jumentorum similes. Porro, ait, nec bibere, nec aliud quidquam sibi dari postulant. Sed cum resipuerint, de cervicis dolore queruntur, flatusque sonos per aures erumpere. (Quod idem creberrime vidit Hildenbrandus in iis, qui ex typho contagioso convalescerent.) Quicunque vero, pergit noster, ex his servantur, sunt quidem pauci, plurimis suppuratio aliqua oboritur. — Hisce typhodes febris innui mihi videtur, qualis in laxis, pituitosis, impuris constitutionibus, temperamentis phlegmaticis et pulmonum aliquot affectibus, speciem lentae febris prae se ferens, nunc etiam et saepius superiore tempore observata est. Accedit haec mali effigies ad apoplexiam pituitosam Baglivi, quae emeticis et eccoproticis sanetur, a venae sectione vero in pejus ruat.

64) Coac. Pr. I, 50. ed. Brendel et alibi in Prorrhetic. cf. supr. §. 38.

65) d. vict. acut. s. IV. 66) vid. supr. Annotat.

diosa, taciturna, obscura, floccorum collectionem et similia indicia ut pessimi augurii damnans, tamquam ab atra bile, humore pessimi generis et deleterio oriunda [67]). Hoc fomite nata phrenitis est, quae paulisper ascendens immanis fiat. Eodem denique redeunt omnia, quae, Galeno renovante, postmodum circa malignitatem toties observata et tam diverse excogitata sunt.

§. 40.

Ceteroquin Hippocrates, loquor de genuinorum librorum auctore, ut inter omnes constat, neutiquam multum vacabat indagandis proximis malorum causis et internis eorum naturis. Quae enim castam et sinceram observationem fugerent, eorum ratio ingenii sagacitate rite cognosci posse minime ipsi videbatur, quantumvis alioquin ad praxeos commodum philosophiae studium commendaret. Multi itaque loci, in operibus ipsius nomine inscriptis, vel propterea tamquam spuria redarguuntur, quoniam subtilior inest de interiore morborum ratione disputatio. Sedulo vero occasionales, quas vocant, sive procatarcticas causas examinabat, quae positam hominis opportunitatem in actionem ipsam et motionem anomalam concitarent; meminit enim crapulae, apricationis in sole, potus vini meracioris, laborum, lassitudinis, curamque gerebat ad diversitatem ejusmodi irritamenti respiciens. (D. vict. acutor.)

Praecipuam autem admirationem meretur ob diligentem ac perspicacem tempestatis animadversionem, cui in popularibus potissimum morbis conflandis tam insignis potestas esse videtur. Observabat enim austrum diutius spirantem, typhodi gignendo affectui prae cete-

67) Hipp. vict. acut. l. c.; nisi forte haec de causa interna intermixta ratiocinia, ut plurima ejusmodi, ex schola medica subsequente sunt oriunda.

ris tempestatibus favere, capitis et auditus gravitatem, vertiginem, motionis languorem et difficultatem inde effici [68]), humoribus, ut ipse judicabat, versus caput congestis et corpore relaxato. Sic variis anni temporibus, ut variis aetatibus, varium morbi habitum et variam complicationem ac decursum distinxit; hiemi somnolentam speciem, aestati biliosam morbi naturam et complicationem, pessimam vero indolem auctumno solemnem esse expertus est [69]). Universim, constantibus temporibus, si tempestates vere congruae, coelo regionis solemnes ac tempestivae exstiterint, morbos stabiles accidere, bene moratos riteque ad crisin decurrentes, inconstantibus autem, atque a consueta natura desciscentibus instabiles et difficiles atque infausti judicii [70]); id quod omnis aevi testimonio ad hunc usque diem egregie confirmatum habemus, licet ratio eventus justa ad unguem reddi adhucdum nequeat. Attamen non a sola tempestatum varietate et aëris proxime nos ambientis mutatione morbos vidit populares; sed ab alio quopiam rerum ampliore spatio remotarum, ut coelestium, eventu et potentia, modo magis modo minus nobis reconditis, similes effectus in mortales exerceri cognoverat. Morbos itaque et tempora, ait, exacte sibi invicem correspondere, nisi quid in superiori natura instauretur [71]). Quod in rebus sublimibus, coelestibus permutatum hic dicit, est divinum illud (τὸ θεῖον) in morbis, quod prudenter agnovit, et sedulo animadvertendum medico praecepit, quum a causis nos latentibus, forsan praeter anni ejusque manifestarum conditionum rationem, morbi populariter grassarentur [72]).

68) Aphor. III, 5, 17.

69) Aphor. III, 9, 22, 23. et alibi. Epid. L. II. s. 1. (Opp. ed. Kühn. T. III. p. 429.).

70) Aphor. III, 8. Epidem. l. c.

71) Νεωτεροποιηθῇ ἐν τῷ ἄνω εἴδει. Epid. l. c.

72) Progn. 4. Subinde enim, anno apparenter salubri, perniciosi affectus multis hominibus superveniebant.

Quando igitur multi homines uno morbo corripiuntur tempore eodem, id in causa putandum est, quod omnibus communissimum, quoque omnes maxime utuntur. Nisi victus publicus male comparatus est, aër unice laesit mortales. Est vero, ubi popularis lues omnes promiscue infestet, quocunque victu, quocunque sexu vel aetate vel vitae genere utantur; tunc sane vivendi ratio neutiquam accusanda est, omnisque culpa aëris incongruae constitutioni tribuenda. Alibi vero ii solummodo epidemicam labem contrahunt, qui vel victu vel aetate, vel vita magis minusve exercitata, vel alia quadam peculiari sorte faventem diathesin nacti fuerint. Non enim omnia omnibus conferunt aut obsunt; sed aliis magis, aliis minus conveniunt. Aër autem tam vario modo mutatur, tam variis inquinamentis repleri potest, ut singulari aliqua affinitate modo has, modo illas constitutiones hominum, modo hoc, modo aliud genus animantium in morbum praecipitet, prouti infesta sua indole opportunos offenderit [73]).

Notandum vero est, haecce initia doctrinae de miasmate pestifero in genuinis libris minime mihi esse reperta, licet forsan jam Hippocratis aetate inter philosophos et naturalium rerum scrutatores haec notitia viguerit. Mox a nostro Praxagoras primus medicorum videtur hanc sustinuisse et in medicinam introduxisse [74]), eoque auctore in pseudo- hippocraticis compluribus de causa popularis mali similiter disputari. Contagione morbum quendam cum aliis posse communicari, nullibi apud nostrum innuitur; sive plane ignoraverit hanc causam, ut Hildenbrando [75]) videtur, sive velut notissimum omnibus, neque mentione indigens, consulto silentio

---

73) Hipp. d. nat. homin. L. II. t. 3. (Chart.) Id. de flatib. 6.

74) Galen's *Fieberlehre, übers. von* Sprengel. p. 34.

75) *Ueber den ansteckenden Typhus*, p. 21.

praeterierit, id quod Galeno duce[76]) priores plurimi[77]) arbitrabantur, nobis perinde est, quippe quaerentibus, quid ille memoraverit, non autem, quid et qua causa reticuerit. Res ceteroquin utcunque tractata in medio demum relinquenda erit.

§. 41.

Circa curam morborum, si non adeo operosus in medicatione, sed totus fere in observando decursu et mutatione adnotanda erat, Hippocrates sapientissime mihi videtur sensisse, quid aetati suae et arti, qualis tum quidem haberetur, opus esset et vere proficuum. Etenim in illa penuria justarum et convenientium observationum, quum neutiquam satis compertum haberetur, quid et qua via sincera virtus naturae sibi relictae in morbis flectendis praestaret, princeps necessitas non alia urgebat, nisi ut augeretur summa cognitionis non tantopere circa remedia, quae forte juvarent, quam potius circa imperturbatam morbi evolutionem et deflagrationem[78]). Qua via noster insistens naturam ut solam et convenientem morborum medicatricem cognoverat[79]). Medicus, minister et interpres, ejus nutui obtemperans ipsique socius, adjunctis viribus una obluctetur morbo, idque adminiculis affectui contrariis[80]). Natura enim repugnante omnia medicamenta incassum adhibentur, vel nocent adeo. Quodsi, omnibus rite ita factis, consilio medentis effectus non statim respondeat, curatio non facile nec cito mutanda est, dummodo per-

76) De diffic. respiratione. L. II. c. 7. quo loco comparationem instituit Hippocratis cum Thucydide pestem describente.

77) Cf. Praelect. Marciae Fabii Paulini. Venet. ap. Junt. 1603. p. 100.

78) Cf. prae ceteris libros Epidemic.

79) Epidem. l. VI. s. 5. initio et alibi passim.

80) Ibid. p. 607. ed. Kühn. et s. 8. p. 621.

sistant argumenta, quibus jubentibus illa suscepta esset. Ubique vero animum probe advertat ad τὸ εὔφορον et δύσφορον, ad id, quod facile et quod aegre vel cum molestia feratur, quod juvet aut laedat [81]). Neque tamen posthabeatur in hoc negotio consuetudo in victu, tegumentis, laboribus, somnis, animi affectibus etc [82]).

Namque non solus morbus per se, sed aeger etiam maxime considerandus venit, et quaenam cuique conveniant et in quibus morbis et quo tempore, sedulo discernendum [83]). Tali quidem cautione speciatim morborum populariter grassantium, quippe qui maximum medico negotium faciunt, rite inspicitur natura et species, atque examinantur circa medicāminum efficaciam. Etenim mutatur haec secundum genii epidemici diversitatem, ac licet morbus apparenter idem habeatur, alio tempore et alia constitutione curationis eventus plane diversus sorte obtingit [84]). Differunt vero etiam medicamentorum vires, prouti maturius vel serius illa capiuntur, vel pro varia ad usum praeparandi ratione [85]).

Quae vero morbo contraria sunt (vid. supr.), non subito, nec immoderate, sed paulatim admovere oportet, et subinde intermittere [86]). Nihil temere suscipiendum, nihil negligendum. Si quae materiae, quo non oportet, vergunt, revellantur, sin autem, quonam convenit, eis tunc viam parare decet, quaquaversus singula quaelibet inclinent. Et meatus aperiendi sunt, quibus ad excludendam materiam opus est, et quibus adminiculis convenit, et dimittenda, qualia, qua via, quando et quantum oportet, velut sudores et quae alia in hunc censum veniunt. Quibus quidem opus est, ut

---

81) Ibid. p. 629. 82) Ibid. 628. 83) Ibid. L. II. s. 3. p. 447.

84) Ibid. L. VI. s. 8. p. 626. Exemplo sit venae sectionis efficacia, diversa tempestate eidem morbo diversa. Pleuriticos non raro laesit sanguinis detractio; de qua re elegantissime praecepit Sydenhamus, ut suo loco notabitur.

85) Ibid. II. s. 3. p. 447. 86) Vict. in acut. passim.

antea maturescant et praeparentur, ea occlusionem tamdiu desiderant; sed quae maturata jam sunt, vel cum turgore secessum quaerunt, qualiacunque sint, emittenda [87]). Ex humoribus alii expellendi, alii exsiccandi (discutiendi), alii autem inferendi, neque singuli ubivis, sed interdum quidem, interdum vero minime [88]). Est enim medicina additio eorum, quae deficiunt, et subtractio eorum, quae superflua [89]). Extremis autem malis extrema remedia [90]), optima; quaeque medicamenta non sanant, ferrum sanat, quae ferrum non sanat, ignis sanat, quae ignis non sanat, — mors demum sanabit [91]).

Nihilo secius in morbis, quos quis minime cognoscit, medicamentum neutiquam vehemens propinandum [92]). Si cui in morbis permutationem quandam, attenuationem, detractionem etc. instaurare in consiliis est, aegro existente robusto, morbo vero debili, tunc quidem audacter medicamento uti poterit valentiore, quam morbus est; neque etiamsi, quod sanum est, una cum morboso educatur, ulla inde fiet noxa. At ubi in morbum violentiorem, aegrum vero debiliorem incideris, curatio instituenda est debilibus medicamentis et placide efficacibus, quae morbo quidem superiora evadant, debellatumque abducant; aegrum autem nequaquam debiliorem reddant [93]). In morbis debilibus alioquin medicamenta natura valentia non sunt exhibenda; neque imbecillitas medicamenti molis paucitate metienda est. Sed in valentibus generatim, et si cetera consentiunt, utendum est medicaminibus natura valentibus, neque transmutanda haec sunt, sed singulis secundum naturam suam exhibenda [94]).

Morbi vetusti difficilius quam recentes curantur, verum vetustos morbos primum recentes facere conve-

---

87) Epidem. L. VI. s. 2. p. 592. 593. 88) Ibid. p. 588.
89) Ibid. inferius. 90) Aphor. I, 6. 91) Aphor. VIII. ult.
92) D. locis in homine. p. 137. Opp. ed. Kühn. T. II.
93) Ibid. 138. 94) Ibid. p. 146. 147.

nit [95]). Satius autem erit, abstinere a cura eorum, de quibus plane desperatum sit, quorumque sanatio artis finibus minime circumscribitur; ne auxilia in contemtum vulgi veniant, quae tam multis salutem reddiderint.

Verumtamen etiamsi tali modo noster sentiens, neque uno duntaxat loco sic effatus, potius *φιλίατρος* quam *φιλάνθρωπος* alicui existimetur, non omnino damnandus est; excusatus insuper a compluribus. Quis enim sinceritatem ingenui viri et humanitatem, constantiam ac simplicitatem non amabit ac pie venerabitur, quando quidem animum et studia pulcherrime is profitetur his verbis:

ἐμοὶ δὲ ἀνδάνει μὲν ἐν πάσῃ τῇ τέχνῃ προσέχειν τὸν νόον. καὶ γὰρ ὁκόσα ἔργα διήκει κάλως, ἕκαστα χρὴ ποιέειν καὶ ὀρθῶς· καὶ ὁκόσα ταχέως ἔργα, ταχέως, καὶ ὁκόσα καθαρίως, καθαρίως, καὶ ὁκόσα ἀνωδύνως διαχειρίζεσθαι, ὡς ἀνωδυνώτατα ποιέειν etc. [96]).

Universim denique monet sapientissimus firmam in arte medica doctrinam aliquam (*καθηστηκός τι*), quemadmodum in alia e. g. pictoria habeatur, tradi non posse, neque illam propterea brevi tempore addisci. Namque medica ars, pergit, et nunc et paulo post non idem facit, et contraria sibi facit, eaque sibi ipsis contraria; alvum subducentia non semper ita subducunt. Indiget autem opportunitate (*καιρῷ*) ars medica [97]).

§. 42.

Praemonitis breviter, quibus generatim praeceptis medicina Hippocratica potissimum circumscribatur ac

95) *Νεωτεροποιέειν*. D. loc. in hom. p. 139.

96) Vict. acut. s. I. p. 27. Kühn. T. II. Hinc Asclepiadis celeberrimum illud: cito, tuto et jucunde, ap. Cels. L. III. c. 4.

97) Loc. in hom. p. 141.

ſuscita sit, delectis praecipue, quae in morbi nostri medela plurimum valeant, pergimus ad ea, quae seorsim ad illam et propius pertineant, atque ad accuratiorem conducant ejus rei cognitionem.

Curationem febrium, praesertim acutarum Hippocrates universim paucissimis instituebat medicamentis, et si excipias lene vomitorium, clysmata aut simile remedium laxans, quod circa initia adhibere forte consultum haberet, in progressu morbi, ubi ad statum res tendebat, a remediis prorsus abstinebat, nisi morbi indoles contrarium juberet. Sola tum ptisana, decocto hordeato, ad morbi genium varie temperato, ac certo quodam vitae regimine contentus, naturae reliqua committens, assidens rerum explorator crisin expectabat; ut apparet ex libro de Victu in acutis. De febre typhode (phrenitide) speciatim, vix peculiare quidquam suppeditat; quaeque circa ejusdem medelam sparsim monita apud eum habentur, omnino cum iis conveniunt, quae universim febribus adhiberi jubet. Neque etiam, quas ceteras enumerat febrium species, fere non nisi symptomate quopiam praeeminente diversas, singulari quodam circa medendi rationem discrimine sejungit, sed omnibus promiscue constantem sibi medelam videtur adhibuisse. Quapropter haud absurdum videtur, ut potiora hujus ipsius praecepta suppleamus, quo certior et accuratior et magis perspicua res evadat; hoc ceteroquin argumento commoti, quoniam, quae phrenitis, passim lethargus, Hippocrati dicitur affectio, febrem comitem habeat neutiquam unius semper ejusdemque indolis, sed in diversis aegrotantibus admodum diversam ac generatim promiscuam, unde tota fere acutorum medicina in nostro morbo habeat locum.

Itaque diaetae sedulo dirigendae quam maxime insistens, victum omnibus, qui cum febre decumberent, humidum proficuum esse reperit, eumque vel maxime pueris, ceterisque ejusmodi alimentis uti consue-

tis [98]); condonandum enim aliquid esse censuit aetati (crescentium) [99]), consuetudini [1]), tempori [2]) et regioni [3]). In exacerbationibus vero etiam illum subducebat, utpote tunc periculosum, id quod in iis praecipue febribus observabat, quae conspicuis paroxysmis infestarent [4]). Tunc enim nihil omnino dandum; multoque minus aegri, ut cibum capiant, cogendi [5]). Ubi igitur peracutus morbus est, et statim extremos habet labores, atque universim, ubi morbus in vigore est, extrema convenit victus tenuitas [6]); serius autem et in tantum quidem a tenuissimo hoc recedatur ad pleniorem, quo tempore et quanto a summa vehementia ille remiserit. Cautio enim observanda circa cibum subtrahendum [7]), ne a jejunio aegri attenuentur atque delinquant. Quicunque error committitur, major fit in tenui nimis, quam in paulo pleniore victu, quandoquidem vel sanis ille, praecipue in repentina mutatione, gravius fertur, atque ita tenuius justo nutriti ab erroribus quibuscunque admissis facilius et periculosius laeduntur [8]). Praesagire autem juvat decursum et longitudinem morbi, et conjicere inde, num suffecturus aegro sit, qui injungitur, victus, usque ad vigorem morbi, an prius ille deficiat et contabescat, neque ad coctionem et crisin perficiendam sustinere eum possit, vel morbus ante remittat [9]). Quamobrem in morbis longis alimentum tenue, etiam in acutis, ubi non convenit, periculosum [10]). Citius enim hic uberiore victu alendus aeger est, ut morbi violentiae sufficiat, donec iste consistat. Creberrime etiam contingit, ut talia aegri alimenta expetant, quae forte minus idonea morbo curando judicentur; ab hisce nihilosecius, cum necessaria

---

98) Aphor. I, 16. 99) Ibid. 13, 14. 1) Ibid. 17.
2) Ibid. 15, 18. 3) Vict. acut. s. 2. 4) Aphor. I, 11.
5) Ibid. 19. D. vict. acut. s. 4. p. 94. Kühn et alibi.
6) Aphor. I, 6, 7, 8, 10. 7) Vict. acut. s. 1.
8) Aphor. I, 4, 5. 9) Ibid. 9. 10) Ibid. 4.

cautione, non prorsus sunt prohibendi. Namque parum deterior justo et incongruus cibus, suavior autem et gratior, melioribus quidem sed minus acceptis est praeferendus [11]). Quem vero excrementitiis humoribus praeter naturam retentis scatere manifestum est, qualem intemperiem Galenus putredinem vocat, illum plenior victus neutiquam juvabit; impura enim corpora, quo plus nutriveris, eo magis laeseris, quippe aucto morboso apparatu [12]).

Alimentum ipsum febre laborantibus inter cetera omnia commodissimum noster habebat ptisanam, sorbitionem hordeaceam, quam pro varietate conditionum, quarum potiores modo commemoravimus, vel totam vel percolatam dabat (cremorem ptisanae), cum oxymelite et aqua. In principiis febrium, nisi cum summa vehementia infestarent, mediocriter largam et aliquantulum spissam permittebat, copia hordei in dies paullatim imminuta, quo citius et propius fastigium morbi instaret [13]). Circa hoc vero tempus ipsum solo cremore ptisanae aegrum sustentabat, vulgo quidem bis de die sorbendo, nonnihil remittens consuetudini, vel semel etiam, prouti mos in sanitate aegro fuisset. Isque usus continuabatur, tunc tantum paulisper intermissus, ubi propter purgans medicamentum haustum vel clysma receptum abstinentia opus esset [14]). Tali itaque regimine, felici non minus quam simplici, praecavebat phrenitidis supervenientis seminaria, tum quidem fomitis morbosi incrementum atque amplificationem, tum vero etiam vasorum inanitionem, quam in febribus vehementer extimescit, atque ab aliis quibusdam medicis intempestive admissam maximopere improbat. Viderat enim subinde, in hac praepostera et repentina commutatione inanitionis cum largiore pastu et vice versa, morbum ipsum

---

11) Ibid. II, 38. et alibi. 12) Ibid. 10.
13) D. vict. acut. s. 1. 14) Ibid. p. 31. Kühn. II.

insigniter ingravescere, atque ab humoribus crudis ad caput congestis vigilias provocari, quae coctionem materiae praeverterent, et deliria, malignos animi defectus, frigus extremorum, sudores pravos et anxietates, manuum tremores et reliqua signa lethalis status typhodis [15]). Perspicacissimus simul in curationis commodum jam dignoscebat variam indolem et fontem debilitatis in febribus, qua de re inter nuperos tantae controversiae exortae fuere. Animadvertit nimirum modo ex vasorum depletione inductam, modo ab alio quodam irritamento provocatam, modo a dolore et morbi vehementia supervenientem, ac medicos vituperat, qui causae hoc discrimen negligerent vel ignorent adeo. De periculo quidem monet medelae inconvenientis; neque tamen, quantum equidem certe video, curationis justae differentias exposuit vel inter sese comparavit [16]).

Sitim vero, ut hoc adjiciamus, compescere studebat aqua melle vel oxymelite grata; prohibebat simplicem et puram. A mellitis tamen abstinebat in biliosis, ut quibus acetosa magnopere conferrent. Vinum temperatum universim indulgentius permisit aegris, quippe vulgari ac diuturno usu assuetis; plane autem removebat in ejusmodi morbis, ubi vehementem capitis gravitatem vel mentis laesionem inde adduci posse suspicaretur; vix aquam tenuiter vinosam, neque hanc quidem ad continuam potionem tunc concedebat [17]).

---

§. 43.

Quando in victu rite constituto non satis praesidii videret ad morbum depeliendum, alia adminicula in usum vocabat, plerumque purgantia vel emeto-cathartica, quibus materiam morbi subduceret. Expectabat enim, humores ejusmodi incongruos et crudos ab initio,

---

15) Vict. acut. p. 48. 16) Ibidem. 17) Ibid. s. 1, 2.

pravitate sua irritantes, inter febrilem calorem excitatum naturae beneficio sensim mitescere, subigi inquilinis humoribus et quasi concoqui; ita vero praeparatos a sanguinis societate sejunctum, et critica emotione exclusum iri. Quo in officio naturam medicus conetur, quando quidem opus fuerit, adjuvare, primo apertas servando omnes secedendi vias; potionibus humectantibus humores nocivos, quo facilius subigantur, diluendo, leniendo, mediocriter refrigerantibus, acidulis, calorem, ne modum excedat et secretionem forte coërceat, temperando. Etenim quae corpora, materias incongruas educendo, purgare vis, ea oportet antea fluxilia (ἔῤῥοα) reddere [18]), motu humorum expedito, et meatibus reseratis, ut prompte discedant, quae praeter naturam continentur. Et concocta solummodo medicamento licet exturbare, neque cruda, quae firmius in corpore haereant, neque a natura forte propellantur. Quare neutiquam initiis morbi purgatio convenit, ubi nondum satis ad discessum praeparati esse possunt humores, nisi forte ex turgoris indiciis cognoscamus naturae conamina a sarcinis sese liberandi; raro autem cruda sic emoventur, et artis subsidium requirunt, tum etiam neutiquam sine circumspectione suppeditandum [19]). Veruntamen si quid reapse movendum ac subducendum natura indicatur, sive crudum, vel inquilinum, vel ingestum, sive maturatum jam sit, principii opportunitas praetermittenda non est. Nam tunc solum tuto arte exterminabitur. Vigentibus morbis, ubi per se jam vehementior exagitatio est, quiescere longe praestat; circa initia vero et fines illorum remissiora sunt omnia, neque vim cathartici medicamenti tam aegre solent ferre [20]). In valde acutis, quo materia turget, eodem ipso die purgandum erit; in talibus enim medicationem differre, malum [21]).

---

18) Aphor. II, 9. 19) Ibid. I, 22, 24. 20) Aphor. II, 29, 30.
21) Ibid. IV, 10. *Καιρὸς ὀξύς*, ibid. I, 1.

Postea vero quam tempestiva tali motione pars fomitis evacuata fuerit, natura, quod residuum attenuatumque est, tanto faciliori negotio concoquet, et subactum suo tempore expellet. Dein, quae arte educenda sunt, eo ducere convenit, per loca maxime convenientia, quorsum maxime vergant a natura Alterutrum igitur non sufficit, ut si forte incongruam natura viam ingrederetur, quemadmodum in metastasi infausta; sed assentiendum ei, quatenus in idoneum locum inclinaverit [22]). Si vero crisis naturalis sufficit excludendis et funditus eruendis materiis, optimum est, ut haec sibi permittatur exspectando; neque purgante medicamine dato turba commoveatur, neque alio irritamento pristinum malum renovetur [23]). Arte enim ea solummodo ducantur, quae aut omnino non, aut non sufficiente crisi a natura egesta fuerunt [24]). Educendi ceteroquin morbi per eam partem sunt, cui maxime affines esse solent; per eam autem partem, qua singulis quam proximus patet exitus, promptissime exterminabuntur [25]).

Quae vero sic prodeunt, vel spontaneo ritu, vel medicamento concitata, ex copia apparente dijudicanda non tantopere sunt, quam potius ex indole: siquidem talia prodeunt, qualia oportet, et si aeger facile fert. Neque adeo animi deliquium terrere debet, a tali evacuatione superveniens, dummodo aegrum suffecturum esse judicemus [26]). Universim autem ejusmodi humores medicamento recte expelluntur, qualia etiam sponte prodeuntia juvant; quae contrario modo prodeunt, sistenda [27]). Etenim si purgantur, qualia oportet purgari, juvantur inde et facile ferunt aegri; si moventur, quae non decet moveri, difficulter habent [28]).

Praeterea in hoc usu medicaminum, non minus

---

22) Aphor. I, 21. 23) Ibid. 20. et in libr. de humorib.
24) Galen. comm. in Hipp. Aphor. I, 21.
25) D. loc. in homin. p. 147. 26) Aphor. I, 23.
27) Ibid. IV, 2. 28) Ibid. I, 25. IV, 3.

quam in victu decernendo, diligentem Hippocrates rationem habebat anni temporis et constitutionis privatae. Saepius quidem, ubi convenire viderentur, emeto-cathartica propinabat, ut utrobique evacuaret; alias vero vel superiorem, vel inferiorem ventrem purgabat; quarum illa via solemnis et congrua ipsi habebatur aestati et biliosis et gracilibus naturis, simul ad vomendum facilibus, haec autem hiemi et atrabilariis, difficulter vomentibus et satis carnosis [29]). Difficiles sub Cane et ante Canem purgationes [30]). Quae munditiem desiderarent, munde facere non intermisit [31]), unde operam dabat, ne quid materiae evacuandae a morbo relinqueretur. Quae enim post crisin ita persistunt, recidivas facere sciebat [32]).

Verum purgantium, ut calefacientium medicamentorum, ancipitem saepe efficaciam et intempestivum usum quum probe perspiceret Hippocrates [33]), tum maxime, quum leniora et blanda illa, quibus nostra aetas commode utitur, nondum cognovisset [34]), rarius omnino in febribus admisit, tanto vero liberalius clysmatibus indulgens, ad alvum subluendam. Passim et suppositoria adhibebat. Ubi vero leni tantum stimulo opus esset, quo evacuationem a natura jam coeptam sustineret et mediocriter juvaret, lacti asinino vel sero lactis hoc officium committere solebat. Helleborum et similia acriora atrabilariis et aliis chronicis malis reservabat.

---

29) Ibid. IV, 4, 6, 7, 9. 30) Ibid. 5.
31) Vict. acut. I. p. 27. 32) Aphor. II, 42.
33) Quantopere in acutis noceret purgatio intempestiva, memoratur exemplo Scomphi, pleuritici, Scamandri et aliorum aegrotorum, de quibus vid. Epid. L. V.
34) Galeno teste acrimoniam drasticorum felicissime temperabat, methodo ceteroquin incognita.

§. 44.

Paulo diversa ab hisce medendi praeceptis circa rem nostram in quarta sectione libri de victu acutorum docentur, quae, quoniam ista pars commentariorum ad spurias, certe alienis additamentis postmodum corruptas scriptiones refertur, a genuinis, modo commemoratis, consulto separavimus. Interim quisquis auctor fuerit, ut silentio praeterirentur, neutiquam mereri videbantur, quia insunt praestantissime monita, vere Hippocraticam medicinam sapientia, pariter atque in aliis libris, licet circa originem non minus suspectis. —

Venaesectionem, ut exemplo rem aggrediamur, quomodo Hippocrates adhibuerit, in genuinis minime expositum reperio. Vix in Epidemicis (ejusdem notae) aliquo loco obiter potentissimum hoc curationis adjumentum memoratur, in historia Anaxionis, cui pleuritico sanguinem noster octavo die ex vena incisa emiserit [35]). Galenus, ipse venaesectionis non segnis laudator, hoc maxime exemplo commotus, asserit, frequenter omnino Hippocratem detraxisse, tantoque facilius prioribus morbi diebus, non tamen notasse, ut omnibus sponte intellectum [36]). — Quodsi igitur ex genuino fonte super hanc rem hauriendum nihil nobis offertur, grati accipiamus, quidquid boni ex minus nobili redundet [37]).

In acutis sanguinem detrahas, ubi magnus et vehemens incedit morbus, aeger simul in aetatis vigore fuerit constitutus ac habitus eidem robustus. — Quodsi vero copiose detracto sanguine aeger debilior quidem videtur, sed nihilominus diathesis morbi phlogistica nondum sublata, clysma tertio quovis die injicias, donec in securitatem aeger fuerit vindicatus, et victus plenior concedendus [38]).

---

35) Epid. L. III. s. 3. t. 79. Chart.
36) Comm. in Epid. III. s. 3. t. 3. Ch.
37) Nunquam in re bona mali me pudebit auctoris. Senec. d. tranquill. an.
38) Vict. acut. s. IV. p. 66. Kühn. T. II. Sydenhamus solo

Jecoris vehementissimi dolores ac lienis gravitates aliaeque inflammationes et gravissimi supra septum transversum dolores et morbosae collectiones, quibus toties phrenitis subnata habetur, solvi nequeunt, ubi primo loco purgantibus medicamentis aggressus fueris. Sed praemittenda in his, et ceteris auxiliis praeferenda venaesectio est, deinde clysmatibus cura aegri geratur, nisi magnus ac vehemens morbus fuerit. Alioqui posthac cathartico utendum. Quin etiam a venaesectione aliter hoc non admittitur, nisi ubi secura omnia sint, neque tunc adeo nisi manu parca. Quicunque enim statim per initia morborum inflammationes medicamento purgante tentant discutere, ii de infarctu et inflammato viscere nihil detrahunt. Namque, quae adhucdum cruda est affectio, nihil dimittit, neque cedit; quae vero morbo resistebant hactenus et sanae persistebant partes, potius inde contabescunt. Debilitato corpore, morbus naturae reluctanti superior evadit, neque deinde curam admittit [39]). —

Dicto modo laborantibus haud absimiles sunt, tum mali specie, tum typhode diathesi conspicua, qui ex febre assode, i. e. cum gravi inquietudine et jactatione, praecordiorum contentione, nausea ad omnia, decumbunt, cum ardore interno, extremorum algore (leipyria), morbo difficili ac diligentissime curando. His praeter oxymel aqua temperatum nihil convenit exhibere; tenuissimo victu, detracta adeo ptisanae sorbitione, exspectandum, donec febris desierit et urina concocta

---

clysmatum usu testatur se nimiam sanguinis exaestuationem pro lubitu compescere potuisse, raroque indiguisse (in constit. I.) repetita venaesectione in febribus continuis, nisi plurimum vigente plethora et constitutione inflammatoria. S. 1. c. 4. In alia constitutione epidemica (V. Febr. comatosa), quum largior et repetita sanguinis missio propter genium regnantem in febribus inflammatoriis aegre ferretur, prospere rem gessit clysmate quotidie injecto, donec morbi vis remitteret. S. V. c. 2.

39) Vict. ac. p. 67.

appareat. Decumbant autem in domo obscura; et stratis quam mollissimis reclinati, et minime incontinenter se jactantes, quantum valent diutissime eundem decubitum sustineant. Praecordiis fomenta imponantur emollientia, exacte tepida, ex seminibus lini cum aqua et oleo cocta; ne vero refrigerium inde contrahat aeger, cavendum [40]). Labores praecordiorum et hypochondriorum tumores et inaequalitates et lateris dolores, phrenitidi gignendae tantopere faventes [41]), clysmate injecto subtrahantur; in potu vero aqua mulsa, calida, decocta capiatur.

Neque incongrua dictis sunt, quae in eodem libro inferius [42]) praecipiuntur. Animum ad eos bene advertere oportet, quibus caput doleat, vel a corporis exercitio, cursu, itinere, venatione, vel ab alio intempestivo labore, vel ex rebus venereis. Decolores, raucos, lienosos, sanguine vacuatos, difficulter spirantes, sicca tussi laborantes, flatuosos, quibus a vasis confarctis pulsus intercepti, quibus tensa sunt hypochondria, latera et dorsum, stupore oppressos, obscure videntes, cum aurium tinnitu, urinam non continentes, ictero affectos et cruda dejicientes, sanguinem ex naribus et haemorrhoidibus copiosum fundentes, vel inflationibus pressos, si plurimum laborant atque morbum aegerrime ferunt, neutiquam medicamento purgabis; periculum enim contrahetur, neque quidquam juvabis, spontaneas autem morbi solutiones et crises praetervertes. At si cui sanguis venit detrahendus, alvi fluorem sistere antehac oportet et inediam imperare ac vinum ei demere. Deinde in reliquo victus idoneus observetur, et fomenta humida superhabeantur. Adstrictam vero alvum clysma subluat. At si quando medicamentum purgans exhibendum tibi videtur, supra quidem

---

40) Ibid. p. 75. 41) Cf. supr. §. 38.
42) p. 95.

cum securitate per veratrum, infra vero ex illis neminem vacuabis etc. (ne raptus morbi fiat ad superiora).

In accessione febrili, cujus indicium est pedum frigiditas, nihil plane exhibendum est; exspectandum, donec illi incaluerint. Et quum, quando febris desinit, reliquo corpore calidiores evadant, cavendum, ne refrigerentur atque sursum congestio fiat, praestat tunc, ubi ab impetu humorum caput et thorax liberati jam sunt, cibum exhibere [43]).

Quibus cum febre ab initio vertigines et capitis pulsationes adsunt, et urina tenuis, in his exspectanda, circa criseos tempora febris exacerbatio est, nec mirandum, si dein delirent. Quibus vero in principiis morbi urinae nubeculam habent, aut crassae etiam existunt, hos, si alia quoque suadent, purgare oportet. Si tenues inter initia urinae, purgatio tunc temporis vitanda; alvus subluenda solummodo, si visum fuerit; aeger simul quietem agat, inungatur et aequaliter contegatur [44]), potu utatur mulsa aquosa, et ptisanae cremore in sorbitione ad vesperam. A purgante medicamine, in hoc rerum statu praepostere hausto coctionis opus perturbatur, ac sine sudore et judicatione febris protrahitur. Quando vero proxime instat crisis, et perturbatio judicatoria adest; a sorbitione abstinendum. Omnium scilicet febrium judicationes observandae, atque eo tempore alimenta detrahantur; verum ubi turba remiserit, et in melius res processerit, suppeditentur [45]). Febres illae protrahi solent, et abscessus habere circa parotides et cervicem, si quidem inferiores partes frigidae fuerint. Quodsi non frigidae fuerint, alias habent mutationes: alvi profluvium salutare, vel sanguinem de naribus prorumpentem. —

---

43) Ibid. p. 73.

44) Sudor apud Hippocratem laudatur quidem benignus, sed arte rarissime promovetur.

45) Ibid. p. 74, 75.

Si in hiberna febre lingua aspera fuerit et animi deliquia incidant, licet sic decumbenti febris tunc saepe remittat, aeger tamen strenuissima diaeta continendus est, sedulo spectandus et aqua mulsa et cremore ptisanae conservandus; neque fides habeatur febris remissioni. De vita enim periclitatur, cui haec indicia prodierint. Ipsum statum aegri fatalem, ubi cognoveris et optime contemplatus fueris, si tibi placuerit, praedicere poteris. Cum vero in febribus quinto die aliquid acciderit, quod formidinem incutiat, vel si alvus repente liquida dejecerit, et animi deliquium virium prostratio exstiterit, vel vocis defectus prehenderit, vel convulsiones, vel singultus, quibus anxietas et sui incontinentia subnasci solent ac sudores sub naribus et circa frontem ac cervicem demum suspiriosa respiratio, mors in propinquo est [46]).

Inter alia febrem etiam auctor describit arthriticae nostrae similem, saepe longam, tuberculis in artubus et aliis partibus externis conspicuam, quae ex materia ad cerebrum, ut videtur, translata, typhodes sive nervosa evadit, de qua vero sigillatim memorata apud ipsum auctorem relegantur [47]).

Ubi febris inflammatoria est, cum pulmonum et laterum affectione et in typhodem statum proclivitate, et dolor ad jugulum tendit, vel ad mammas et brachium; interna brachii vena secanda (ex ea parte, qua dolor affligit), et sanguis detrahendus pro corporis habitu, anni tempore, aetate et colore, larga copia et cum fiducia; et si dolor acutus fuerit, ad animi usque deliquium mittendus, postea clysma injiciendum. Quodsi vero circa inferiorem thoracem dolor vehementer infestat, pleuritico alvum purgabis medicamento. Ipsam inter purgationem nihil exhibendum, peracta vero eadem oxymel propinetur. Purgans medicina quarto die haurietur, tribus enim praecedentibus clysmate alvus sub-

---

46) Ibid. p. 79. 47) Ibid. p. 80.

luenda est, atque si levamen hac curatione non contigerit, aliquantulum purgabis. Dein custodia opus est, usque dum febris expers aeger sit et ad septimum diem pervenerit; tum si cum securitate fieri potest, primum cremor ptisanae tenuis et copia mediocris cum melle mixtus exhibeatur. Ubi vero spiratio bona, sputa facilia et dolor circa latera nullus, crassior paulo et copiosior ille bis de die porrigi potest; quae si non contigerint, victus tenuior sit. Cetera amplius exposita reperiuntur l. c. p. 84.

Paucae reperiuntur febrium species, quae tantopere propensae in phrenitidem sint, quam ardens febris (causus) [48]). Morbus eos invadit prae ceteris, qui itinera longa emensi sunt, forte per aestuosa et sabulosa, sitim diu perpessi. Febris exoritur vehemens, acuta, corporis lassitudo ac dedolatio; lingua apparet aspera et sicca, admodum nigra; dolor et morsus ventriculi, alvi dejectiones tum valde liquidae, tum pallidae, sitis intensa et vigiliae, interdum mentis perturbatio. Circa curam concedatur aquae mulsae coctae et dilutae, quantum appetierit aeger; et si amarum os fuerit, vomere conducet et alvum subluere. Quae si ad haec non solvatur, lacte asinino cocto purgabis. Salsum autem nihil neque acre exhibeas, neque enim feret aeger. Prohibeas etiam ptisanae sorbitionem, quamdiu crisis nondum absoluta fuerit. Indicatur morbus sanguine de naribus manante et criticis ac legitimis sudoribus, cum urinis albis et crassis, et sedimento laevi, nec non abscessu. Si vero citra haec solvitur febris, revertetur morbus, vel coxae crurumve dolor superveniet, et sputa crassa exscreabit, si evasurus est.

Elegimus hasce observationes ad vivum descriptas, velut practicos commentarios ad ea illustranda ex parte et confirmanda, quae de arte Hippocratica antehac generatim

---

48) De qua v. l. c. p. 65.

notata excerpsimus. Plurifariam quidem videbamus typhodem statum in febribus acutioribus infestare, sed omnibus opponi methodum simplicem, semper sibi constantem, certam ac promptam, ubi prodesse datum non fuerit, minime nocentem *), facilem nec denique injucundam. Neque metus nobis est, ne prolixa nimis relatione taedium Lectoribus creaverimus; juvat enim, et omni aetate optimos quosque juvabat, meminisse classicae illius simplicitatis gratiarum plenae, quae ut per sermones hosce, utut duriores, inexercitatos, quadantenus fideliter, neque prorsus inconvenienti adumbratione ante oculos poneretur, ardentissimis mihi erat in votis. Unius igitur status, priusquam, de quo novissime retulimus, librum seponamus, postremo loco mentionem liceat adjicere; qui affectus non minori jure, quam de quibus paulo ante memoratum est, ad illustrandas medelae morbi antiquitates adhibebitur, aliamque phrenitidis speciem significat. — Scilicet [49]), qui cum febre dejectiones alvi patiuntur liquidas et mentis perturbationem, et floccos legunt assiduo studio, nares fodiunt, nec nisi pauca respondent interrogantibus, secum vero sermones faciunt incompositos et incongruos, ii si contabescunt ab alvi fluore, sorbitiones frigidiores (ψυχρὰς), i. e. mucilaginosas et crassiores hauriant, et potiones, quae alvum sistant, vinosas potius, quam adstringentes. Symptomatibus ejusmodi, speciatim mentis huic alienationi, atra bilis tamquam causa subesse auctori videtur, humor difficilis naturae et intractabilis, in ferina quaeque et atrocia propensus. Eadem fere sentit circa hunc morbi fomitem, eandemque mente concepit efficaciam, quam superiorum seculorum medici, ad Stollium usque et serius, in malignitate vel materia corrupta, venenata febrium sibi finxerunt [50]).

---

*) Medici enim est, ὠφελέειν ἢ μὴ βλάβειν. Epidem.

49) Ibid. p. 74. 50) v. supr. §. 39. fin.

De remediis hujus modi aegritudinis, quarum ingentem supellectilem posteritas tanta jactatione ostentabat, nondum ille videtur peculiare quidquam cognovisse, sed naturae moliminibus, uti cetera pleraque, ita et hujus mali depugnationem reliquisse. Persaepe quidem in hoc rerum statu vires salutares medicos illos deseruerunt, ut ex prognosticis sententiis elucet; verum etiam nostra medicina adhucdum insufficiens est malo immanitate sua praepotenti.

Nihilominus jam pridem noster perspicaci judicio compertum habebat, alvi fluxum sub hac rerum conditione etiamsi nocentem, non illico debere contineri; praestabat materiam corpori suppeditare, humores secedentes temperare, et viribus restauratis impetum dejectionis indirecta quidem, sed tuta via compescere. Viribus enim vitae consulendum erat prae ceteris omnibus, viditque, eas non medicamine quovis alvum sistente (styptico) refocillari, et vino firmari omnino compagem corporis, sed minime constringi instrumenta secretionis.

---

§. 45.

Hippocrates; quando medelam morborum, acutorum maxime, describit, nominum inferendorum parum curiosus, indiciis enarrandis ut plurimum vacat, quibus, cui rei et quomodo medendum sit, demonstratur. Quo usu optime cautum videtur, ne perperam a lectore auctor intelligatur. Nominibus enim malorum raro sic addita est rei notio, de qua inter omnes universim, ac prorsus conveniatur; alius itaque aliter, pro suo quisque lubitu vel consuetudine, vel ingenio, vel scientiae modo, nomine modo audito rem significatam percipiunt. Hinc, etiamsi nullibi, curam phrenitidis tradere, auctor disertis verbis professus sit, satis tamen persuasum nobis habemus, apparere ex illis, quae prodiderit, quomodo

morbo, pro varietate originis simul ac speciei spectata, curam gesserit. Etenim, quae phaenomena alibi in symptomatibus morbi recensebat, eadem alibi tamquam medelam, quam describit, certam indicantia pronuntiat. Nihilominus qui, qua methodo Hippocrates phrenitidem curaverit, disquirebant, plerique genuinae illa doctrinae praecepta fere neglexerunt, iis contenti, quae sub titulo phrenitidis, quamvis in spuriis operibus, tradita leguntur. Dum sufficiebat illis, circa nomen morbi ἀσφαλείᾳ studuisse, praetervidebant differentias rerum, quae eodem nomine comprehenderentur, et consensum eorum, quae ut diverse inscripta, praeter naturam disjuncta fuissent. Sic quidem facilis negotii visum est, doctrinam Hippocraticam eruere et communicare, sed, quo ex opere notitia rei cujusdam hauriatur, non perinde est. Pro varia enim aetate, qua conscribebantur, quae Hippocratis nomine veniunt, differt etiam ut ingenium auctorum, ita et genius doctrinae vel scholae regnantis, inprimis experientiae modus et argumentationum species et apparatus. Propterea, quae ex pseudo-hippocraticis supplentur, pretium tantummodo habent, quatenus cum genuina Coi senis medicina ita consentiunt, ut Hippocratis fidum sectatorem exinde recognoscere liceat; neutiquam vero per se atque sejunctim ab iis, quae supra notavimus, sufficiunt, ut totum idque accurate exhibeant, quod circa phrenitidem curandam Hippocrati observatum fuerit.

Scilicet, ut tandem deveniamus, quo innuebamus, in libro de morbis pseudo-hippocratico [51]), incertus auctor ipso usus phrenitidis titulo rationem morbo medendi enarrat, comparandam cum iis, quae de eadem re supra retulimus. Phrenitides, ait, etiam aliis ex morbis oriuntur. In his diaphragmatis regio dolet, ut ne attactum quidem ferat; febris accedit, mens pertur-

51) L. III. p. 299. Kühn. T. II.

batur et oculis fixis aegri prospectant aliaque agunt similia iis, qui in pulmonum inflammatione desipiunt. Sic aegrotantes fomentis tepidis optime curantur et potionibus diluentibus, prohibito vino; si fieri licet, per superiora purgandi. Per tussim etiam et sputa, velut in peripneumonia, materiam sursum educes. Alioquin alvus inferior ut dejiciat, rite praeparetur potionibus humectantibus. Morbus lethalis est; moriuntur enim tertio aut quinto aut septimo die. Si vero mitius infestaverit, velut in pulmonis inflammatione judicatio contingit.

Phrenitis hic descripta habetur manifesto secundaria, veluti quae paraphrenitis serius appellabatur. Morbum vero protopathica vice alias invadere, innuit auctor dicendo, etiam supervenire aliis morbis (non solummodo primariam esse). Curatio, ut nemo non videt, penitus Hippocraticam methodum sapit, quare opus non est, ut pluribus illustremus.

Jam vero operosior apparet, quae simili malo medela adhibetur: cerebri tumori (*οἰδήματι ἐγκεφάλου*)[52]). In quo cerebrum ex inflammatione intumescere videtur, dolor totum caput detinet, potissimum qua parte inflammatio latet; ut plurimum circa tempora. Aures continuo sonant, auditus hebescit, venae intenduntur ac pulsant. Febris et rigor interdum invadunt, dolor modo quidem remittit, modo atrocius instat, nusquam vero intermittit. Prae dolore aeger vociferatur, et exsilit; sed cum surrexit, confestim ad lectum rursus relabitur; sui incontinens jactatur in cubili. Malum lethale est, at quoto die mors accedat, decerni non potest; alii enim alio tempore intereunt, plerumque intra septem dies. Sed qui primum et vigesimum superarunt, convalescunt. Caput ubi plurimum dolet, derasum potissimum refrigerare oportet, admovendo refrigerans aliquid in vesicam vel intestina infusum, velut solani (*στρύχνου*) succum aut cretam figuli-

52) Ibid. p. 292.

nam; idque modo imponendum, modo, priusquam intepescat, auferendum. Praeterea sanguinem detrahere convenit, et caput purgare, odoramentis ad apii (σελίνου) succos admixtis. Ptisanae cremor sorbendus; vinum prorsus exsulet; alvus clysmate solvatur. — Conferantur cum his, quae in l. de intern. affection. secundo traduntur de Hepatitide alia, de morbo crasso altero et al.

Auctor in hisce ad compositum et exquisitum medicinae genus inclinat, quod empiricae scholae ortum debet, quum, aucto experientiae apparatu, non amplius acquiescerent in Hippocratica illa simplicitate. Nec tamen contemnenda haec curatio est, cum, licet instabilibus passim intermixtis, plura insint, quae inde ab Hippocrate omnis aetas comprobata habuerit. Cum eodem fructu comparabuntur, quae in libro de locis in homine circa fluxiones caput obsidentes praecipiuntur. Quo in libro, quae putatitia sunt et commenta inconstantia, a practicis multis ac saepe perutilibus regulis [53]) probe separanda veniunt.

---

§. 46.

Quae hactenus in medium prolata sunt, sufficere videntur demonstrando, Hippocratem ipsum, eosque, qui pressiore pede imitatores hujus medicinam sectarentur, unice fere id egisse, ut phrenitidem (statum typhodem, nervosum) praespicerent et simplici, cauta et naturae conveniente ratione praecaverent, obortam vero ac jam saevientem diligenter observantes, non aliter nisi secundum communia medendi praecepta curarent, sedulo simul attendentes ad naturae sanationem molientis indicia; coctionem, salutarem mutationem exspectantes, materiam prudenti manu suppeditantes, subtrahen-

---

53) De quibus nonnullas vid. §. 41.

tes etc. Tota igitur haec medela circa morbum primarium versabatur in singulis aegris rite curandum, cui quidem, tamquam accessorium symptoma, vel metastasis infelix, phrenitis suboriretur; neque huic affectui singularis ac propria et constans medicina opponebatur, sed qui eo laborabant, diversimode habebantur, prout febris indoles et accessoriae conditiones, causa morbi, habitus biliosus, anni tempus etc. diversa efflagitare viderentur. Neque alia curandi ratio obtinebat in primaria ipsa phrenitide. Hinc tam operosus erat Hippocrates in praesagio phrenitidis constituendo, quia bene callebat, naturam atroci pathemati quam saepissime occumbere, atque cardinem curationis verti potius circa instantis mali praecautionem, quam circa praesentis oppugnationem. Et re vera vix alius cuiusquam pathematis imminentis tam exacte, tam copiose, tam circumspecte indicia notavit, quam phrenitidis. Rarius tamen jam tunc eam aegritudinem reperisse videtur primariam, longe frequentius symptomaticam, modo cum inflammatoria, saepe cum biliosa et bilioso-inflammatoria, interdum cum singulariter perniciosa diathesi junctam, quam atrabilarem, auctumnalem [54]) noster vocabat, recentiores malignam, lentam. — Singulari diligentia popularem mali saevitiam pernoscebat et, quibus ex conditionibus proficisceretur, discernebat. Aërem quidem generatim pro causa popularium morborum habebat, et quae reliqua hominibus communia sunt, ut victus, aquae, regio etc. Praeterea de occultioribus, superis et ratiocinatione solum assequendis causis epidemicorum statuum laudabiliter suspicatus est [55]): neque experientia tot seculorum in hac re scientiam nostram clariorem, certiorem ac pleniorem reddidit. Quin etiam, quid privata dispositio in populariter grassantem morbum attineret, et quomodo propensio illa

54) Aphor. III, 9. 55) Cf. supr. §. 40.

augeretur vel imminueretur, neutiquam hujus ingenii acumen effugit. Prudenter homines monebat [56]), ne constitutione iniqua per populum dominante, victus rationem mutarent, ubi interna causa morbi minime existeret. Providerent tantum, ne corporis volumen quocunque modo augeretur, utque potius, quod modum obesitate excederet, prudenter attenuaretur, tum cibos, tum potus, quibus consueverint, sensim demendo. Si quis enim subito victus rationem immutaverit, ne ex immutatione perturbatio in corpore cooriatur, periculum est. Laudat itaque temperantiam solam, neutiquam diaetae permutationem, quamcunque in partem fuerit. Aër vero tamquam proxime et efficacissime instans causa morbi epidemici, ut quam minime in corpus influat, isque ut maxime peregrinus sit, providendum, regionum loca, in quibus consistens morbus dominetur, quoad fieri poterit, permutando [57]).

Quaesitum est, quam ob causam in Epidemicis, praecipue ad historias aegrotorum, de cura instituta nihil noster vel nonnisi parum addiderit. Suspicantur nonnulli, consulto praeteriisse, ut nemini non manifestum, memoratu supervacaneum; alii, nullam omnino medelam adhibuisse, praeter ista, quae passim memoravit. Sed respondetur: quomodo integrum morbi decursum describere ad naturam poterat, quomodo referre de symptomatis accedentibus vel decedentibus, si, unde mutatio induceretur, efficaciam externarum rerum, ut remediorum, venaesectionis, vitiorum diaeteticorum etc. adnotare omisit? Quomodo vero, ab altera parte, medicus in auxilium vocari, et quomodo sufficere aegrorum impatientiae poterat, qui absque medicaminum ullo adjumento, otiosus velut spectator, lectulis assideret? Quae nostra in hac rerum ambiguitate sententia sit,

---

56) D. nat. homin. p. 132. T. IV. ed. Chart.
57) Ibid. p. 133.

partim alibi [58]) jam praemonuimus, partim haec pauca subjicimus: Epidemicorum observationes noster, ut sinceram naturae adumbrationem, in suam magis quam posteritatis memoriam et usum literis mandasse videtur. Hinc tanta brevitas, disjectio et negligentia adnotationum. Hinc etiam medelae rationem forsan circa ea tantummodo perscripsit, quatenus vel ipse a consueto curandi modo discesserat, vel singulares conspicuasque morbi mutationes medicamenti usus secum duxerat. Ita venaesectionis institutae nullibi historiarum mentionem facit, nisi apud Anaxionem, pleuriticum (L. III, s. 3), cui octava die miserit, quasi praeter consuetudinem tardius, quum illa aetate forte nonnisi circa initia morborum sanguinem detrahere solerent. Quod hoc exemplum adtinet, minor veritatis species in eorum (Galeni et al.) conjectura mihi apparet, qui ajunt Hippocratem nimis tarde, octavo demum die advocatum fuisse, namque talis casus ad reliquos, ut haud dubie electos, non bene quadrasset, in quibus plenas tantummodo et absolutas observationes noster videtur collegisse.

(THUCYDIDES.)

§. 47.

Non molestum fore Lectoribus putabam, si ad illustranda, quae Hippocrates observaverit, pestis illius contractam historiam, quasi per corollarium, hoc loco interponerem, quae eadem, qua ille vivebat, aetate Athenienses bellum Peloponnesiacum gerentes affligebat (430. a. Ch. n.). Quamquam propositus huic libello is scopus erat, ut medendi variae rationes, quomodo diversis temporibus et regionibus institutae fuerint, inter sese componerentur, atque ita, quae a rerum gestarum

---

58) V. supr. § 40. init.

scriptoribus traduntur, ad nos pertinere minime videbantur; consentaneum tamen, imo necessarium habuimus circa priora artis tempora, quorum ratio compellandi et distinguendi tantopere dissidet ab hodierno usu, et quorum historia medica minus cognita vulgo est, ut quam maxime enucleatum esset, typhum nostra significatione dictum jam antiquitus, quacunque forma et indole observaverint, vere comparuisse. Illius enim aetatis observatio et doctrina nostrae arti quasi fundamento substrato est, ad quod firmandum et augendum, quidquid conducat, et undecunque accersatur, opportunum erit. Hinc tanto gratior Thucydidis diligentia accedit, qui tam felici animi attentione, tanta cum concinnitate et perspicuitate rem illam, licet ut idiota enarravit [59]), ut non solum historicis scriptoribus, sed etiam medicis de populari morbo referentibus dignum imitationis reliquerit exemplar. Tradit autem perniciosae illius constitutionis has origines et initia.

Anno primo belli absoluto, ineunte altera aestate, Peloponnesii denuo Atticam invaserant, castrisque positis agrum vastabant. Quum vero nondum multos dies eo loco constitissent, morbus primum caput extulit inter Athenienses. Eo tempore coloni cum rebus suis, Pericle suadente, undique ex vicinia in urbem confluxerant, ibique cum aedes deficerent, angustis in tuguriis et squalore plenis, nec aëris libero accessui patentibus coërcebantur. Aestu simul praefocante, in otio miseri vitam a consuetudine ante acta plane diversam degebant [60]). Nec tamen inter hanc iniquitatem malum primo exortum est, et annus ipse, ut vel omnium confessione constabat, saluberrimus existebat, ac prae ceteris maxime immunis ab aliis quibuscunque morbis [61]). Sed originem potius duxerat ex Aethiopia; inde in Aegyptum et

59) L. II. c. 47—54.

60) Plutarch. vit. Pericl. s. fin. Diodor. Sicul. L. V. p. 328.

61) Thucyd. L. c. c. 49.

Libyam descendens, serius Persarum ditionem peragraverat, Lemnum et vicinas insulas inciderat, tandem subitaneo impetu Atheniensibus in Piraeeo quidem supervenit, quo navali forsan commercio seminium pestis delatum fuerat. Inde in superiores urbis partes diffusum ingentem hominum stragem edebat. Remedio nullo saevitia mali temperabatur, et medici ipsi, quo studiosius ad aegrotos accedebant, eo magis ipsi potissimum interibant; neque quidquam ab initio aegris adjumenti afferre noverant. Erant autem signa morbi et decursus hoc modo comparata. Primum capitis dolores ac fervores vehementes sanis superveniebant ex improviso, neque ulla manifesta causa apparente, rubor oculorum et inflammatio, partes internae, gutturis et linguae, statim sanguinolentae, spiritus difficilis et graveolens. In gravissimis symptomatibus scenam aperientibus insignis animi abjectio habebatur ac de salute desperatio. Mox accessit sternutatio et raucedo, tussis vehemens. Ubi ad ventriculum morbi vis convertebatur, bilis fiebant ejectiones, cum ingenti cruciatu et stomachi quasi subversione; plerisque singultus inanis, atroces afferens convulsiones, in aliis quidem brevi evanidus, aliis vero diutius instans. Externa corporis attingenti non admodum calida neque pallida, sed subrubra, livida, pustulis parvis et ulcusculis obtecta. Tanto vero vehementius ardebant interiora, ut neque tenuissimorum vestimentorum aut stragulorum injectionem aegri sustinerent, et lubentissime nudo corpore decumberent, quin etiam prae interno corporis aestu in aquas gelidas sese praecipites dare amarent; et multi profecto eorum, qui negligentius habebantur, vel impatientes malorum, vel delirio adacti, mortem tali ausu sibi consciverunt. Sitis simul discruciabat dirissima, nullo potu satiata. Hisce laboribus anxietates associabantur ingentes, inquietudo ac jactatio, unde vigiliae perpetuae. Nihilominus, quamdiu morbi saevitia vigebat, corpus minime languebat,

vel contabescebat, sed tanto cruciatui praeter opinionem resistebat [62]). Ita quidem plerique die nono vel undecimo propter internum ardorem occubuerunt, viribus, ut videbatur, neutiquam exhaustis; aut si hunc terminum superaverant, exulceratione ventris interna et profluvio alvi effreni tandem e vita migrarunt exhausti, vel sanguinis de naribus profluvio interemti. Etenim morbus a capite, in quo primariam sedem collocaverat, paulatim singulis partibus permigratis ad infima descendebat. Ac si quis tandem tot laboribus et periculis superstes evaserat, malum in extremis partibus postremo decumbebat, partim resolutionem, partim gangraenam et sphacelum, artubus inducens, manibus, pedibus, pudendis adeoque interdum oculis, forte quibus ophthalmia praecessisset. Hoc pretio salutem recuperabant. Nonnullis a morbo oblivio tanta remansit, ut neque se ipsos, neque familiares recognoscerent *). Unde patet, morbi vim gravissime cerebrum tentavisse, ejusque facultatibus noxam demum intulisse. Fuerunt tamen, qui, in iis Thucydides ipse, in integram convalescerent sanitatem. Neque in hominibus solummodo mulctandis calamitas illa substitit, verum ne bestiis quidem pepercit. Nam alites et quadrupedes, quotquot humanis cadaveribus nutriri solent, quamvis multa haec jacerent insepulta, aut non accedebant, aut ubi gustaverant, interibant; ac manifestus avium fuit defectus, neque uspiam alibi, neque circa hujus modi cadavera in conspectum veniebant. Canes ob consuetudinem cum hominibus perniciei participes; ubique summa vis contagii. — Nullus vero tunc temporis alius morbus ex vulgaribus homines in urbe infestabat, uti commemoratum; vel si quis forte obortus fuerat, in popularem illum desinebat; ac perinde erat, moriebantur vel neglecti,

62) Idem obs. Hippocr.; v. supr. §. 38. fin.

*) Similia Hippocrates annotavit, in spuriis Epidemicorum commentariis.

vel diligentissime curati, neque ab ullo omnino medicamento constans levamen percipiebatur; quod enim alteri profuerat, alteri nocebat, nullumque corpus, qualiscunque valetudinis esset, tanti mali virulentiam arcere potuit; promiscue omnia corripiebantur, animis confestim abjectis. Nemo tamen, ut disertis verbis addit Thucydides, bis morbo infestabatur, saltem ut inde ex vivis tolleretur, quique ita bona sorte superstites erant, propter praesentem salutis insperatae laetitiam exultabant; fiducia ipsis erat, se ne alio quidem ullo morbo in posterum amplius unquam absumtum iri. Qua fide erecti animo et fortes, laborantibus tanto impensius ac patientius succurrebant [63]).

Speciem mali ac vehementiam non eandem promiscue fuisse, partim jam elucet ex Thucydidis enarratione, partim ex iis, quae ab aliis auctoribus super hanc luem referuntur. Etenim quamvis morbus vix ab ulla aliqua corporis valetudine abstineret, et popularis constitutio privatum indiscriminatim diriperet; tamen alia corpora prius, alia serius atrocitati illius succumbebant; alia segnius, alia intentius reluctabantur. Periclem ipsum, ut illustre exemplum inducam, hoc morbo defunctum Plutarchus [64]) testatur, neutiquam acuto et continuo, ut ceteros multos, sed lento et parum vehemente affectu, variis permutationibus invicem sese excipientibus insigni; eoque corpus tardius consumtum fuisse, animi simul et judicii consueta praesentia et vigore subversis. Eundem Periclem refert amico cuidam adeunti, amuletum (*περίαπτον*) ostendisse, quod a mulieribus e collo sibi habuerit suspensum; unde cognoscimus, jam illis temporibus in ejus modi rebus auxilii

63) Haec maximam partem ex Thucydide. — Non injucunde comparabuntur poëtarum descriptiones v. Lucret. D. r. nat. L. VI, v. 1136 ss., qui nostrum apprime secutus est; Virgil. Georg. L. III, v. 474 ss.; Ovid. Metamorph. L. VII, v. 523 ss.; Senec. Oedip. 35 ss. 64) Vit. Pericl. s. fin.

spem fuisse positam contra morbos, veluti pestem, divinitus quasi supervenientes. Posset hic simul aliquis suspicari, fortitudinem animi et mentis sanitatem jam tum ex morbosa diathesi adeo illi fuisse infractam, ut a pristina et sapienti constantia in imbecillitatem superstitiosam inciderit.

Falsa sunt, quae de Hippocrate ignibus accensis pestem supprimente prodiderunt Galenus [65]) et Aëtius [66]); neque major fides habenda est, si in oratione Thessali ad Athenienses Hippocrates memoratur filios et generum (Polybum) et discipulos in Graeciam dimisisse, ut peste laborantibus succurrerent, Athenas vero Thessalum, filium, demandasse posteaque se ipsum eodem contulisse [67]). Nam ab altera parte Hippocrates, natus anno 460 a. Ch. n., tempore pestis saevientis tricenarius, fama quidem et magna auctoritate per Graeciam valere, filios tamen et generum, qui artem facerent per urbes, dimittere neutiquam potuit. Ab altera vero Thucydidis silentium circa hanc rem quasi argumenti vim habet; ille enim pro sua diligentia et sinceritate Hippocratis, si adjumentum adtulisset, certe meminisset; at vero ne verbo quidem commemorat; quin disertis potius interjicit, medicos adversus morbum haud quaquam aliquid effecisse. Non audiendi autem, qui de invidia Thucydidis, propter quam Hippocratis merita consulto ille reticuerit, ineptum quidquam somniantur.

§. 48.

Complures decernere sunt conati, quaenam species ex iis, quae in nostra morborum enumeratione habentur, lue modo descripta referatur. Plerique horum vel

65) D. theriac. ad Pis. c. 16. 66) Tetrab. II, 1, 94.
67) Cf. Senatus consult. Athen. in Opp. Hipp.

maxime localem aliquam, cito transeuntem, non omnibus laborantibus solemnem, nec satis perspicue notatam passionem spectaverunt, immemores earum conditionum, quae ad speciem epidemici mali definiendam necessario exiguntur. Alius enim pneumoniam nervosam, alius anginam malignam, gangraenosam, alius typhum contagiosum s. petechialem, alius scarlatinam, alius morbillos nostros, alius aliter hanc aegritudinem dixerunt. Verum ista opera supervacanea, vel improba adeo et inutilis mihi videtur; tali enim modo morbum considerantes non facile fidem decretorum nobis facient. Necesse est, universalem morbi indolem et notam probe spectari, si quis nomen commune promulgaturus est. Illa autem localia vitia, teste Thucydide experto, minime erant constantia, et ab alia ad aliam partem demigrabant, quasi perniciosa aliqua morbi materie proserpente, ac membra sensim sensimque in passionis societatem contrahente. Potest igitur, qualis in singulis quidem aegris, vel singulis diebus morbi facies comparebat, aliquo titulo ex dictis, vel alio etiam ex nunc vulgaribus morborum nominibus designari, sed neutiquam communis labor universim ita erat compellandus. Nam partim indicia ad hanc dijudicationem non satis indubitata ac tuta ab auctore traduntur, partim vulgaris docuit observatio, in plerisque constitutionibus epidemicis non unam speciem mali, non eandem omnibus aegritudinem in conspectum venire, sed diversas formas enasci, pro causarum internarum et rerum accessoriarum diversitate. Quo potentior autem et immanior vis genii popularis fuit, eo plura corpora non solum corripiebantur, sed etiam eo minus conspicua et efficax evasit peculiaris aegrorum constitutio, in externa laborum specie varianda. Saepe etiam homines perinde omnes populari causa, sive victus, sive aëris iniquitate etc., adeo aequaliter praeparati fuerunt, ut victa tandem diversitas naturarum in consortium quoddam universale coërceri ac resolvi videre-

tur. In tali rerum statu una morbi facies promiscue omnibus aderat; neque tamen haec ratio obtinuit in peste descripta, ut quae cito et extrinsecus supervenerat.

Omnium autem minime, cum morbi a veteribus descripti ad nostras arbitrarias species referendi sunt, ausim ex illa antiquitate aliquem ad exanthematum imaginem revocare; contradictioni hic et dubitationi usque apertus manebit campus. Nam praeterquam quod pleraque, quae veteribus de cutis efflorescentiis dicuntur (parum diligenter utplurimum illi affectus curabantur), diversis lectoribus diverso modo in hodiernam medicorum linguam vertantur, itaque diversimode possint intelligi, ut de plerisque lis sub judice perpetuo sit mansura; si unquam morbi per seculorum mutationes qualemcunque alterationem nacti fuerunt, certe cutaneas eruptiones hanc sortem subiisse existimaverim. Hoc docent controversiae de petechiis, variolis, morbillis, scarlatina, pemphigo, syphilide etc., quos morbos veteribus alii volunt bene cognitos, alii ignoratos fuisse; hoc docet historia leprae et similium, docet exanthematum quorundam, nostris etiam temporibus dubia discretio ac recognitio, male stabilita in systematibus pathologicis definitio et al. —

Profecto igitur ejus modi mala, uti pestis haec Atheniensis, ad genus aliquod morborum rectius ac tutius revocantur, proprie vero, ut verisimillimum est, ad typhodem nostram febrium familiam. Hac enim, uti vidimus, magna varietas laborum comprehenditur, nata ex varietate partim causarum et affectuum primariorum, partim malorum concomitantium et aliarum rerum accidentium. Hinc universim constitutio illa typhodes gravior dicenda, quae in singulis, ut suspicio est, speciem indueret inflammationum particularium (causus perniciosus Gal.), huic statui tam crebro associatarum. Plurima hoc loco nonnisi digito subindicare datum nobis

est; optabam, ut Lectores sinceri et benevoli, nulla opinione praeconcepta, excipiant haec, connectant, compleant.

---

§. 49.

Alia quaestio, quae in hac lectione averti non potest, de contagio illius typhodis morbi movetur, quod mirum est, cur neque a medico illorum temporum perspicacissimo, expertissimo, neque ab ejus discipulis, vel quicunque pseudohippocraticorum operum auctores sunt, neque a posteris adeo compluribus medicis, vel obiter etiam, commemoratum sit; nihilosecius historiarum scriptores coaetanei, ut Thucydides et paulo recentiores auctores, ut Aristoteles [68]), illius mentionem tali ritu injiciunt, ut res etiam tum trita et vulgo cognita fuisse videatur. Fateor, quae circa hanc differentiam exposita hactenus mihi occurrerent, ad rem expediendam parum satisfecisse, neque ullo modo eum me sentio, qui absque audaciori aliqua conjectatione dubitationem illam e medio possim tollere. — Omnibus temporibus, ut historiarum conspectus docet, nostra aetate minime excepta, etsi opinio de contagionis in morbis divulgandis efficacia inter populum dominaretur, medicos inter nonnulli exstiterunt, iique saepe diligentissimi ac sinceri naturae scrutatores, qui in peste et similibus morbis (typhodibus) consortium aegrorum nocere utique et constanter negarent, utut vulgaris et confirmata, vel quae magis quibusdam defensoribus placuit, inveterata sententia ipsis sese opponeret. Praeterea passim grassata est saevissima aliqua et funestissima constitutio typhodes, qualis illa, quae Justiniano imperatore per totum orbem vagata est, in qua contagium aegris manifesto nullum subesset, quamvis aliis pestibus, in quibus illud ex omnium con-

---

68) Problem. I, 7, 4 et alib.

fessu vigeret, simillima existeret. Quam in comparationem venia sit, modo dictae luis, cujus meminisse ceteroquin non facile quemquam piguerit, praecipua phaenomena brevibus secundum Procopii [69]) commentarios repetere.

Morbus ille cujuscunque generis homines corripuit, sexui nulli parcens, neque aetati; partim aestate invasit, partim hieme, nihilque discriminis erat in habitatione, lege, victu, indole, studiis etc. Ortum ducebat ex Aegypto, incolis Pelusii, (quod propter insalubritatem antiquitus infamatum fuit,) inde per orbem pestis divulgata est. Ac certa lege procedere statumque dierum intervallum in unaquaque regione exigere videbatur; neque insula ulla, neque spelunca, neque vertice montis, neque ullo terrae angulo abstinuit; semperque ab ora maritima incipiens in mediterraneas plagas serpebat. Obversabantur in morbum pronis spectra daemonum terrifica; febris plerisque repentina, sed calor mediocris, nullaque inflammatio existebat; pulsus apparebat bonus. Sed eodem vel postero die nascebatur bubo, circa inguina, axillas, aures, femora. Apparebant etiam carbunculi teterrimi, atrae pustulae lentis magnitudine etc. Exinde alii gravi et continuo veterno, alii peracri delirio capti; utrique his congrua patiebantur. Illis oblivio aderat omnium, quibus assueverant, etiam cibi, unde cura destituti necabantur inedia. Hi, delirantes, vigiles, phantasmatibus variis atrociter perturbabantur, atque cum horrenda vociferatione se in fugam dabant, praecipites saepe; et nacti aquam ardebant se in eam dejicere, non potus desiderio (multi mare petebant), sed mentis affectione adacti. Ipsa lues nullo modo sanis afflabatur accessu, nam nec medicus nec popularis quisquam morbum contraxit tactu languentium, quandoquidem multi, qui etiam alienos vel

---

69) D. bell. Persico. L. II. c. 22. ed. Maltret. Paris, 1662. fol.

curabant vel sepeliebant, praeter opinionem salvi perstabant; multi rursus nulla data ansa morbo correpti protinus interibant etc. Haec Procopius. —

Multa sunt in doctrina de contagiis popularium morborum obscura et ambigua adhuc; veritas opinionibus et experimentis tot tamque differentia enuntiantibus submersa: certissime et hic ἡ μὲν πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. —

§. 50.

Notandum est et jucundum lectu, quod Thucydides circa eos innuit, qui ex morbo superstites evaserint. Sanabantur, ut manifestum est, sincero naturae beneficio. Nullus hic languor secundarius, nulli aut perpaucis recidiva invasio. Convalescentes, utut dirissima perpessi, alacri et sereno animo erant; laeti vigore reviviscentes, rebusque humanis restituti vitam recentem, exoptatam salutabant; plena et sincera gratissimaque novi roboris et sanitatis integrae perceptione fruebantur, ac intentiore studio et patientia officia sua quisque resumebant; quasi inquinamentum quodvis naturam impediens et insidiosum feliciter abstersum fuerit et funditus expurgatum. Instaurata simul erat in pectore humano benevolentiae et charitatis facultas, qua bene cupiebant hominibus, neque aliorum miseriam a se alienam putarent. Simili fortuna, qui ex typho contagioso convalescerent, affectos Hildenbrandus pulcherrime scribit, et ipse, ut Thucydides, morbum quondam perpessus. Cito vires restauratae, corporis et animi vigor pristino saepe superior, jucundissima gustatio voluptatum quarumcunque corpori paratarum, concoctio optima, torositas multis major, animi vero ad suaves et placidas emotiones insignis propensio etc. [70]). — Et si, re-

70) In memoriam hic revocamus, typhum, quem nostri vulgo dicunt, a nonnullis salutatum jam esse ut conamen instaura-

licta vita singulorum hominum privata, ad publicam valetudinem contemplandam convertamur, post perniciosissimas morborum constitutiones, post densa funerum agmina, mox a desinente calamitate nullam saepe deprehendimus hominum penuriam, quasi damna gentis humanae uberiore foecunditate laetius compensarentur. Sic Romae [71]), peste saevissima urbem et agrum cum trienni pernicie depopulata (a. 294 a. Ch. n.), nulla animadvertebatur incolarum attenuatio; quin etiamsi intermedio tempore in colonias condendas multi discessissent, sequenti anno lustratio populi instituta majorem frequentiam exhibuit, quam quae ante luem exstiterat. Haud aliter etiam eo quo nunc vivimus tempore contigit. Post morbum enim popularem inter atrocia belli longe lateque vagatum, agmine hominum absumto neutiquam mediocri, statim ubique fere terrarum numeri hominum citato passu accrescebant, quaeque nuper facta erat jactura, abunde reparata agnoscitur.

Ad hanc generis humani copiosam post publicas ejus modi calamitates progeniem alludere videtur Ovidius [72]), ubi post pestilentem cladem Aeginae insulae (circa a. 1200 a. Ch.) funestissimam, ingentique multitudine mortalium direpta, hominum agmina fingit formicarum instar ex terra prodiisse; luculento testimonio, secundarium illud humanae foecunditatis augmentum jam pridem comparuisse et cum admiratione fuisse animadversam. — Est ubi ad damna reparanda adminiculo magis manifesto usa fuisse videtur providentia divina. Ita quidem, ut ex compluribus exemplis, quod proxime ad manum est, depromamus, Evagrius [73]) narrat, in po-

---

tionis spontaneae (morbum evolutorium vocant, quasi integratorium), sive ancipitem naturae contentionem, qua communis vitalium facultatum vigor reficiatur, vel in melius promoveatur, instrumentorum autem compages et virtus simul in integritatem vindicetur.

71) Liv. Hist. X, 31. 32. 72) Metam. L. VII, 642 ss.
73) Hist. ecclesiast. L. II, c. 6. (Bibl. Max. Patr. T. XI.)

pulari lue, quae ex imbrium paucitate et alimenti boni penuria (a. 454 p. Ch. n.) per Asiam minorem grassaretur, famem iis, quibus vita suppeteret, divino beneficio levatam esse. Quippe, pergit pius auctor, anno sterili et effoeto illo alimentum non aliter atque manna olim Jsraëliticis delapsum dicitur, et insequenti anno fructus maturos terra sua sponte produxisse. Sic ille. — Qui vero de progenie illa mirifice aucta rationem sufficientem reddere sibi videntur, dum simpliciter statuunt, veneris studium, praegressa lue, inter homines auctum fuisse, vereor, ut circumspecte satis atque intentius rem perpenderint. Partim enim magnitudinem et varietatem causae ex inferiore et angustiore loco, minimeque ingenuo animo contemplantur, partim re vera difficultatem nullo modo sustulerunt; nam ne hilum quidem hujus argumenti auxilio proficimus. Mihi vero in tali rerum conditione haec nata est sententia: Studium eruendae veritatis laudabile est et generosum ac proprie humanum, dumne in eo obliviscamur finium, quibus scientiae humanae spatium divinitus circumscriptum est. Ubi mentis aciei naturam rerum perspicere concessum non est, divinam sapientiam praestat admirari modeste et cum pietate venerari, quam ingenii modulo fretos et superbientes, rerum absconditarum revelationi inhiare. In errores enim deducti, paulatim ad inanes devenimus, specie quidem splendentes, sed momento dilapsas argumentationes; ac coeca caligine mens obnubilata demum resipiscit imbecillitatem naturae suae agnoscens.

HERACLIDES TARENTINUS.

§. 51.

Sed tempus est, ut ex diverticulo, quo historiarum scriptores nos deducebant, in viam medicinae redeamus. Praetermissis scholae dogmaticae sectatoribus, quippe

de quibus pauca dispersaque tantum innotuerunt, incerta simul, neque scrutandi studium nutrientia, ab Hippocrate statim ad Heraclidem descendamus, sectae empiricae principem, medicum suo tempore praestantissimum (a. 242 a. Ch. n.). Is quomodo febrem typhodem curaverit (phrenitidem et ipse dicit), quum quae scripserit omnia deperdita sint, apud Caelium Aurelianum [74]) commemoratur; unde, quae commoda ad usum nostrum sunt, repetenda [75]). Praeterea ab omnibus fere, qui ejus mentionem faciunt, magnopere laudatur, partim ob diligentiorem materiae medicae scrutationem, ob causarum etiam in morbis non contemtam, ut mos illi sectae erat, indagationem, ob veritatis studium et sinceritatem, denique ob medendi rationem justam et sagacem (Galen.). Jejunio quidem imperando in quartana febre nimis dicitur indulsisse, adeoque in damnum aegrotantium; ceteroquin opii usum, tum internum, tum externum, qui antea sat rarus et parcus fuerat, frequenter admisit et magnopere commendavit.

Phreniticos autem (quomodo affectos scripserit Caelius, infra videbimus) promiscue loco obscuro habebat. Statim a cura suscepta clysma injicere solebat, dein sanguinem ex vena mittere *). Notatur a Caelio, quoniam non distinxerit, quibus maxime conferret, et ubi noceret forte. Altero die alvum iterum subluebat, idque quotidie, quamdiu morbi vehementia perseveraret. Caput simul derasum lauri decoctionibus fovebat, posthac oleo rosaceo infricabat. Imponebat praeterea cataplasma ex farina, aqua mellita, iride illyrica, oleo len-

---

74) D. m. acut. I, 17.

75) De scriptis deperditis, medendi ratione et virtutibus Heraclidis collegit multa Clericus: Hist. de la médec. T. II. L. II. c. 7.

*) Etiam Diocles Carystius (366 a. Ch.) venam secuerat in phrenitide fortibus juvenibus et consuetudine vinolentis, plethoricis. Cael. Aurelian. acut. L. I, c. 12.

tisci et calamo aromatico. Capiti et naribus medicamentum quoddam compositum, nonnihil calefactum superhabebat, quod ingrediebantur peucedanum, opium, castoreum, oleum amygdalar. amarar., acetum et oleum iridis. Circa haec et alia a Caelio, pro more ipsius, ut qui repugnantia inter se commiscuerit etc., acriter perstringitur. Simul papaveris ac serpylli decoctione fovebat ad somnum conciliandum. Bibendam dabat emulsionem papaverinam cum mulso et diacodio, vel, adversus tussim, pectoralem aliquem potum. Declinante malo jusculum gallinaceum vel succum ptisanae, hordei, vel oryzae propinabat, serius panem concedebat leviorem et carnes bene et facile nutrientes.

Vidit etiam a sordibus intestinorum natam phrenitidem. Ubi talem originem suspicaretur, praeter modo dicta adminicula: clysma, cataplasma etc., purgans medicamentum exhibebat, cui scammonii aliquid inesset; venaesectionem vero omittebat. In aliis, quibus non universalem sanguinis plenitudinem inesse censeret, sed caput solummodo humoribus occupari, venam frontis secabat. Illos denique phreniticos, quorum morbum ab humoribus corruptis derivandum judicaret, clysmate immisso et aquae larga potione, interdum etiam vino mellito, vel Chio vel Rhodio curabat, primum bene diluto, serius meraco.

Phrenitidi veteres, inde ab Hippocrate, lethargum eadem ratione habebant oppositum, qua recentiores febris nervosae duplicem speciem dignoscebant, tum eam, quae cum erethismo, tum quae cum torpore incedat. Noster [76]) hanc aegritudinem fieri putabat a multitudine crassorum crudorumque humorum, ac medendi causa clysmata exhibebat, cum decoctis herbarum amararum parata. Propinabat simul castoreum et aquam salsam et epithymum, guttatim infundens. Caput autem

76) Cael. Aurel. d. acut. II, 9.

posca fovebat, in qua laurus esset decocta et ruta; rasis quoque capillis ungebat castoreo vel spondylio et aceto cum oleo veteri; et cataplasma resolvendi gratia superhabebat ex farina, posca, absinthio et nitro paratum. Dehinc, capite deraso, sinapi cum nitro et fico, et clysmata eadem adhibebat. Ut humores phlegmaticos ex cerebro derivaret, masticandas dabat radices acriores, et balanos immittebat, si alvus enemati non cessisset; et totum corpus aceto et oleo perungebat, sternutatoriis idem concutere studebat, et odoramentis castorei et spondylii, aceto acri soluto um, excitare. Ubi humores depravatos in causa haberet, aquam dulcem aegro crebram porrigebat, similiter atque phreniticis sub hac conditione, deinde vinum, post haec acetum cum melle, ad vires tuendas, tunc juscula tenuia ex carnibus avium, et serius ab his, declinante morbo, oryzae vel hordei decocto alebat et pane cum radicibus paulo acrioribus, quibus tenaces humores incideret.

Copiam et opportunitatem medicaminum et alimentorum plerumque insufficienter aut plane non notatas ab Heraclide habemus; praeterea non liquet, an Caelius invidia et reprehendendi studio hanc medendi rationem, quae omnino, etiam uti ad nos descripta pervenit, bene convenientia et experientia perenni comprobata multa habet, forte iniquius tractaverit. Certe ex his apparet, memoriam medici Tarentini neutiquam esse abolendam. Quantopere vero adjumentorum supellex inde ab Hippocrate ad Heraclidem usque adaucta fuerit, etiam si non moneamus, cuivis in oculos incurrit.

CORN. CELSUS.

§. 52.

Quanto temporis intervallo ab Hippocrate dissidebat Heraclides, tanto fere ab hoc recedit Celsus (a. 20

a. Ch. n.), inter Romanos, ut probabile saltem est, medicinam faciens. In arte sua prae ceteris Hippocratis et Asclepiadis vestigia premit, illum in prognosticis et causis eruendis tam studiose secutus, ut ad verbum plurimis locis reddiderit; huic circa curationem praecipiendam plurimum debet, tamen ut passim dissentire non dubitet. Sectae cuiquam ex iis, quae tunc florerent, nullo modo impensius et addictius adhaerebat, id quod ex praefatione libri colligitur. Nam de causis et ratione interna morborum multa depromebat a dogmaticis; in cura exponenda empiricis et methodicis maxime assentiebatur; est vero, ubi omnes perinde refellit.

Statum autem typhodem, similiter ac Hippocrates, primarium quidem agnovit, frequentius vero secundarium habebat. Uti priores, ita et ipse phrenesin compellat, s. insaniam acutam, ubi cum quadam exagitatione motuum, vigiliis, inquietudine etc., malum incederet; lethargum vero, ubi cum febre gravis in somnum delatio conspicua esset (f. nerv. stupida recentiorum). Utramque mali varietatem febribus promiscue observabat accedentem, ita tamen, ut propius plerisque phrenitis instaret, multis demum in lethargum conversa. Ex iis, quae ex Hippocrate discerpsit, quaeque supra jam notata fuerunt, potiora solum repetemus, maxime vero, ubi a nostro additum aliquid fuerit, vel accuratius expressum; et quum plura apud eum legantur nostro proposito non incongrua, finibus autem opusculi ampliora, saepius in hoc quam in aliis auctoribus ad ipsam fontis ubertatem lectores relegare coacti erimus.

Quum variae febres sint, quibus insania acuta subnascatur, illaeque variis anni temporibus adjunctae: apparet, phrenesin peculiari cuidam tempestati adstrictam non esse. Interim si compertum habetur, plurimis morbis auctumnum implicare, eundem vero pestilentibus quam cetera anni tempora magis patere, cujuscunque ii generis sint, utpote variis rationibus nocentes: possit

aliquis suspicari etiam de majore phrenitidis frequentia auctumnali. Praeterea austrina tempestas praecipue obnoxios reddit, aures enim hebetat, sensus tardat, capitis dolorem inducit, totum corpus efficit hebes, humidum, languidum (Hipp.). At si a prima hieme austri ad ultimum ver continuarunt, phrenitides speciatim quam celerrime rapiunt, velut et laterum dolores. Inter aetates, quae constans dicitur, maxima utitur lethargi et phrenitidis (insaniae) propensione [77]).

Circa origines vero ac symptomata utriusque mali, quod a materia incongrua cerebrum adfectante gigni putabat, haec maxime Celsus memoriae prodidit. Ante febres si caput grave est, aut ex somno oculi caligant, aut frequentia sternutamenta sunt, ad caput pituitae impetus timeri potest, atque ex hoc fomite soporosus aliquis affectus [78]). Certiora vero habentur signa, ubi febris accesserit. Tunc enim insania protinus exspectanda est, ubi expeditior alicujus, quam sani fuerat, sermo est, subitaque loquacitas orta, et haec ipsa solito audacior; ubi rara et vehemens respiratio, pulsus concitatus, praecordia dura, tumentia. Oculorum quoque frequens motus et in capitis dolore tenebrae oculis offusae, vel citra dolorem quemquam somnus ereptus et vigilia continua; vel contra consuetudinem prostratum corpus in ventrem, etsi non doleat abdomen; nec non insolitus, robusto adhuc corpore, dentium stridor, insaniae signa sunt. Eandem notam habent abscessus, antequam suppurent, manente adhuc febre subsidentes, nec non auris dolor acutus, cum febre acuta et vehemente [79]). Non omnis vero desipientia febrilis debet phrenitis vocari, minimeque ea, quae brevis esse consuevit, in accessione summa, quaeque levato impetu cessat; illa enim remedium aliud non desiderat, quam quod febri curandae convenit, sed phrenitis tum demum agnoscitur, ubi con-

77) L. II, c. 1. 78) L. II, c. 7. 79) Ibid.

tinua esse mentis perturbatio incipit, cum vanis imaginibus; perfecta est, ubi mens illis imaginibus addicta [80]), ubi doloris nulla perceptio, quamvis causa doloris exstiterit [81]). Delirium ipsum admodum variat: alii enim tristes sunt, alii hilares, alii facilius continentur, vel intra verba desipientes, alii consurgunt cum violentia, vel artibus etiam adhibitis facinora quaedam perpetrant. (Dolus phreniticorum.) In gravi morbo solent etiam pedes cum digitis unguibusque nigrescere. Quodsi mors hic non fuerit consecuta, et reliquum corpus convalescat, pedes tamen decidunt [82]). Aliud insaniae genus fere sine febre incipit, leves dein febriculas excitat, longum est, cum tristitia, atque atra bile contractum Celso videtur. Intermedia obscurior haec phrenitis est inter acutam illam et longam, non febrilem, vesaniam [83]); — febris maligna recentiorum, nerv. lenta Huxh. Cognoverat etiam Hippocrates.

Phrenitis saepe in morbum cardiacum convertitur, dum mens quidem rursus constat, extrema vero debilitas ingruit, stomachus languet, immodico sudore corpus diffluit, pulsus exiguus et obscurus est, extrema frigida; mors hic ostia pulsat [84]). Aliter etiam in lethargum desinit, qui contrarius circa speciem phrenitidi est. In hoc inexpugnabilis stupor et dormiendi necessitas urget, malum et hoc quoque acutum et, nisi succurritur, cito lethale [85]).

Circa praesagium, quae bona signa sic laborantibus habeantur, referri huc possunt, quae congrua videantur ex L. II, c. 3. Mali vero indicii inter alia et haec

---

80) L. III, 18. 81) L. II, c. 7. 82) Ibid. ad fin.

83) L. III, c. 18.

84) De his praemonuit Hippocr. Coac. I, 1. — moriuntur, ubi ad se redeunt.

85) Quae enim calidis morbis (phrenitidi, causo etc.) subnascuntur frigora (morbus cardiacus s. syncope, lethargus), funesta sunt. Galen.

sunt [86]): si aeger resupinus jacet, porrectis manibus et cruribus, si vigiliae continuo urgent, vel sopor ultra debitum protractus, noctu interdiuque continuatus; ubi magna inquietudo et jactatio, lacrimatio involuntaria; cutis circa pubem et umbilicum retracta; praecordia inflammata, dolentia, dura, tumida, intenta, magisque si haec dextra quam sinistra parte sunt, et si venae ibi vehementer agitantur. Malum porro, frigus extremorum, ventre et lateribus calentibus, horror post sudorem, rubor oculorum, sudor multus, maximeque frigidus, vel inaequalis, quo febris non levetur; pavores ex somno, delirium grave, membri alicujus resolutio, urina alba, alvi immoderatus fluor, albidus, pallidus spumans, vel adstrictio continua. Malum etiam, quod post longam febrem sincerum est in humoribus excretis. Pessima vero signa sunt [87]): facies Hippocratica, oculi semiclausi, distorti, corpus ad pedes delapsum, crura et brachia denudata, maxilla relaxata; sopor assiduus, floccorum collectio, festucarum diductio, spiritus frigidus, urina nigra, crassa, foetens; alvus liquida, nigra, vel pallida, vel pinguis, olidissima. Qui ita decumbunt, de his fere conclamatum est. — Haec maximam partem uti Hippocrates.

Interim moderatius haec noster monet: in acutis morbis fallaces magis notas existere salutis et mortis; conjecturalem enim artem esse medicinam, ut, quum saepius aliquando responderit, interdum tamen fallat. Quaeque medendi causa reperta sunt, nonnunquam in pejus alicui convertunt. Neque id evitare humana imbecillitas potest in tanta varietate corporum. Sed est tamen medicinae fides, quae multo saepius perque multo plures aegros prodest [88]).

---

86) Ibid. c. 4. 87) Ibid. c. 6. 88) Ibid.

§. 53.

Cura phrenitidis quemadmodum Celso instituta sit, utilius exponetur, postquam de ejusdem auctoris medicina universim nonnulla praemonita fuerint.

Materia illa, quae causam et fomitem febri praebet, febre ipsa dissipatur, siquidem aegro nihil datum fuerit, quod renovare illam possit. Itaque raro medicamentis purgetur, raro clysmate alvus ducatur evacuandae materiae gratia, etsi in plerisque morbis locum omnino habeat. Conducit abstinentia primis diebus febris, potio mediocris vel parca, et quies; optimum vero medicamentum cibus est opportune datus [89]). De singulis hisce posthac.

In sanguinis instituenda missione ab Hippocratis usu aliquantum noster discessit. Ille quidem raris vicibus, ut videtur, et copia largiore misit, ubi per aetatem et corporis habitum fieri liceret; neque in dies morbi priores venae sectionem coërcebat, sed, ut apparet ex Anaxionis historia (v. supr.), non dubitabat vel octava die sanguinem haurire, ubi dolor et reliqua morbi signa juberent. Celsi autem aetate sanguis in omnibus fere morborum speciebus mittebatur, etiam pueris et feminis uterum gerentibus et senibus, si vires sufficerent; neque vero, ab altera parte, juveni vena incidebatur, si imbecillus esset; neque quidquam perpetuum habebatur circa aetatem aegri, sed cardo rei vertebatur in viribus aestimatis. Ergo febris vehemens, in qua rubeat corpus (facies?) plenaeque venae tumeant, sanguinis detractionem requirit; eadem necessitas existit in viscerum morbis, nervorumque et resolutione et rigore et distentione, faucium strangulatione cum spiritus difficultate et vocis suppressione, intolerabili aliquo dolore, ubi ruptum aliquid intus vel collisum fuerit; in malo corporis habitu et omnibus morbis acutis, dummodo, ut supra

89) L. III, c. 4.

dictum, non infirmitate sed onere noceant. Verum ubi morbus quidem id remedium desideret, vires autem vix pati posse videantur, neque aliud auxilium appareat, periturusque aeger sit, tunc temeraria etiam via adjuvari poterit, si ipse vel adstantes de conditione valetudinis praemoniti consenserint; nam satius est, anceps auxilium experiri, quam nullum.

Ubi crudus adhucdum morbus viget, sanguinis missio generatim differenda est, ac secundus tertiusve dies exspectandus, nisi periculo repente oborto necessitas urgeat. Verum ut aliquando etiam primo die sanguinem mittere necesse est, sic nunquam post diem quartum conducit, cum jam per tempus materia morbi et exhausta fuerit et corpus corruperit, ut a detractione hoc ipsum labefactetur potius, quam in integrum restituatur. Praeterea in ipsa accessione vehementis febris, a sanguinis missione utique cavendum, utpote valde ancipite; exspectanda potius remissio est, vel, ubi haec non speratur, incrementi finis. Satius enim est, ne forte nimium praecipitentur vires, hoc auxilium in biduum dividere, ubi convenit quidem, ut primum levetur aegrotus, deinde perpurgetur. Mittendus sanguis ut plurimum ex proximo loco est, interdum, ubi avertendi scopus, ex remotiore. Utiliter effunditur, si crassus apparet et niger, nam vitiosus is est; si vero rubet et pellucet, integer est; tunc nocet et fluxus supprimendus est [90]), semperque ante finis missioni faciendus, quam anima deficiat [91]).

Ubi in parte aliqua vitium est, ubi vires ex vena mitti non sinunt, morbus tamen levandus est, ubi protrahitur idem, tutius scalpello et cucurbita sanguis de-

---

90) Convenit cum hisce multiplex observatio medicorum seculi XVII et XVIII. praestantissimorum; ii priore sanguinis statu putridam febrem, humorosam, posteriore vero malignam, nervosam, conspicuam habebant.

91) L. II, c. 10.

trahitur [92]); neque hoc in cruditate etiam vel medio febris impetu periculosum est, quamvis, ut nullum periculum, ita levius praesidium est, nec vehementi malo, nisi aeque vehementi auxilio succurritur [93]).

Purgantium in febribus usui Celsus non adeo favet, eaque ut stomachum fere laedentia ad morbos febre carentes relegat; neque clysmate alvum saepius citandam putat, usus hoc auxilio in intestini potissimum affectionibus, ubi caput grave est et oculi caligant, ubi tardior alvus, vel excrementa corrupta, aut ubi prima inedia febrem non sustulit, aut si sanguinem mitti, cum opus sit, vires non patiuntur, tempusve eius auxilii praeteriit, aut ubi multum ante morbum aliquis potavit, aut si quis, qui saepe vel sponte vel casu purgatus est, alvum subito habet suppressam. Ne tamen alvus ante diem tertium moveatur, neque in cruditate, neque in corpore diu adversa valetudine exhausto, neque in ipso accessionis impetu, quia, quod tum infusum est, alvo continetur, regestumque in caput multo gravius periculum inducit. Praeparetur aeger abstinentia et calida aqua epota, ut superiores partes humectentur; tum immittenda in alvum est aqua pura, ubi levis medicina sufficit, ubi paulo valentior requiritur, mulsa, decocta cum foeno graeco, vel ptisana, vel malvae decoctio. Acris autem aqua marina est, acrior, oleo adjecto vel nitro vel melle [94]).

Vomitus conducit in morbis, quos bilis concitavit, ut iis qui cholera laborant, nec non, qui cum quadam hilaritate insaniunt. Etiam ante hunc aegri corpus humectandum est [95]). — Quomodo sudor promovendus sit, edocuit noster in eodem libro c. 17.

Circa principia morborum primo a cibo potuque

---

92) Hirudinum non meminit Celsus, etsi Themison (a. 70 a. Ch. n.) usus jam fuerat.

93) L. II, c. 11. 94) Ibid. c. 12. 95) Ibid, c. 13.

aegri abstineant [96]); ipsi deinde morbi moderationem desiderant, ut neque aliud, quam quod expedit, neque ejus ipsius nimium sumatur; tempestiva igitur abstinentia sit, neque vel tempore, vel modo, vel genere victus peccandum. In acutis serius aeger alendus est, nec nisi jam declinantibus, ut primo detracta materia impetum frangat; in longis maturius, ut sustineri spatium adventuri mali possit. Multum etiam interest, ab initio quis recte curatus sit, an perperam; quia curatio minus iis prodest, in quibus assidue frustra fuit. Si quis temere habebatur, et curae expers integris adhuc viribus vivit; recte administrata medela saepe brevi tempore restituitur.

Signis autem adversae valetudinis primum prodeuntibus, optima auxilia sunt abstinentia et quies; si quid bibendum, aqua: idque interdum uno die fieri satis est, interdum, si terrentia manent, biduo: proximeque cibus exiguus sumendus est, et bibenda aqua; postero die etiam vinum (temperatum); dein alternis diebus modo aqua, modo vinum, donec omnis causa metus finita sit. Hisce simplicibus adjumentis saepe instans gravis morbus discutitur. — Anceps et incertum auxilium primo protinus die adversae valetudinis quaeritur in exercitatione aut balneo aut coactis evacuationibus aut vino. Interdum quidem haec juvant; saepius vero fallunt, solaque abstinentia sine ullo periculo medemur, eamque pro re nata moderantes [97]). In febribus vero abstinentiae usu id non agebat Celsus, ut vires convelleret; etenim ex imbecillitate periculum timebat; sed ut minueret tantum materiem superantem, quam natura digestum iri confidebat, ubi novi nihil accesserit. Hoc intuens generatim primis diebus abstinentiam imperabat [98]), certum autem et perpetuum dierum numerum in hac re non constituit; potestque cibus dari primo, secundo, tertio die. Refert enim, qualis morbus sit, quale corpus,

96) Ibid. c. 16. 97) L. III. c. 2. 98) L. III. c. 6.

quale coelum, qualis aetas, quod tempus anni; quare in morbo, qui plus virium aufert, celerius cibus dandus est, nec non eo coelo, quod magis digerit (ut in Africa observabatur); maturius etiam puero, quam juveni, aestate, quam hieme dari debet. Quamdiu vero vires aegri sufficiunt, medicus subinde assidens abstinentia pugnet; quam primum imbecillitatem veretur, cibo subveniat; neque supervacua materia aegrum oneret, neque fame perimat. Et qualia tempora cibo, talia potioni quoque deligantur, nisi a somno, quem optamus, sitis forte prohibeat [99]). Ceteroquin criticorum dierum observationem cum Asclepiade noster ut vanam repudiat, neque aequalium inaequaliumve habet rationem [1]).

Victus autem febricitantibus aptissimus est humidus, ex materia quam levissima, maxime sorbitio, eaque, si magnae febres, tenuissima. Adjici potest mel despumatum, nisi stomachus inde offenditur. Ubi desinit febris, addendum aliquid ex alimentis mediae indolis, ratione habita et virium hominis et morbi. Et si neque vis neque cupiditas deest, nulla varietate solicitandus aeger est, ne plus assumat, quam concoquat; neque verum est, quod Asclepiades contendit: facilius concoqui cibos varios. Largius nutriendus aeger est, ubi in melius valetudo jam vergit [2]).

Cetera curationis adminicula Celsus ad methodicorum exemplar definit, strictum genus et laxum in morbis distinguens, methodoque diversa impugnans. Exposuit autem eodem loco, quo proxime dicta leguntur.

---

§. 54.

Talem quidem in curandis morbis generatim noster se gessit. Sequuntur vero, quae in febribus peculiaribus observaverit, speciatim in iis, quibus familiaris as-

---

99) Ibid. 1) Ibid. c. 4. 2) L. c. c. 6.

sociatur phrenitis, de cujus, sicuti de lethargi, ut affectus affinis, cura quae docentur, apparatum medicinae Celsianae, quatenus hic conveniat, absolvent.

Speciatim nonnulla noster praecepit circa curationem pestilentium febrium. Possunt in iis promiscuae species febrium intercurrere, curamque desiderant, pro natura epidemicae constitutionis, diversam nonnihil ab ea, quae alias iisdem conveniret. In hac pestilentia minime utile est, aut fame aut medicamentis purgantibus uti, aut clysmate alvum proritare. Si vires sinunt, praesertim, ubi cum dolore febris urget, sanguinem mittere optimum est; idque auxilium in tali conditione utpote vetustissimus superstes, quantum equidem compertum habeo, noster commendavit. Si non satis tuta habetur venae sectio, quando febris levata est, vomitu pectus purgetur, atque hic quam in aliis morbis maturius in balneum ducere opus est. Victus nutriens, vinosus. Nam quo celerius ejusmodi tempestates corripiunt, eo maturius auxilia etiam cum quadam temeritate rapienda sunt. Puero, praesertim infirmiori, nec suffecturo venae sectioni cucurbitulae applicentur; ducatur alvus vel aqua, vel ptisanae cremore; tum demum cibis levibus nutriendum. Itaque iisdem auxiliis hic, quibus in alio quoque genere morborum, solummodo parcius administratis, agitur (non facile enim sanguis mittitur, vel alvus ducitur; neque vigilia, neque fame, vel siti nimia, nec vino curandum). Vomitus post accessionem febris provocandus; deinde cibus ex levissimis suppeditandus; tum dormiat aeger, posteroque die, si febris manet, abstineat; die tertio ad similem cibum redeat. Dandaque opera, ut inter opportunam abstinentiam cibo opportuno, omissis ceteris, nutriatur [3]).

In ardenti vero febre, quae calore intenso, siti et ut plurimum siccitate corporis cognoscebatur, a me-

---

3) L. III. c. 7.

dicamenti potione Celsus abstinebat; sed in ipsis accessionibus emulsionem oleosam dabat. Aegrum habebat in conclavi amplo, ut aërem largum purumque trahendi facultas esset, stragulis leviter obvelatum. Neque eum siti vexabat nimia, vel maturius alebat, sed non ante diem quartum. Venae sectionis instituendae auctor non meminit. Ubi vero sordes in ventriculo: vomitum ciebat, inclinata jam accessione; tum dabat frigidum olus, aut pomum ex iis, quae stomacho conveniunt. Quando urget siccitas: ptisanae, vel oryzae cremor dandus, cum recenti adipe coctus. In fastigio morbi, utique non ante diem quartum, ubi sitis magna aderat, nec tussis vexabat, frigida aqua copiose et ultra satietatem bibenda, atque sic refrigerato et repleto ventre, vomitus eliciatur. Animadvertit vero, nonnullos frigida tantummodo ad satietatem data, pro medicamento uti. Ubi utrumlibet factum est, aeger multa veste operiendus, ad somnum se componat. Ac plerumque post largam sitim et vigiliam, post multam satietatem, post infractum calorem plenus somnus venit, per quem ingens sudor effunditur; idque praesentissimum auxilium est, nisi partis cujusquam gravior affectus adfuerit. (Ibid.)

Nihil proprii inest in cura semitertianae febris [4]), quae tantopere damnabatur, tamquam infaustas amans conversiones et symptomata gravia, ut phrenitidem; atque hic etiam, nisi quid magnopere prohibeat, inter initia sanguis mittendus; dein remittente febre cibus dandus, qui neque incitet ipsam, attamen longum ejus spatium sustineat.

Interdum lentae febres aegrum tenent, sine ulla remissione, unde nec cibo nec remedio ulli locus est. In hoc casu, non minus audax quam ingeniosus, noster praecipit, ut morbus a medico mutetur: forsan ut hac via curationi opportunior evasurus sit. Quem in finem

4) Ibid. c. 8.

ex aqua frigida, oleo adjecto, corpus pertractetur, unde interdum horror oritur et fit initium quoddam novi motus; atque qui magis a febre incaluerit aeger, remissionem deinde experitur, in qua cibus et medicamenta locum inveniant. Ubi frigus diuturnum, torpor et jactatio, mulsum non inepte datur, vel cum cibo vinum bene dilutum, unde saepe intenditur febris, et priora mala tollit et spem remissionis atque in ea curationis ostendit. Sic quidem aegri, qui sub cautioribus medicis trahebantur, ab aliis interdum contraria medicatione sanantur. Petro, medicus Erasistratum praecedens, febricitantem, ubi acceperat, exaestuabat multis vestimentis, dein, cum paulum remitti coeperat febris, aquam frigidam potui dabat, atque ita statim sudorem, vel si is prodire cunctaretur, vomitum movebat, vel ubi febris ab his non cessaret, potione salina purgabat, totus in simplici hac medendi ratione. Quam tamen Celsus temerariam sane esse non negat, quum plures, si protinus a principiis exceperit, interimat. Sed eadem omnibus non conveniunt, et fere quos ratio non restituit, temeritas adjuvat. Ideoque ejusmodi medici melius alienos aegros, quam suos nutriunt. Est vero circumspecti quoque hominis, et novare interdum [5]), et augere morbum, et febres accendere; quia curationem, ubi id, quod adest, non recipit, potest recipere id, quod futurum est [6]).

Considerandum etiam est, an alia quoque his mala accedant. Ubi capitis dolores et lingua aspera: acetum rosaceum in fasciis fronti imponatur, vel aliae herbae subamarae, cum aceto digestae. Iuvant et odoramenta leviora. At si in praecordiis inflammatio et dolor est, unde, quod toties notatum, phrenitis secundaria super-

---

5) Morbos vetustos si curare vis, renovare prius oportet. Hipp. d. loc. in hom. cf. supr. §. 41.

6) L. III. c. 9.

venire solet; primo superhabenda sunt cataplasmata reprimentia [7]), ne, si calidiora fuerint, plus eo materiae concurrat. Posthac vero, prima inflammatione declinante, ad calida et humida demum veniendum est, quae ea, quae remanserint, discutiant [8]).

§. 55.

Ad febres sanandas hac methodo usus, praevertere simul Celsus conabatur, ne vehementior in caput ac fatalis impetus fieret. Qui quidem quando mediocris erat ac modo transiens, non diversam ab illa curam expetere videbatur, quae febri ipsi per se conveniret [9]).

Verum ubi continuata dementia phrenitidem veram indicabat, hoc primum agere solebat, ut, more methodicorum, cubiculum deligeret morbo et aegro conveniens. Quo officio fungens alium vidit luce, alium tenebris turbari; aliis perinde erat, utro modo haberentur. Studio simul vel timori laborantis aliquid concedendum putabat; sed ubi juxta excipiebantur lux et tenebrae, aeger, si viribus pollebat (ubi strictum morbi genus) loco lucido, si debilis (ubi laxum), obscuro tenebatur. Remedia, ubi vehemens insania est, supervacanea sunt, nam febris inde increscit, neque aliud quidquam opus est, nisi ut aeger contineatur. Ceteroquin, ubi res patitur, festinanter subveniendum. Quodsi vires suppetunt, sanguinis quoque convenit missio, licet Asclepiades necem inde extimuerit; multa enim in praecipiti periculo recte fiunt, quae alias omittenda. Alvus ducatur clysmate; tum interposita die convenit caput ad cutem tondere, dein fovere verbenae vel aliorum repellentium [10]) decocto; naribus offerre rutam ex aceto contritam et sternutamenta movere medicamentis efficacibus.

---

7) Cf. L. II, c. 23. 8) L. III, c. 10. 9) L. III, c. 18.
10) Qualia in his haberentur; v. L. II, c. 23.

Verum iis tantummodo haec adhibeantur, quibus vires non desunt, debilibus autem rosa, serpyllo et similibus caput madefaciendum. Promiscue utilia sunt solani (cf. Hipp., supr. §. 45.) et muralis succus, reprimendi virtute. Cum febris remisit, frictione utendum, praecipue in iis, qui nimium tristes decumbunt. Etenim adversus omnium sic insanientium animos pro natura cujusque se gerere necessarium est. Musices usus proficit; ac multae docentur artes (l. c.), ejusmodi aegros pacandi, delectandi, et mentem ipsam componendi. Praecipue somnus alliciendus est, fomentationum paregoricarum usu moderato; ex imprudenti enim et continuata applicatione in lethargum facile morbus convertitur. Confert etiam ad somnum sonitus lymphae gutatim juxta cadentis, in pelvim forte aëneam; maximeque suspensi lecti commotio. Praeterea potest cucurbita occipiti admoveri, partim ad morbum levandum, partim ad somnum conciliandum. Cibo aeger neque repleri debet, ne vehementius insaniat, neque jejunio vexari, ne vires nimium frangantur. Victus vero humidus sit, sorbitio levis, potio aqua mulsa.

Etiam in longiori illa febrili insania, quam supra (§. 52) memoravimus cum tristitia incedentem, Celsus sanguinem utiliter detrahi animadvertit, et abstinentiam, dein vomitum et purgationem conducere; salutaris enim in ejus modi malis alvus prorumpens [11]), serius frictio. Aeger spe erigendus est, et pro studio et ingenio suo delectandus; febris ceteroquin, ut aliae febres, curanda. — Frigidam capitis perfusionem atque corporis in aquam et oleum submersionem, qua tristitia discutiatur, laudat solummodo in longa insania, febre non stipata [12]).

In lethargo denique animum noster adtendit, num in decessione impetus et febre levata aeger expergiscatur, an vero tunc etiam, vel adeo gravius, sopiatur.

---

11) L. II, c. 8. 12) L. III, 18.

Si quidem dicta ratione expergiscitur, odoramentis et sternutatoriis opus non est; neque enim vigilando melior fiet, sed per se, si melius habet, vigilat. Si vero continens aegro somnus est, utique excitetur, sed iis temporibus, quibus febris levissima fuerit, ut excernat aliquid et sumat. Excitat autem validissime aqua frigida repente infusa, post remissionem. Locum vero hoc adminiculum tum tantum habebit, ubi aequalis aegro spiritus erit, et mollia praecordia; alioquin excitantia prius dicta adhibeantur. Et haec ad somnum commodissima ratio est. Verum medendi causa et hic caput radendum, dein lauri vel rutae decocto fovendum; altero die imponendum erit castoreum aut ruta cum aceto trita, aut lauri baccae aut hedera cum rosa et aceto. Ad excitandum hominem et morbum ipsum depellendum praecipue conducit capiti vel fronti impositum sinapi. Gestatio, cibus opportune datur in remissione; vinum quoque cum tempestivo cibo oblatum non mediocriter adjuvat. Quodsi vero post longas febres ejusmodi torpor accessit, cetera eadem servanda sunt; ante accessionem autem tribus vel quatuor horis castoreum, si venter adstrictus est, cum scammonia [13]) mixtum, si non est, per se ipsum cum aqua dandum est. Si praecordia dura, imponendum, quod simul reprimat et emolliat [14]).

ARETAEUS CAPPADOX.

§. 56.

Si ex alieno penu plura Celsus proposuit, pauciora vero de suo, ut videtur, adjecit, adeo ut a sat multis

---

13) Castorei hoc cum scammonia connubium in lethargi curatione postmodum frequenti usu inclaruit, potissimum ab Alexandri Tralliani commendatione (de quo v. infr.); etiam apud medicos seculi XVII celebriores insigni auctoritate valebat.

14) L. c. c. 20.

tum prioris, tum nostrae aetatis auctoribus minus pro medico, quam pro viro universim erudito, sermonis elegantis et justi bene gnaro, perhiberetur; ARETAEUS suae observationis larga et multifaria copia, naturae ut certissimae ducis [15]), atque experientiae ut optimae magistrae [16]) prudens et constans sectator, alterius HIPPOCRATIS nomen et laudes meruit, medicis semper prae manibus habendus. Ut enim orationis concinnitate et elegantia ac flore scriptorem probabilem, sic in aegris curandis circumspectum ac bene distinguentem medicum, doctum, operosum et artificiosum sese praestitit, cui minime contemnenda ad experientiam medicam additamenta debeamus, qui malorum fida ac diligenti descriptione superiorem inter veteres habeat neminem, in auxiliis reperiendis mire providens, felix, dives et ingeniosus, affectuum et conditionum et rerum minus vulgarium, de quibus apud observatores etiam meliores nihil memoratum reperiatur, passim unicus auctor vel princeps scrutator. Huic circa nostrum etiam morbum plura in acceptis referimus, singulariter animadversa. Vidit enim typhodem illum statum tamquam particularem affectum, uti jam priores notaverant, potissimum secundario loco vel symptomatis vice morbis acutis accidentem; modo febribus, ut ardenti [17]), de aliis quidem febribus observationes ad memoriam nostram non pervenerunt [18]); modo partium laboribus, ut pleuritidi [19]), pneumoniae [20]), acutis affectibus (inflammationi) venae cavae [21]), hepatis [22]), renum [23]), vesicae [24]), satyriasi [25]), et al. Et ipse praeterea, uti priores, duplicem pathematis

---

15) D. cur. diuturn. L. I. c. 4.
16) D. cur. acutor. L. I. c. 2. fin.
17) D. caus. et signis acut. L. II, c. 4.
18) Cf. Prooem. ad Curat. acut. L. I.
19) Caus. et sign. acut. L. I, c. 10.
20) Ibid. L. II, c. 1. 21) Ibid. c. 8. 22) L. c. c. 7.
23) L. c. c. 9. 24) L. c. c. 10. 25) Ibid. c. 12.

speciem discernebat, alteram cum irritatione junctam, quam, ubi continua et vehemens est, phrenitidem vocat, alteram stupore insignem, quam lethargi vocabulo intelligit. Tamquam peculiarem denique aegritudinem, causo et phrenitidi familiarem saepeque in summo fastigio accessoriam, syncopen graphice describit, quem morbum cardiacum Celsus [26]) vocat. De tribus hisce affectibus sigillatim nobis erit exponendum.

---

§. 57.

Quae nota et ratio medicinae Aretaei in universum exstiterit, praeter illa, quae modo obiter tetigimus, ex iis praecipue cognoscetur, quae circa rationem et curam mali nostri sumus relaturi. Itaque nonnisi pauca generatim adnotata praemittenda censebamus, quae, aliunde in operibus auctoris collecta, ad rem nostram pertinere quadantenus viderentur. Fuit autem ille, uti vulgo cognitum est, pneumaticae medicorum sectae addictus, laxius quidem, atque ita, ut ubicunque doctrinae, quid bonum et utile cognovisset, eligeret et in usum suum converteret. Siquidem priores, maxime methodicam medicinam professi, praesagiendi artes ab Hippocrate desumebant, in curatione vero ab illius vestigiis recedere passim non dubitabant: Aretaei medendi ratio, in acutis saltem, Hippocraticum ingenium exactissime refert, dummodo quae intercedenti tempore, per medicos praesertim empiricos, apparatui medicaminum adjecta essent, ut accessoria sejungamus.

Sanguinem ille mittit in morbis acutis promiscue, iisdem intentionibus, quibus Hippocrates, sed frequentius et majore jam cum fiducia, ut consentaneum est ex artis provectae incrementis. Acerrimo autem judicio ad hoc medendi adminiculum opus esse monet; in-

---

26) L. III, c. 19. cf. supr. §. 53.

terdum enim prodest larga missio, una vice instituta ad animi usque deliquium, alibi supprimenda antea est, passim etiam in diversos dies dividenda, ne vires nimium convellantur. Sanguis ex variis partibus et varia methodo detrahitur, frequentissime etiam cucurbitulis, et in qualibuscunque fere morbis acutis et diuturnis usus est cruentis modo, iisque plerumque, modo etiam siccis; nec non sanguisugarum usum, quem Celsus et Galenus silentio praetereunt, aliquoties commemorat. Vomitum ciebat, si sordes in primis viis collecti, vel cibi corrupti, vel humores pituitosi, biliosi etc. exitum flagitare viderentur, quandoque vero, ubi stimulo quodam aut contentione corporis opus esset, ut motu vehementi et nisu ad vomendum omnes partes corporis concuterentur, et humores aut resolvi aut revelli possent. Eo tendebat in apoplexia [27]). Denique, ubi altas radices egerat morbus, ita ut caetera incassum essent adhibita remedia, emetica cum fiducia magna propinabat, e. g. in elephantiasi [28]). Purgantia potissimum diuturnis morbis, iis vero permultis, reservabat; in acutis enemate frequentiore usus, partim emolliendi, partim educendi, partim revellendi causa, praecipue a capite et intestinis, et fere in omnibus morbis, qui inflammatione stipati incederent. Injecit autem clysmata modo salina modo amara, modo paregorica et lenientia, modo irritantia.

Medicamenta peracutis morbis nonnisi pauca et simplicia praescribit, in victu et regimine gubernando admodum operosus. Victum febricitantibus promiscue humidum dedit, ptisanam; in hoc maxime Hippocratem secutus. Verum ubi vires acute decumbentibus jam deficiunt, ut in morbo cardiaco [29]), in largiore cibo et vino praesertim, sed moderatis utcunque, auxilii spem collocat

27) Curat. acut. L. I, c. 4.

28) Cur. diuturn. L. II, c. 13. — Quo usu accedit ad methodicos metasyncrisin in vetustis morbis molientes.

29) Cur. acut. II, c. 3.

ad vitam instaurandam. Somnifera medicamenta raro exhibet [30]); sub mortem dari vetat. Etiam anodyna laudat: in ilei curatione, atque hic theriacam innuere videtur [31]). Solemnis ei ceteroquin usus est castorei, tum internus, tum externus, in compluribus nervosae facultatis laesionibus, ad concoctionem materiae promovendam. In acutis quietem, in diuturnis generatim exercitia commendat. Externorum medicaminum usui, ad morem methodicae sectae, largius indulget.

---

§. 58.

Ad peculiarem curam typhodis affectus statim transeuntes, longioris sermonis fore putabamus, si speciatim enarraretur, quis habitus et quae ratio pathematis cerneretur accessorii in particularibus affectibus, quorum mentio facta est; quam ob rem loci librorum illic allegati [32]) lectoribus adeantur accuratioris notitiae cupidis. Verumtamen unam praetermittere nolebam imaginem, quam ardentis febris noster dedit in phrenitidem, tandemque in syncopen abeuntis, eoque exemplo insistimus ut tanto minus supervacuo, cum phrenitis ipsa pariter ac lethargus ab eodem auctore seorsim et expressius descripta non amplius reperiantur; haud dubie enim iis continebantur, quae ex primo libro operis de causis et signis morborum deperdita sunt. Nam quae inspersa sunt, ubi de curatione utriusque mali disseritur [33]), potius ad complendam et adornandam morbi semel prostantem effigiem faciunt, quam ad ideam ex integro construendam.

Itaque ardente febre [34]) laborantibus calor adest intensus, maxime internus, spiritus ardens, respiratio ve-

---

30) In pleuritide; d. cur. acut. I, 10.
31) Medicamentum ex viperis paratum. Cur. acut. II, 5.
32) Supr. §. 56. 33) Cur. acut. I. c. 1 et 2.
34) Caus. et sign. acut. L. II. c. 4.

hemens, frigidi cupiditas, lingua arida, labiorum et cutis squalor; frigus extremorum; urinae perquam biliosae; vigiliae; pulsus frequentes, parvi, imbecilli; oculi splendentes, subrubri; facies rubra. Quodsi incrementa morbus capit, omnia exacerbantur et in pejus ruunt. Arteriarum motus minimi et frequentissimi, ardor febrilis aridissimus et acerrimus, mentis major perturbatio; nihil amplius aeger recognoscit, siticulosus est; frigida attrectare cupit; parietem, vestem, pavimentum, humorem. Manus frigent, palmis quidem perquam calidis, ungues livent, respiratio frequens, sudor circa frontem et jugulum. Quando vero fastigium caloris et ariditatis morbus attigit, tum calor in frigiditatem, squalor in madorem convertitur; sic solutis quasi naturae legibus et vinculis, syncopa aeger conficitur. Sudor jam ingens toto corpore defluit, qui nequaquam compescitur; spiritus friget, naribus expellitur distentis, sitis evanida est, licet cetera exaruerint, ut os et fauces; urina tenuis, aquosa; alvus plerumque adstricta, nonnunquam paucis quibusdam biliosis liquida. Corpus sudore diffluit; at animus constans est, perceptio omnis integra et pura, intellectus subtilis, divinatio verax et eventu stabilis in omnium admirationem; sed quorum humores et mens tantopere extenuati sunt, ii non diu solent esse superstites, quum vitalis potentia jam quasi dilapsa sit.

Morbus ad recentiorem dicendi usum revocatus, febris bilioso-typhodes audiet; syncopes vero ille affectus, utpote vitalis facultatis exsolutio, non aliud refert, nisi quod Krampius [35]) negativum febris motum secundarium dicit. Sat frequenter is in febribus obvius, nec difficulter recognitus uberiori non eget illustratione. — Vaticinatio autem hoc loco memorata, apud auctorem ipsum fusius enarrata, quo jure delirii sublimis spe-

35) *Kritik der prakt. Arzneikunde.* p. 434. et alibi.

cies Grunero et aliis habeatur, perpendendi locus hic non datur.

Quod ad causas phrenitidis adtinet vel status typhodis ab Aretaeo animadversas, nihil ad nostram memoriam conservatum; neque alibi in ejusdem operibus quidquam reperio de morbo populariter grassante, vel de febre typhode e miasmate nata, vel contagio propagata. Etsi enim aliquoties in libris mentio fiat pestis, pestilentium ulcerum, adeoque bubonis pestilentis, de qua re noster vetustissimus auctor refert [36]), tamen symptomata cerebri facultatis laesae et mentis perturbatae in istis descriptionibus prorsus desiderantur. Quaeque igitur circa phrenitidem lethargumque, ut typhodis nostrae febris duplicem varietatem, amplius apud illum legantur, haec potissimum sunt de medendi ratione praecepta.

---

§. 59.

Phreniticos [37]) cubare convenit in conclavi mediocris amplitudinis, aëris pro varia anni tempestate temperati; quies simul imperanda tum aegro ipsi, tum domesticis ob acutiorem exauditionem et facilem a strepitu exagitationem. Parietes laeves sint, aequales, in quibus festucarum nihil exsertum appareat; absint etiam picturae; mens enim facillime turbatur, et carphologia et incongruae manuum agitationes, quantum fieri potest, avertantur. Cubilis spatium justum sit, quo neque in ampliori volutari possit, neque a nimis angusto delabi. Strata glabra sint, ne ad floccos colligendos solicitetur, et mollia; duriora enim nervis, quibus phrenitici non leviter laborant, ingrata sunt, eorumque distentiones lacessunt. Accedant ad aegrum amicissimi, grati sint sermones, neque animum illi exstimulent, praecipue si quis cum iracundia insanit. Utrum in tenebris

---

36) Caus. et sign. acut. II, 3. 37) Cur. acut. I, 1.

an in luce habendus sit, ex morbi natura conjicere debemus; nam si a lumine perturbatur, lucemque et quae in luce sunt, extimescit, obscuro loco continere praestat; ubi contrarium obtinet, lucido. Bonum autem, insaniam ad lucem placari. Cavendum a jejunio protracto. Cibi vero humidiores sint, paucioresque sed crebro ingesti; nam animum hi demulcent; exhibeantur autem, quando remittitur et febris et delirium. In primis vero circumspiciendum est, sanguis nec ne mittendus sit. Ubi primaria est phrenitis et statim febri congenita, vena in brachio die primo aut secundo secanda; quodsi die tertio demum aut quarto illa accedit, usque ad primum circuitum criticorum dierum venae sectio differenda est. Quando vero ultra conveniens tempus, ut die sexto vel septimo supervenit, a venae sectione abstinendum. Multo enim ante crises in acutis morbis evacuandum est, aut purgandum, aut aliis irritamentis utendum. Verum etiam si in principio morbi vena secetur, neutiquam multum sanguinis detrahatur, quum in syncopen facilis morbi sit conversio. Distinguendum praeterea, an quis juvenis sit, et plethora praecesserit ac diaeta lauta, vinosa; tunc praeter phrenitidem sanguinis larga missio necessaria fuisset, longe minus autem auferendum, quando iidem phrenitici evaserint. Attamen audacius vena aperiri poterit, ubi in hypochondriis, non in capite fomes mali est, ibi enim vitalis humoris principium et fons existit; caput vero, in quo nervorum et sensuum origo est, sanguinem potius a corde trahit, quam aliis distribuit. Quare, si in cerebro primarius morbi focus est, venae sectio nocet. Quodsi vires patiuntur, ut, quantum sanguinis satis est, evacuetur, semel et in remissione quidem auferatur, ne, dum repetendo tempus teritur, cibi exhibendi opportunitas elabatur; namque remissiones breves sunt et latentes, et si ante mediocrem et justum detractionis modum aeger animo delinquit, ad secundam remissionem illa differenda est, nisi tardius ventura sit;

tunc enim protinus mittendum. Copia sanguinis detrahendi ex virium modo decernetur.

Victus, ut omnibus febricitantibus humidus prodest, sic phreniticis, ut quibus tanta habitus siccitas est, praecipue conducit. Mulsam noster biliosis praesertim commendat [38]). Praeterea sorbitio blanda, anetho, satureja et simil., leniter condita, quae bonam spirationem conciliant, sputis promotis, et urinam cient, cujus excretio hic proficua est. Olera omnia blanda, ut malva, beta, coronopus, prae ceteris cremor ptisanae primis diebus tenuissimus, serius paulatim spissior conducit; circa criseos autem tempora et paulo ante cibus subtrahatur. At ubi morbus protrahitur, cibi neutiquam attenuandi, sed triticea exhibenda, ut sufficiat aeger; et carnes avicularum, piscium saxatilium etc. Prohibeantur fructus vinosae indolis, vel cum vino praeparati, quia caput et mentem percutiunt, saltem ante haustum cum mulsa percocti sint. Veruntamen quando virium instaurandarum necessitas est, vinosa illa facultas in elixis non adeo dissolvenda erit.

Caput autem in hoc affectu utiliter irrigabitur, refrigerandi causa, unguento oleoso, ubi vigiliae et mentis emotio aegrum fatigant, totidemque rosacei in principio mali admisceatur; tanto plus vero, quo magis roborandum et refrigerandum caput videatur. Delirantibus conducunt discutiendi gratia serpyllum oleis incoctum, aut peucedanum et spondylium similiter paratum, cum aceti pauxillo superhabita; cavere autem hic convenit, ne in cervicem et tendines madefactio descendat, hisce enim et nervis inimica est. Ejusmodi irrigatio semper opportuna est, praeterquam exacerbationis initio, rarius quidem in incremento, frequentissime vero in fastigio mali,

---

38) Obstat Hippocrates in l. de victu acut. (cf. supr. §. 42.). Forsan corruptus hic locus apud Aretaeum est, ut judicat Petitus.

ubi maxime insaniunt; tum frigido potissimum humore utendum; multoque magis refrigerato, aestatis tempore, hieme vero tepido. Mitigatur etiam delirium posca, aut conyzae decocto, unguento crocino et simil., quibuscum spongia, nares, aures, facies foveantur, unde et somnus allicitur. Ad quietem porro conciliandam, praeter rosaceum etc. supra dicta, praecipue somniferum habetur papaver oleo incoctum et sincipiti applicatum, vel integra herba recens lecta, cervicalibus subjecta. Ubi valentioribus auxiliis opus, opio ipso cum aqua frons inungenda, pedes contrectentur suaviter cum oleo, quin etiam caput ipsum similiter demulceatur. Ceteroquin pro sua cuique consuetudine varia somnum accersunt, nautis succussio lenis, ut in cymba, littorum sonus, undarum murmur navisque odor; musico tibiarum cantus quietem conciliat, aut citharae, aut vocis humanae modus; atque ita aliis alia animum exagitatum componunt.

Quando in hypochondriis ac ventre inflammatio et durities subest, vel inflatio; cataplasmata et fomentationes ex seminibus farinosis, oleosis cum melle subactis, qua parte sedes morbi est, imponantur. In inflammatione quidem oleum blandum in alvum injiciatur; ubi flatus simul adsunt: anethum aut conyza, semina apii et cucumini et nitrum, ad urinam simul promovendam. In hepatis vitio dolorifico eadem emollientia et resolventia cum lana ovina applicentur, lieni autem laboranti oleum cum aceto, vel posca cum spongia molli adhibeatur, quibus mirum in modum lienis pathema mitescit. Alvus vero assidue irritanda est glandulis vel illitionibus, quippe facile siccescens, ut a capite humores detrahantur, pectus liberetur, et alvus ipsa rite excernat. Quodsi multis diebus venter clausus fuerit, mulsa, oleo et nitro subluere opus est. Ubi phlegmones suspicio nondum disjecta est, cucurbitula scarificata una vel altera loco laboranti infigatur, prout inflammationis vehementia indicaverit, vel virium ratio permi-

serit. Sed si his ex adminiculis delirium nihil remittit, tondeatur caput; si longissimi crines: primum dimidii; si breviores: ad cutem. Postea viribus prius refectis, cucurbitula vertici affigenda est, sanguisque hauriendus; antea vero cucurbitula sicca interscapulo adhibeatur. Insuper et thoracis visceribus ARETAEUS consulebat, praesertim ubi causam phrenitidis vel alimentum morbi continerent, humectantibus scilicet, refrigerantibus, emollientibus. Appetitus defectum absinthio emendare studebat, diversimode usurpato. In ardore vero ventriculi, et siti ab acribus biliosis et salsis humoribus provocato, lac plurimum aquae admixtum in cibis exhibebat. — At ubi causus hominem torquet, et sitis et anxietas et delirium furiosum et frigidae desiderium, propinanda quidem frigida est, sed non tantae copiae, quanta in ardente febre absque phrenitide nata permittitur. In illis enim timendum nervis est, itaque danda illa, quanta copia ventriculum juvare possit; pauca vero sufficit; nam parum bibunt phrenitici. — Quando in syncopam incidunt, viribus evanescentibus, tunc cura delirii supersedetur, et vitalis facultas vino, ut unico et praesentissimo praesidio sustentanda est; in deplorato enim statu hoc auxilium, si quid fieri potest, omnem paginam absolvit, ac propterea non sine facundia ab auctore nostro justis laudibus celebratur. Denique si diutius morbus protrahitur, et febris ignava est, et delirium in fatuitatem convertitur, neque vero in hypochondriis sed in capite praecipua morbi causa est; audacter lavare oportet, aut saepius caput perfundere. Sic habitus sanabitur, caput liberabitur, ipsumque et totum corpus bene perspirabit. Ita etiam siccitas emendabitur, obnubilatio sensuum discutietur; mentis autem constantia redibit et vigebit confirmata. Hisce praeceptis noster curam phrenitidis circumscribit.

§. 60.

Cum iis vero lethargi cura [39]) communia multa habet; multa sane contraria illis. Scilicet qui hoc pathemate affecti decumbunt, in luce et ad solis radios collocentur, et loco magis calido, propter segnitiem et torporem; cubili agitabili. In his potius irritamentorum varietas admittatur; picturae parietum, stragula, vestes coloratae, multus sermo, contrectatio pedum, vellicatio pilorum, membrorum. Si altus sopor obtinet, vociferandum est; iracunde aeger increpandus et animus vario modo commovendus. Quod ad evacuationes adtinet, si alii morbo, ut phrenitidi, successit sopor, vena non secanda, neque aliunde sanguinis multum educatur; sed clysmate alvus subluatur, non solum purgandi, sed etiam a capite revellendi gratia, quare multum salis et nitri ingrediatur; optime etiam castoreum adjicitur. Torpet enim lethargicis intestinum inferius, neque prompte excernit. Quod si non per successionem, sed suopte ingenio lethargus invadit, et sanguine plenus aeger videtur, vena brachii secanda; si vero humoribus pituitosis, lymphaticis etc., purgandus est, medicamento (veratro nigro) mulsa vel cremore ptisanae temperato, modo efficaciore, modo mitiore; confecta autem purgatione cibus, si opportunum est, exhibeatur. Inedia enim nocet; nocet vero etiam cibi multitudo; quare tenui victu uti singulis diebus oportet, neque subito ac penitus subtrahi cibus debet. Sit autem is attenuans et alvum leniens, in jusculis magis quam leguminibus; carnes avicularum. Multum laudatur herbae mercurialis usus cum aceto et cremore ptisanae. Respirationem vero juvant et urinam cient foeniculum, apium, olera vel eorum semina. Prodest et porrum, acrimonia sua, aliaque medicamina flatus digerentia, urinam cientia; vesica enim et venter per totum morbum irritant. Capitis vero irrigationes fiant

39) Cur. acut. I, 2.

ejusmodi, quales in phrenitide curanda, rosa, hedera, serpyllo, cum aceto etc. Si nervi laborant, tremor adest et convulsiones minatur, si corpus simul, maxime vero extrema frigent, caput et cervix castoreo cum oleo anethino inungantur, vel sicyonio (calefaciente), vel aliis oleis medicatis; nec non spina vertebrarum, humeri ad manus, ac pedes ad inguina usque illinantur. Vesicae status ac urinae ratio neutiquam negligenda. Ubi inflammatio, tumor, tensio vel retractio hypochondriorum est, fomentationes et cataplasmata eadem conducunt, quae in phrenitide ad hanc passionem adhibebantur. A cucurbitulae usu abstinendum, quoties a phrenitide lethargus est; audacius vero admittere licet, si ab initio morbus urgebat; necessaria etiam cucurbita est, si lingua atra, et tumor in hypochondriis apparet. Serius vertici etiam applicetur, quandoquidem haec evacuatio sine ulla virium noxa fieri potest; itaque sursum et deorsum id quod torporem et ignaviam efficit (flatus et vapor in cerebro), diducatur. Digerere noster eandem causam studet infricando rutam cum melle, terebinthina et nitro contritam; eandem praeterea discutiendi virtutem habent motus et vigilia, cutis perspiratione aucta. Juvant etiam ante cibos propinata hyssopus mulsa coctus, dictamnus creticus, origanum, ut acria. Ubi manus contremiscunt et caput, castorei drachma dimidia cum mulsa subacta per plures dies hauriendа est. Quod si bibi non potest, cum oleo rutae cocto subacta duplex copia clystere injiciatur, per plures dies repetendo; quod adminiculum, praeter revulsivam et evacuantem facultatem, totum corpus pertransiens nervos roborat, morborumque constitutiones convertit; conducit etiam capiti, naribus inspiratum praecipue temperatum, ac melius quidem quam alia sternutatoria, e. g. piper, veratrum, euphorbium, quae ad attractum immitia sunt et cerebri facultates perturbant. Acribus autem et irritantibus pharmacis pedes et genua utiliter perfricantur ad calorem ex-

citandum et vigiliam; urtica verberentur: commendatur in hunc finem et unguentum, cui euphorbium inest, scillae crudae laminae, sinapi; oleosum vero omne sedulo abstergendum est, nam cutis proritatus rubor intempestive inde dispellitur. Sed cataplasmata ejusmodi rubefacientia frequenter detrahenda sunt, ne pustulis ac vulneribus provocatis periculum inducant. Hisce igitur auxiliis torpor ille fatalis discutiatur, idque quolibet morbi tempore, praeter exacerbationum invasiones. Ex quo vero sensum aeger recuperavit, pondus tamen adhuc aliquod in capite sentit, sonumque vel bombum auribus obstrepentem; etiam per os elicienda pituita est mastucatoriis, mastiche, seminibus staphidis agriae, granis cnidiis, praecipue sinapi, quae non solum pituitam educit, sed deglutita, quae in ventriculo continentur, dissolvit. Caput vero postquam ad cutem detonsum fuit, nisi sic transpiratio ejus magnopere jam proficit, radendum est. Quin etiam cataplasmate ex acribus rubefaciente caput per horam commode tractabitur, deinceps spongiis calidis fovendum. Non inutile denique erit balneum, omnibus jam aut certe plurimis et praecipuis ad morbum dispellendum adhibitis, adhuc tamen torpente corpore; tunc gestatio etiam proderit, et frictio et quaelibet lenis corporis agitatio.

Quomodo syncopen, debilitatem in febre typhode extremam, saepe subitaneam, mortisque praenuntiam noster curaverit: partim, quantum maxime necessarium visum est, supra jam memorabatur, partim legitur apud auct. in l. d. Curat. m. acutor. II. c. 3. Bene distinguitur vitae strangulatio atque facultatis naturalis, a multitudine sanguinis in majoribus vasis accumulati, suppressio *), vel etiam quae ab inflammatione in hypochondriis resolutio universalis per consortium proficiscitur, a vero defectu virium et toni vitalis, nato ex morbo prae-

*) *Ἀπόληψις φλεβῶν.* Hipp.

gresso, dolore, inedia, humorum dispendio. Illi aegritudini venae sectiones minutae, huic vinum, cibus reficiens et alia analeptica, externa etiam multa, conveniunt. Non pauca et in hac cura locum habent, quae phreniticis utilia esse dicebantur. Ceteroquin etiam hic praxis Aretaei non exiguam admirationem meretur.

CAELIUS AURELIANUS SICCENSIS.

§. 61.

Incertae aetatis auctorem cum Aretaeo praesertim componere malebam, quem proxime accedere mihi videretur tum morborum diligenti et ad vivum expressa descriptione, tum exquisita adminiculorum curationis, circumspecta et bene distinguente excogitatione: utut in reliquis virtutibus, sed quae huc non attineant, e. g. scribendi genere et morbos exponendi usu, ambo inter se dissideant. Medicinam, ut vulgo constat, methodicam Caelius colebat, Sorano, principi illius sectae medico plurimum addictus, eumque, ut ipse confitetur, latine, si sermonis durities et soloecismus Latii veteris veniam habent, interpretatus. Ratio vero illa medendi utebatur methodo κοινώτητας morborum reperiendi, i. e. conditiones multis communes, quae quidem simul per se in oculos incurrerent; namque interiorem morbi naturam et ratiocinia de causis ac locis affectis fere negligebant, difficiliora haec rati humanaeque sagacitati recondita; ob eamque causam in generalibus adminiculis potissimum acquiescebant, specificis remediis omnino explosis. Plerosque morbos in duas classes disponebant, quarum altera stricti (στεγνοῦ), altera laxi (ῥυώδους), s. solutionis notam haberet. Secundum hanc normam adminicula etiam medica distribuentes, pro singulorum virtute, partem efficacia esse putabant, ut stringentia, partem ut solventia, ita quidem, ut morbi naturae peculiari

contrariam medicamenti facultatem opponerent. Praecipua cum diligentia circa regimen et victum aegroti versabantur, initiumque medelae facere solebant cubiculi convenientis procuratione. Primis morbi diebus plerumque abstinentiam, frictiones et similia imperabant, a valentioribus remediis tunc maxime caventes, nisi admodum urgeret morbus; interim concoctionem crudarum partium expectabant quadantenus proficientem. Opprobrio quidem hoc toti sectae versum est, quod securitati impensius studens efficaciorem, generosam medicinam adhibere ausa non esset.

Si quis ceteroquin hanc medicinam, quae ex fonte suo et principi fundamento neutiquam contemnenda est, et generalis alicujus therapiae prima quasi initia recondit, accuratius cognoscere cupiat, quam ad propositum nostrum necessarium videretur, adeat, praeter recentiores aliquot comparativos tractatus, magis cognitos, Werlhofii vetustiorem, nunc minus lectam commentationem [40]).

§. 62.

Morbum nostrum apud Caelium facile recognoscimus in phrenitide et lethargo descriptis, idque tanto certius, quo magis illae morbi enarrationes ceteris, quae superstites in veterum operibus leguntur, praecellant ad naturam expressa et perspicua signorum collectione. Quam ob causam quum omnino exacte compositam aliquam elaboratam, et non nihil absolutam morbi imaginem ex scriptis singulorum, de quibus hactenus retuli-

40) Diss. de medicina sectae methodicae veteris, ejusque usu et abusu. Helmstad. 1723. 4. Werlhof. Opp. med. cur. Wichmann. Hannov. 1775. P. I. p. 1—36. — Vernacula lingua reddidit Heckerus in: *Archiv für die allgemeine Therapie.* 1790. Vol. I. p. 175.

mus auctorum, depromere nondum contigerit, Caelii descriptio nobis sit instar omnium.

Phrenitis Caelio significat celerem mentis alienationem, febre junctam acuta, cum pulsu parvo ac celeri et manuum vano errore, ac si quid, velut floccos et festucas, aegri digitis attrectarent [41]). Imminens malum certis ac propriis indiciis neutiquam praesagitur; quibus enim haec virtus tribuitur, vel alios etiam et diversos morbos symptomata praecedunt, nec necessario phrenitidem annuntiant, vel jam praesentem, sed tacite adhuc gliscentem morbum, neque vero futurum, testantur [42]). Observantur in hunc modum febris acuta, quasi difficulter ad corporis superficiem ascendens [43]); pulsus scilicet obscurus, creber; facies turgidula, sanguis per nares destillans, vigiliae continuae aut somnus inquietus et insania turbulenta; mentis solicitudo, animique abjectio, interdum vero hilaritas, absque manifesta ratione superveniens, jactatio et incontinentia sui, cum assidua capitis inversione, oculorum rubor cum levi lacrimatione, manuum agitatio sine ullo capitis dolore, artuum frigus absque febrili horrore, urinae abundantia flavae, aqueae, tenuis et paulatim missae. Nonnullos invadunt sonitus capitis auriumque tinnitus, dolor capitis continuus, praecordiorum tensio praeter rationem existens, obtutus fixus vel nictitatio frequens.

Causas Caelius [44]) ex quibusdam medicis, Asclepiadis sectatoribus, refert: constitutionem aëris, cum aestu insolito; tempestatem morbo nascituro faventem dicit aestatis finem vel auctumnum; praeterea vinolentiam accusat, vigilias et ardorem solis vel balneorum. — Qui narcotica venena hauserunt, similiter laborant, nisi quod pulsum rarum exhibeant [45]). — Proclives porro

41) Cf. Praefat. s. fin. 42) D. acut. I, 1.

43) Ibid. c. 2.; delitescens, intus retenta aliis dicitur, ὑποτυφόμενος Galeni.

44) L. c. 45) Ibid. c. 4.

in phrenitidem sunt, qui mente degunt mobiles atque iracundi, vel literarum studiosi, aut capite debilitato, affectus morbosos facile admittente, vel qui, quoties aegritudine afficiuntur, proni statim incidunt in mentis alienationem; aetas juvenilis. Monet autem, ut omnia hic circumspiciantur, neque uno vel duobus, sed multis ex concurrentibus signis mali ingenium compertum habeatur ac decretum, quia singula quaevis multis passionibus sint communia.

§. 63.

Agnoscitur ergo phrenitis jam enata ex concursu signorum, ut modo indicatum; sed magnitudo ac varietas mali plurimis atque diversis indiciis innuitur. Etenim febres [46]) modo continuae adsunt, modo semitertianae, vel inaequales et obscurae, quasi intus retentae; mentis perturbatio intra triduum primum, vel post idem, eaque vel continua, vel intermittens, cum risu tacito, aut cum cachinno et cantilena, vel certe moestitia, silentio, vel murmure, aut vociferatione, aut levi secum mursitatione, vel excandescentia furibunda, contra omnes ferociente et indomita; clamores tunc et sui percussiones, vestium suarum et alienarum laceratio; aut metu aeger sese abscondere quaerit, aut lacrimatur, nec respondet ad interrogata, sed loquitur tamquam cum visis, adeoque cum mortuis. Neque potum postulat, neque cibum, aut porrectum cum vehementia arripit, et non mastucatum transvorat; aut manducat solum, neque deglutit, sed in ore continet post paululumque rejicit. Lucem quoque aut tenebras aeger fugit, jugiter vigilans, aut pauxillum et cum turbis obdormiens; oculi sanguinolenti, cum obtutu fixo, palpebris immotis aut multum et continuo mobilibus; aliquando etiam manus ante ocu-

46) C. 3.

los portendit, quasi aliquid apprehensurus, vel detracturus, quod aut oculis inhaerere aut ante eos volare ipsi videatur. Facies quibusdam collapsa ac distorta; genarum rubor perstans, aut per intervalla in pallorem mutatus; capitis siccitas, quae statim ebibat fomenti liquorem; dentium stridor; guttae sanguinis pauxillae per nares destillantes; capitis incontinentia, cum aurium intentione, quasi exaudiat aliquid; situs corporis invere-cundus, pedes continuo ex alto demissi, virium vani ac frustranei conatus; articulorum torpor; arreptio et contrectatio cooperimentorum, a pedibus ad superiora. Alvi fluxus; urinae aqueae vel biliosae cum nubeculis mali ominis. Posthac facies quibusdam mortui similis, aliis cum collo tumidula; manuum tremor, pulsus celerrimus, obscurus ac tremulus et debilis, quandoque deficiens, et in similitudinem oleo destituti luminis marcescens; hypochondriorum vehemens tensio ac superiora versus retractio; singultus, linguae difficilis motio ac loquela impedita, quae intelligi non possit. Exinde quibusdam accedit animae defectus ac virium dissolutio (diaphoresis, Cael.), nonnullis spasmus aut sopor, qui ceteris consentientibus in lethargum mali conversionem denuntiat, cum pulsibus celeribus, crebris et parvis, interdum in fallacem magnitudinem erectis, sed aegro incongruis et inanibus.

Perniciosius sane ii laborant, qui plurima ex his et varia eaque sine remissione patiuntur; deterius, qui post tertium morbi diem phrenitide tentantur, quam qui ante hoc tempus. Etenim viribus jam ante attenuatis graviter ac indigne feruntur auxilia medica; imo et ipsa venae sectio, ob debilitatas vires potissimum, prohibetur. Lethaliter decumbere auctori videntur, qui asperrimi et audaces fuerant, nec non qui subridere videntur et stridore dentium ac singultu afficiuntur et spasmo. Gravis etiam est color mutabilis, tremor, stertor, aut omnium rerum fastidium. Majus periculum juvenibus intenditur,

quam natu majoribus, viris majus, quam feminis, robustioribus; quam tenuibus, praeterea iis, qui natura quidem tristes, in morbo cum risu delirant, aut rursus, qui hilares antehac et jocosi, cum iracundia et moestitia aegrotant. Illud enim semper in morbo deterius habet, quod a natura plurimum recedit. —

Quomodo ab aliis affectibus ceteroquin haud absimilibus Caelius phrenitidem dignoverit passim satis ingeniose et subtiliter, id apud ipsum auctorem relegatur [47]).

§. 64.

Decumbere [48]) phreniticos oportet loco interiori, recondito (ne transeuntium strepitu offendantur), per fenestras altiores lucido, tepido simul et amplo, quibus omnibus cubiculi virtutibus impugnetur, quae causa methodicis subesse existimabatur, strictura. Calor enim immodicus febrem auget et impetum versus caput, frigidus autem constringit, itaque morbi causam sustentat. Sunt, quos obscuritas juvet mediocris et aër frigidiusculus, quare aegrorum desiderio nonnihil concedendum. Absint tabulae pictae, colorum splendor ac varietas, absit etiam frequentia hominum. Stratis mollibus incumbat, lecto firmo, qui jactationibus non commoveatur neque vinctione aegri forte necessaria, aversus a fenestra et a foribus, ne hominum introitu proritetur. Neque deliriorum frequente correctione ministri aegrum exasperent; assentiantur cum prudentia, prohibeant etiam, quos invisos ille in sanitate habuerit, admittant autem, quos reverentia prosequi consueverit, neque eos nisi subinde, nam frequentia contemtum parit. Prosiliens de lecto, quantum fieri potest, leniter retineatur, vel si ministri desunt, vel ab aegro male feruntur, vinculis coërceatur mollioribus, mediocriter constrictis. — Lingua sicca sae-

47) Ibid, c. 4. 5. 6.

48) Ibid. c. 9.

pius humectanda est, os colluendum spongiis aqua calida infusis. Remittente autem morbo caput et regionem abdominis inferiorem lana cum oleo calido fovere conducit, vel similibus emollientibus, inodoris, neque irritantibus. Eodem tempore potus largus concedi potest.

Ubi simplex morbus est ac vehemens, consentientibus viribus, vena secari debet [49]), idque ubi plurimum urget casus, intra triduum primum, serius nunquam, quandoquidem vires citius collabefiunt; neque ad deliquium animi usque mittatur, quod summopere metuendum. Dehinc caput similiter fovendum ac prius, nec non coxae, hypochondria et pubis regio, ut quae partes cerebri pathemati necessario compatiuntur. Simul os colluatur aqua calida, potus porrigatur et somnus concedatur. Cibus simplex sit, parvus, concoctu facilis, leniens, ut alica, calida aqua, aut mulsa cocta, sorbitiones ex pane vel melle, oleo et anetho, sale paucissimo paratae. Ubi alvi laxitas concurrit, pultem dabat Caelius, et panem et ova mollia. Post cibum aeger ad somnum se componat. Sequente autem die a cibo abstineat, fomento et potu usus. Posthac clysma, si alvus non respondet, injiciendum ex aqua et oleo calido, vel cum decoctionibus emollientibus, partim ad ventrem lubricandum, partim ad caput liberandum; cataplasma mediis partibus emolliens superhabendum. Serius a die quinto ad septimum caput noster tondebat, ut perspirationem juvaret, lanisque oleo calido expressis fovebat. Mox a die VII ad IX [50]) cucurbitam occipiti adponebat, atque sub fronte hirudines admittebat quatuor vel quinque, ut multifariam sanguis diduceretur; vel totum caput, ubi magno remedio opus, radebat, et in circulum positas plurimas cucurbitulas, nec tamen diu, infigebat, quibus detractis, rubefactas partes leniter scarificabat, non erubentes vaporibus spongiarum fovebat. At si in

49) Ibid. c. 10. 50) Ibid. c. 11.

hypochondriis et vesicae regione tumor exortus, noster has ipsas partes prius scarificabat, serius post unum alterumve diem caput et vertebras aliasque partes. Sic quidem totidem sanguinis detrahitur, quantum per venam sectam, nec tamen perinde vires exhauriuntur. Jam cataplasmata denuo partibus variis applicanda, dein perunctio fiat, et ab hac cibus porrigatur. Qui forte incongrua appetierint, decipi possunt; vinum plane denegandum. Post cibum somnus denuo reficiat. Sic alternis diebus cibo, et interjectis cataplasmate utendum. Verum si protrahitur morbus, jamque declinat, gestatio caute adhibeatur, si vires ferunt, vel suspensio lecti, ac lenis et continua motio. Continuanda cataplasmata, fomenta et vaporationes; ubi dolor in aliqua parte, etiam scarificationes. Sed ubi vires aegri fuerint exhaustae, et febris neutiquam acris, cibo, ubi necessarium visum fuerit, vini paulum et cum magna cautione addatur; neque imponere hic medico debet pulsuum sola obscuritas et frequentia, ne forte praepostere concesso vino insuperabilem mentis perturbationem facessat; quare plura antea debilitatis signa circumspectet. Et ubi vires satis adhucdum constant, et morbus decrescit, non illico festinandum est circa mutationem curationis, nisi triduum declinationem confirmaverit. Facile enim recrudescit malum, idque in pejus, etiamsi exigua accesserit causa. Nunc etiam varietas cibi et major copia concedatur, nec tamen superfluum aliquid, etiam gestatio sensim augeatur, et frictio corporis ac balneum accedant. A vino convalescens adhucdum abstineat, donec secura omnia sint. Animi superstes aliqua alienatio prudenti allocutione diversimode removetur.

---

§. 65.

Phrenitidem haud raro lethargus excipit, qui morbus, utpote circa speciem illi contrarius sed gravior

Caelio dicitur: sensuum hebetudo et sopor cum febre acuta, sive continua, sive intermittente et pulsu magno, tardo, inani et inflato. Uberior affectus descriptio, ex eodem auctore depromta, alio loco communicata est (p. 52 ss.) [51]). Rarius lethargus nascitur in morbi initio, frequentius in fastigio et declinatione. Eo laborantes [52]) oportet cubare loco lucido ac mediocriter calido, in accessione per intervalla leviter excitari, vel nominis acclamatione, vitatisque asperioribus irritamentis. Potest etiam frictio blanda articulorum in hunc usum adhiberi. In exacerbatione symptomatum caput fovendum est oleo dulci, calido; mollibus lanis collum tegendum. Lectus subinde mutetur, ac decedente impetu os colluatur, superato vero eodem, potus suppeditetur. In febre continua hypochondria ac praecordia fovenda, atque dorsum lanis mollibus circumtegendum. Ubi magnitudo mali exigere videtur, venae sectio fiat intra primos tres dies; deinde sola fomentatione aeger utatur, os colluat et aquam vel mulsam bibat, mox sorbitionem capiat, atque ad cibum assumendum subinde admoneatur. Post cibum vero aliquanto artuum frictio instituatur, praecipue ubi frigidi sint. Sic etiam reliqua adminicula usurpentur: clysma, capillorum resectio, cucurbitulae, hirudines, cataplasmata etc., fere ut in phrenitide. At si sopor perseveret etiam per remissionem, et propterea cibi dandi difficultas oboriatur; oportet aegrum excitari, donec sentiat; tunc, priusquam rursus consopiatur, sorbitio aliqua faucibus ingerenda, et manu mento relaxato admota juvanda est deglutitio. Dein in declinatione, ut phreniticis, varietas cibi adponenda, et lavacrum utiliter comparabitur; vini etiam potus, pro tempore remotus, serius concedatur. — Et haec quidem utriusque typhodis affectus curatio solemnis erat cum nostro tum ceteris sectae medicis.

51) Acut. L. II. c. 2. 3. 52) Ibid c. 6.

CLAUDIUS GALENUS PERGAMENUS.

§. 66.

Si circa curationem morbi nostri methodicam, quam Sorani auspiciis Caelius expositam nobis reliquit, animi quadam intentione opus erat, ut secernerentur, quae scholae placitis et usu ad sinceram naturae observationem admixta essent; major etiam enascitur difficultas, ubi in Galeni medicina experientiam puram, nudam a ratiociniorum praetextu eruere velimus. Nihilominus, quum negari non possit, in utraque medendi methodo, utut sibi invicem adversante, multum inesse commune et utile et constans, quodque ad genuinam experientiam et perennem medicinam conservari mereatur; optimo jure in hunc coetum praestantissimorum virorum, a quibus vere adjuta ars sit, utrumque auctorem admitti arbitrabamur, exclusis alioquin speculationum captatoribus, arbitraria ponentibus artique faciendae obtrudentibus. In curatione morborum Galenus Hippocratis vestigiis quam plurimum institit, ejusque medicinam tunc temporis fere neglectam restituere sibi visus est; eo vero discrimine, ut, certe in scriptis editis, non tantopere ad naturae indicia artem dirigeret, quam ratiociniis morbos adaptare, iisdemque medelam exornare et illustrare conaretur. Verumtamen ne quis existimet, stabili fundamento propterea caruisse medicinam Galeni, ipsumque doctrina quidem et ingenio, neutiquam vero arte exercenda valuisse, quod in tali casu quotidie fieri observamus; ex operibus enim suis, praesertim historiis casuum et exemplis insertis, separata etiam magniloquentia familiari et propriae laudis arrogantia, abunde noster cognoscitur tamquam observator quam maxime probabilis, exitus divinator acutissimus, quin ad admirationem saepe veracissimus, versatissimus, et aegrorum curator simplex, circumspectus, doctus, ingeniosus. Atque etiamsi ingens librorum apparatus expositionibus

scateat subtilibus, fictitiis et argutis speculationibus ac distinctionibus, quo temperamentum ingeniumque auctorem perducebant; ad lectulos ipsos aegrotorum, dimissa theorematum pompa, naturam sinceram ante oculos habuit ingeniique acie assecutus est, et illi, non argumentationibus, curae rationem superstruebat, quam deinceps describendam cum systematicis meditationibus conciliare et explanare satagebat. Atque his ipsis conjectitiis expositionibus passim tantum reperiebatur probabilitatis adjunctum, tanta cum natura apparente concordia, ut non solum iis usu venerint, quamvis hisce eo strictiore, qui imitatione Galeni addictissima seculum suum infamarunt medii aevi scriptores; sed ut recentioribus etiam temporibus, quibus clarior medicinae lux affulsit, principes medici, ut Boerhaavius, Swietenius, Stollius et multi alii non spreverint morbosarum mutationum in corpore nostro, earumque sanationis rationem, quatenus sensuum acumine cognosci non possit, ad hanc maxime normam sibi proponere; adeoque eorum, qui nunc scribebant, optimi multi vel mutatis verbis eandem duntaxat cogitationis methodum sequuntur et commodam ducunt in medicina tum facienda tum illustranda, quasi ex naturae commentariis felici lectione exscriptam. Quapropter quum posteriorum tot auctorum huc respiciant medicationes, quantumvis per experientiam comprobatae, et ex Galeni doctrina et conjectationibus commodos habeant rerum gestarum explicatus; utique et ipsas, qua parte maxime ad artem conducant, et necessariae ad hunc finem fuerint, sincerae huic observationis supellectili passim intertexere ab instituto nostro alienum non putabamus. Excogitasse enim haec Galenus videtur, velut ornatum et honorem praxeos et commentarios medicinae factae, non tamquam leges, ad quas illa in exercendo debeat adstringi, vel quibus ipse conductus curam instituerit: at vero ut verbosus idem est, nec ubique sententiarum rite sibi constans, perperam

et diversimode a sectatorum caeca turba est intellectus. In verbis enim dum addictissimi illi haerebant, ingenii minime capaces, ac de placitis singulis et peculiaribus disputabant, mentem auctoris ampliorem et reconditam penitius non perspicientes, ut vulgo fieri in quavis servili imitatione videmus, natura ipsa plurimum posthabita, accidit, ut, in ista literarum et artium obnubilato et calamitoso torpore, toti essent in speculationibus et controversiis inanibus, neque auderent, ultra Galeni auctoritatem sapere. Culpa vero longi hujus servitii literarii, unius viri praepotenti ingenio adscribenda non est, nam sua quodvis seculum ingenia profert, sed aevi constitutioni pluribus de causis, quas repetere locus hic non datur, infaustae. Quae bona in Galeno existerent, illa aetas proprie non percipiebat, neque nunc adeo a permultis idem recte aestimari videtur, quum non nisi paucis legatur, et virtutes ipsius ac merita a scriptoribus magnae auctoritatis, tum prioris tum recentioris temporis, paulo iniquius sint tractata.

---

§. 67.

Ad febrem typhodem nobis dictam (qualem Galenus hac voce innuerit, supra vidimus, §. 23. 24.) quae referenda sint, multa apud nostrum occurrunt atque multis locis, quaquaversus dispersa; quam ob causam licet non levi data opera ac saepius repetita lectione facile poterat evenire, ut vel oculi aciem in tanto verborum apparatu, tantaque rerum confusione hic illic gravioris notae aliquid effugeret, vel animadversum memoria excideret. Quae vero servata nobis sint, circa hunc morbum memoratu digniora, hisce fere comprehenduntur.

Statum illum typhodem, vel nervosum, Galenus, similiter ac priores, partim phrenitidem, partim lethargum vocat, pro varietate speciei externae, uti alibi passim demonstrabatur; nec tamen strenue inter se utrum-

que malum discernit; ac modo ut affectus symptomaticos, febribus supervenientes [53]), modo ut morbos peculiares, sibique constantes videtur considerare. Praeterea distinguit typhomaniam, s. coma vigil, s. lethargophrenitidem [54]), in quo pathemate ambiguae naturae et speciei, mixta appareant phrenitidis ac lethargi symptomata, et quod alterutri malo, praesertim vero phrenitidi accedere soleat symptomatis vice. Observabat ceteroquin modo primariam mali utriusque genesin, modo secundariam, cui praecederent febres varii moris, et particulares laesiones (ut in paraphrenitide); nec non epidemicam constitutionem phreniticis affectionibus urgentem. De quibus singulis posthac dicetur.

Veram et primariam phrenitidem [55]) noster depingit in l. d. loc. aff. V. c. 4, ac distinguit ab alio quocunque delirio febribus familiari, quod ne in remissione quidem febris delirium quiescat, neque ex consensu, sed propria ac primaria laesione cerebrum laboret. Morbus paulatim enascitur, nec subito delirium accedit, ut in paraphrenitide, sed praecedunt saepe vigiliae, vel somnus manifestis phantasmatibus turbulentus, unde clamor nonnullis et surrectiones. Subinde cum mentis alienatione accedit oblivio, qualem Caelius lethargicis adscribit [56]); vel majore cum asperitate aut temeritate, quamvis congrua adhuc, aeger respondet, etiamsi antea fuerit modestus. Omnes exiguum quid, idque saepe interruptis vicibus, bibunt, nam respiratio laesa est, rara et magna, pulsus minores, rarissime magni, mediocriter tensi, duri ac nervosi, celerrimi ac frequentissimi, praeterea, sed raro, nonnihil undosi, interdum quasi tremuli, modo etiam spastice praecisi. Alias iidem insigniter reperiun-

---

53) Cf. Comm. in Hipp. Epid. III. s. 3. t. 75. (hist. IV.)

54) De q. v. §. 17. p. 45.

55) Cum his convenit, quam ideam morbi brevibus expressam habemus ap. Auct. definit. medic. (Gal.), s. v. phrenitidis.

56) Cf. supr. p. 53 s.

tur inaequales; adeoque tota arteria subinde deserta sede attolli videtur, potiusque cum vibratione ebulliens, quam more pulsus distenta [57]). Nonnunquam occipitis dolor. Proxime vero ad phrenitidem accedentibus oculi admodum sunt squalidi, aut ex altero ipsorum acris lacrima effunditur, ac dein lemae, et venulae oculorum sanguine turgent; sanguis ex naribus destillans. Quo tempore non amplius ut mente compotes respondent; floccos evellunt, festucas carpunt [58]). Febris cum universali siccitate incedit, secretionibus fere suppressis, neque magnas in alterutram partem, i. e. vel in mitius vel in majus, facit mutationes, quae alibi morborum impetus gravissimos, verum et remissiones habeat conspicuas. Lingua arida, aspera, interdum obauditio, vel moestitia, ad quaesita et acclamationes nulla vel tarda responsio, vel quum pars quaedam ullo modo laesa fuerit, vel vehementius contrectata, doloris nulla perceptio. Etenim multi reperiuntur phrenitici, qui neutiquam surgant, neque oculos quidem attollere queant, sed difficulter moti decumbant velut lethargici [59]). Alii vero facile exaudiunt vocem et sonum omnem, et si tetigeris partem corporis, mox oculos elevant, et ad tangentem prospiciunt. Sopore detenti vel manum movent, vel crus, vel universum corpus disjiciunt praeter rationem, ac repente et desipientes exiliunt, spasmi ad instar; simul loquuntur incongrua [60]). (Coma vigil s. typhomania.) Alii surgentes magis intelligunt, nec multum dein moventur, verum tunc magis desipiunt, quando comati permiseris [61]).

Sic a cerebro male habente paulatim phrenitis evadit. Ab aliorum vero partium aegritudine nulla perpe-

57) D. caus. puls. IV, 14; d. pulsib. ad tir. c. 12.

58) Galenus cum febre ardente decumbens haec signa in se ipse animadvertit, et monuisse refert adstantes, ut auxilio essent, ne in phrenitidem incideret. Curabatur irrigationibus capitis idoneis. D, loc. affect. L. IV. c. 2. et alib.

59) Cf. Hipp. Epid. III. s. 3. v. supr. §. 36. Gal. d. comat. c. 3.

60) Comm. in Hipp. Prorrh. I, 1. 1. 61) D. Comat. l. c.

tuum delirium conciliatur, excepto diaphragmate, cujus inflammatione mentis nata perturbatio parum sane a continuo distat [62]); verum nec oculorum symptomata, nec sanguinis stillicidium, nec respirationem habet magnam et raram, sed inaequalem potius, modoque exiguam et frequentem, modo magnam ac suspiriosam; nec denique antecedentia signa, qualia idiopathicae supra enarrabantur, vel certe exigua in hac phrenitidis specie apparent, quippe cui proprium habeatur hypochondriorum statim ab initio versus superiora retractio. In idiopathica phrenitide hoc indicium nonnisi serius accedit, malo jam adulto [63]). —

Quomodo lethargum noster observaverit, quamque ejus rationem reddiderit, quale praesagium habuerit, haec, quippe alibi tradita [64]), non est quod denuo referamus. Etiamsi definitione constituta Galenus phrenitidem a lethargo luculenter discreverit, in praxi facienda exactius et constanter utrumque malum inter sese minime disjungit, multifariam potius confundit; quemadmodum in natura ipsa, ex altera specie in alteram crebri habentur transitus et casus ambigui. Atque hic maxime in scriptis auctoris opus est, ut scholae distinctiones et placita a sincera naturae perceptione separentur.

---

§. 68.

Quos atrociore impetu phrenitide acutissima, ac statim a primo morbi die infestatos Galenus vidit, ii intra septimum diem, plerumque quarto vel quinto interimebantur, perpaucis illum superantibus; neque ad vigesimum talis morbus protrahebatur [65]). Alioquin species

---

62) *Φρενὲς* antiquitus diaphragma appellabatur vel inferior pars thoracis. Gal. l. c. et comm. in H. Progn. I, 28.

63) Loc. affect. V. c. 4. 64) Supr. §. 19. 20.

65) Comm. in Hipp. Epid. L. III. s. 3. t. 75. (hist. IV.)

varia malo erat et decursus varius, pro causa et indole laesionis diversa. Paulatim, finibus manifestis non interpositis, delirium, quod primitus nonnisi in exacerbatione febris animadvertebatur, in phrenitidem, ut continuam absque remissione desipientiam, increscit, mali sede tum in cerebro fixa. Delirium simplex, non phreniticum, a levi et cito transeunti causa fieri Galenus conjectabat, quasi in summa febris exacerbatione vapor irritans ad cerebrum ascenderet; in phrenitide autem graviorem laesionem subesse suspicabatur, ac pro varietate febris modo humores sibi fingebat calidiores, acriores, cerebrum ejusque membranas ad intemperiem, interdum adeo ad inflammationem usque lacessentes, velut in febre ardente, inflammatoria, biliosa; modo minus quidem calidos et exaestuantes, sed spissiores, viribusque naturae difficilius subactos, ob eamque causam immaniores (atrabilares), quales in manifesta morbi malignitate, passim in febribus specie quidem mitibus, sed re ipsa multum atrocibus, ac cito perimentibus latere perhiberet [66]).

Passim occurrebant, in quibus signa apparentia nequaquam permitterent de humorum ad cerebrum impetu cogitare, quo suppressa hujus instrumenti facultas haberi posset; verum ex praecedentis febris natura ac symptomatum praesentium complexu, mera infirmitas virium, maxime cerebri, prodebatur, qualis subinde in morituris. Hanc veram debilitatem, exhaustis viribus natam, a spuria illa, praefocatis quasi facultatibus oriunda, rite distinguebat Galenus. Tales aegros ob solam, ac per se existentem, cerebri frigiditatem stupore cum vigiliis et reliquis dictis symptomatibus detineri dicit, eumque affectum ex pulsibus praecipue agnovit languidissimis, tardis, raris et parvis. Tali modo phrenitidi acu-

66) D. caus. sympt. L. II. c. 7. D. caus. puls. L. II. c. 7. Comm. in H. Epid. VI, 1, 29.

tae, inflammatoriae, ab humoribus congestis provocatae, lethargi species saepe subnascitur, cerebro per diuturnam febrem et irritationem debilitato et quasi refrigerato; febre ipsa jam languescente [67]); conversionemque eam noster omnino deploratam et insanabilem habebat [68]). Idem est morbus, quem Celsus, Aretaeus, Caelius lethargum vocabant phrenitidi succedaneum, a syncope eorundem auctorum potissimum mentis superstite laesione diversus. Et ipse Galenus, alio loco [69]), phrenitidem memorat exitiali modo in syncopen hanc desinere, eamque prodi pulsuum crebritate ob debilitatem valdopere aucta [70]).

Mali ominis alioquin in hoc phrenitico statu sunt: narium cruenta stillatio, ut signum manifestae morbi malitiae ac virium naturae fomiti vincendo non sufficientium; pejoris notae est exanthematum vel tumorum, qui in cute apparuissent, retrocessio; nec non sudores coepti, sed protinus cessantes, item dejectiones et quae per haemorrhoides vel in mulieribus per uterum excernuntur. Scilicet quae, ubi modo coeperunt, statim cessant, omnia deteriora illis sunt, quae nullo pacto apparent. Contingit enim hic illic, ut vis naturae causam morbi impugnantis et quasi concoquentis nondum ad illius exterminationem suscitetur; in illis vero quae coeperunt quidem, sed protinus desierunt, apparet veluti excitatio quaedam, conante natura excernere, quae molesta sunt, verum ob imbecillitatem, quod proposuerat, perficere non valente [71]).

Salutaris autem, ut ex hisce concludere licebat, larga narium haemorrhagia; ac sudor bonus, universalis,

---

67) Comm. in Hipp. Epid. L. VI, 6. 8.
68) Comm. in Hipp. Epid. L. III, 1. 7. (hist. Hermocratis.) Cf. supr. p. 58.
69) Meth. med. L. XII, 8.
70) D. caus. puls. IV, 14; d. puls. ad tir. l. c.
71) Comm. in Hipp. Prorrh. I, 1, 1.

praecipue ex capite multus, calidus, morbum judicat [72]). Saepius etiam somnus profundus, post diuturnas vigilias et labores superveniens, adeoque per diem noctemque continuatus magnum attulit auxilium: deliria aufert, ac reliqua graviora signa ab eo dilabuntur [73]).

§. 69.

In causis mali eruendis jam dudum quidem dogmatici operam navaverant, ut de ipsa morbi diathesi et natura interna certiores fierent; sed quidquid enucleaverint, vix aliquantum nostrae memoriae proditum est. Qui vero praeter illos ante Galenum fuerunt *), paucis exceptis, toti erant in externis momentis pervestigandis, posthabitis subtilioribus abditarum rerum studiis. Demum noster, neutiquam profecto neglecta occasionalium causarum observatione, denuo suscepit veterum illam abolitam scrutationem, internamque in rationem atque proclivitatem hominis ad morbum excipiendum diligentius inquirebat. Febres quasdam animadvertit vel simplices, vel cum partium inflammationibus compositas, nec non constitutiones epidemicas subinde favere phrenitidi soporosisve affectionibus adsciscendis, vel gignendis, ita quidem, ut causas illarum febrium, vel harum constitutionum ipsam etiam ad phrenitidem referre haud dubitaret. Universim dum a materia incongrua affectum nostrum fieri existimabat, vel a sanguine tenuiore, bilioso, per aestum febris inspissato, vel bile flava acriore, vel atra spissiore, vel muco permixta, vel, certe lethargum simplicem, a pituita sincera putrescente, prout in singulis aegrotis, constitutionis et symptomatum varietas hanc discretionem postulare videretur, putridis fe-

72) D. crisib. III, 3.

73) Comm. in Hipp. Prorrh. I, 2, 63. Chart.

*) Ut empirici, methodici.

bribus peculiarem velut sobolem tribuebat. His enim, ut alibi demonstratum est [74]), humorum inquilinorum utcunque depravata temperies in causa est; eaque ad caput delata phrenitidem adducit [75]). Neque vero, quam putredinem humorum vocabat, Galenus ita intelligi volebat, quem ad modum recentiores nonnulli sibi fingebant; sed quamcunque temperiei degenerationem, diversimode vitiosam significabat, cacochymiam; sive a retentis excrementitiis, vel extrinsecus susceptis materiis, non vero satis subactis atque concoctis, sive a calore externo (putrefaciente) per se effecta fuerit. Huic anomaliae repugnat quidem calor inquilinus, domesticus (spiritus vitalis), qui respirationis beneficio partim in corde, partim per cutis meatus in ceteris partibus usque restauratur, ac sanitatem et vigorem conservat; sed quando respirationis illa officia aliquo modo laesa sunt, laeditur etiam calor innatus, naturalis, ac, qui praeter naturam existit, in corpus sese insinuans humores ac paulatim solidas partes commutat [76]). Tali via febrem putridam, s. humorosam universim confici noster opinabatur.

Potest vero illa intemperies locum habere vel in singulis humoribus, vel in cunctis. Qua in varietate casuum tales febres apparebant prae ceteris in phrenitidem pronae, in quibus biliosa diathesis peccare videretur, ardentes, i. e. febres inflammatoriae nostrae vel biliosae, quae ardore cutis acri, siti ac siccitate totius corporis conspicerentur. Iis ut plurimum homines corripiuntur temperamenti cholerici ac cholerico-sanguinei, juniores frequentius, aestivoque praesertim tempore, ubi bilis secretio in corpore laesa est, vel qualicunque modo principatum inter ceteros humores assecuta. Iisdem cau-

74) Doctrinam Galeni de febrium natura, genesi et cognatione brevibus circumscriptam reddidimus supra p. 68 ss.

75) Caus. sympt. L. II. c. 7.

76) Meth. med. XI, 8; cf. d. caus. morb. c. 3.

sis igitur et phrenitis saepissime originem debebit. Lethargus autem vel secundario loco illi aegritudini subnascitur, vel crassiores, minus calidos humores, tardius per corpus circumactos in causa habet, quare febri pituitosae, segniori, quae, praeter alias causas, ex alimentis glutinosis, duris, incongruis conciliatur, familiaris est [77]). Quibus ex putridarum genere febribus hoc commune est ac proprium, quod non tantopere ex procatarctica s. occasionali aliqua causa originem ducant, sed potius habitum quendam praeparatum ac humorum mutatam indolem prius exstantem pro causa et sede habeant [78]).

Multum efficaciae in mutandos inquilinos humores, ac deinceps in solidas quoque partes laedendas aër exercet, qui omnibus communis circumfluit, neque, ubi gravis est, a quopiam prohiberi potest, nisi coeli ipsius mutatione. Infestat autem prae ceteris dispositos, atque ubi causa quaepiam per totam gentem corpora praeparaverat, morbum concitat et popularem reddit, qui quando perniciosissimus est ac plurimos e medio tollit, pestis vocatur [79]). Hinc certam ac peculiarem morbi speciem noster neutiquam illo vocabulo usus intellexit; propria enim nota statuebatur clades publica; ac perinde erat, alia pestis oculos, alia fauces, alia viscera, alia artus proxime atque intentius petebat *); plerisque vero ejusmodi laboribus importunus comes accessit phreniticus affectus, ut qui primario loco natus multo rarius emergebat.

Igitur ut populari cuivis morbo, ita speciatim typhodi epidemico aër tamquam princeps auctor, teste Galeno, habetur [80]). Sed hic multifariam est mutabilis,

---

77) D. crisib. II. 5; cf. supr. p. 75 s.

78) D. different. febr. L. I. c. 9.

79) Comm. in Hipp. Epid. I. 1; praef. et alibi.

*) Bubonacea pestis apud Galenum nullibi commemoratur.

80) Differ. febr. I, 6.

adeo ut subinde perniciosum et cito lethiferum habitum induere [81]), humores exin putredine penitus inficere, calorem hinc nativum veneni instar exstinguere, i. e. vires naturae citissime infringere queat [82]). Epidemicas autem et pestilentes febres promiscue, paucissimis exceptis, noster ait ab excellente quadam putredine gigni, sive ab aëre conflata, sive a victu incongruo praeparata [83]). Uti illae mordaci calore conspicuae sunt, signo putridis febribus communi, ita potissimum et phreniticis affectibus frequens hic comes adjungitur [84]), cognationem utrorumque malorum testatus. Inquinatur vero aër putridis exhalationibus cadaverum multorum, ut post atrocissima praelia non crematorum, vel paludum, vel speluncarum, praesertim aestivo tempore, vel universim ingente calore, putridae cujusvis dissolutionis adjutore; inquinatur in sordidis tuguriis ex hominum frequenti contubernio, in iisque locis, ubi castra diu posita fuerunt, atque hinc putridas et pestilentes et secundaria via phreniticas febres inducit [85]). Eisdem morbis gignendis favet et aër calidus, humidus (quod jam notaverat Hippocrates), praecipue inconveniente anni tempore contingens; item hiems sicca, aquilonia, quae vere excipiatur pluvioso et austrino, aestate dein perquam aestuosa ac ventis vacante [86]). Denique miasmate contagioso aër morbum inferre potest, si quis cum iis conversatur, qui pestilenti aliquo malo decumbunt [87]); putridos enim illi vapores exspirant [88]).

---

81) D. theriac. ad Pis. c. 16. Comm. in H. d. nat. hom. s. 2. c. 3.
82) D. temperam. I, 4.
83) Comm. in Hipp. Epid. L. III. s. 3. t. 22. 23. 25. 33. 69.
84) Comm. in Hipp. Epid. L. VI, 1, 29.
85) D. different. febr. L. I. c. 6. Comm. in Hipp. Epid. I. Praef.
86) D. temperam. I, 4. D. different. febr. I, 6. Comm. in H. Epid. III. s. 3, passim.
87) Diff. febr. I, 3.
88) Contagii mentionem injiciens noster praeter consuetudinem brevis est, nec nisi obiter ac levissima nota describit, absque

Aëris intemperiei et contagii virulentiae eo gravior ac promtior efficacia est in morbo deteriori excitando, quo magis praeparatum corpus offenderint, quippe cujus humores vel copia vel temperamento a justa sanitatis norma aberrent. Illa opportunitas, quod quasi primum initium febris gravioris est, prodit ex regimine vitae incongruo [89]). Qua propter animadvertit noster, eos, qui consuetudinem exercitationum dimisissent, otio dediti, quibusque, perspiratione cutis egregie hinc minuta, humorum excrementitiorum copia intus accumuletur, corporis habitu simul laxato ac viribus dejectis (plethoram ad vires auctor vocat), itaque obesos, succulentos, temperamento usos humido simul et calido [90]), longe facilius et periculosius morbis pestilentibus ac deterioribus quibusvis implicari, quam exercitatos, graciles ac bene perspirantes, utpote qui humorum gaudeant justa temperie et copia modica, sufficienti, per facultatem vitalem facile subigenda [91]). Qui enim in otio degunt, illis, ut Galenus sibi fingebat, pituitosi et crassi humores accumulantur, utique ad putrescendum proni [92]). — Nihilo secius et immoderati labores, vigiliae, angores, acrium medicamentorum frequens usus nutritionem laedunt, sanguinem pervertunt ac suo unumquodque modo ad morbum disponunt [93]). — Quam maxime vero ad febrem putridam humores praeparantur victu pravo, incongruo [94]): prae ceteris cibos quosdam noster notavit, qui

---

certiore et accurata rei enarratione; quasi vulgari vel ab aliis factae observationi vacaret, quae vel non indigeat illustratione ipsius, vel augeri non possit eadem. Quoties vero de constitutione refert pestilenti, cui ipse testis interfuerit, pariter atque apud Hippocratem vidimus, contagium ne verbo quidem commemorat.

89) Diff. febr. I, 6.
90) Meth. medend. L. VIII. c. 9.
91) Differ. febr. I, 4. 5.
92) D. sanit. tuend. L. IV. c. 4.
93) D. diff. febr., d. sanit. tuend. ll. cc. (Sunt illae res non naturales.)
94) D. cibis bon. malign. succ. c. 1.; d. differ. febr. I, 5. 6 et alib. freq.

malam temperiem corpori inducerent, ut cucumeres ac pepones, qui, nisi statim in alvum subirent, scilicet ubi digerendi facultas attenuata jam fuerit, corrumperentur, et humorem corpori suppeditarent, qui non longe abesset a venenis mortiferis, febribus pessimae notae gignendis idoneus [95]). Itaque quum annonae caritate et alimentorum bonorum penuria homines coguntur crudis atque insolitis vel corruptis rebus vesci, mirum non est, quod aëris constitutione vel mediocriter annuente, corpora impura ac cruditate humorum referta febribus putridis ac pestilentibus, vel pustulis malignis et ulceribus afficiantur, et populari clade succumbant; tanto quidem facilius, quo altius et amplius iniqua illa diathesis in corpore radices egerit [96]). In tanta enim opportunitate morbi, jam levior aliqua causa extrinsecus ex aëre suscepta sufficit ad febrem evocandam [97]). Illi vero, qui bene perspirant, in quibus nulla viribus superior plethora, nulla obstructio in vasis obtinet, sed calore innato omnes humores bene subiguntur, ac per corpus expedito motu circumferuntur, serius et minori cum periculo, et graviori demum sub aëris constitutione populari morbo implicabuntur [98]). Idem quod cibus pravus nocumentum affert, etiam potione aquae lutulentae et corruptae, stagnantis, inducitur [99]).

Quocirca ubi corpora nostra in venis et arteriis adeoque in carnibus et instrumentis solidis particulas inconvenientes, a naturali temperie diversas, conceperunt, atque vel ex aëre calido, humido, vel ex intus calefaciente causa ulla putredinis occasio se obtulerit, sensim sensimque haec latius proserpet, vires capiet, neque si calor nativus (facultas concoquens, medicatrix) debilis fuerit, prius cessabit, quam aut ad coctionem tandem con-

---

95) D. cib. bon. mal. succ. c. 8; d. aliment. facult. L. II. c. 6.
96) Differ. febr. I, 4. 97) L. c. c. 6. 98) Ibid. et c. 4.
99) Ibid. Praef. in H. Epid. L. I.

versa, a natura fuerit devicta, aut ad pejores paulatim conditiones declinans, ac persistens in egregia cruditate, molimina naturae pessumdando vitae finem fecerit. Quo firmior autem vitalis facultas ac praepotentior pravorum humorum apparatui obstiterit, eo pleniorem et citiorem concoctionem assequetur et excretionem [1]).

§. 70.

Scilicet morborum decursus atque eventus salutarium naturae moliminum medicorumque adjumentorum successus in eam sententiam Galenum conduxerant, ut non solum roboris vitalis differentiam in hoc morbo statueret, sed humori etiam praeter integritatem collecto, morbifico, virtutem et indolem adscriberet bifariam diversam. Altera quidem materiae nota inferior naturae viribus medicatricibus subigitur, et vel in humores bonos utilesque conversa in commodum corporis consumitur, vel in pus benignum et mite permutata foras ejicitur. Altera vero indomita repugnat calori innato, adeoque subinde superior ipsi evadit, ac pro atrocitate sua praeternaturali citius seriusve exstinguit [2]). Ille rerum status benignus dicitur: prodit ex virium robore integro, constante, vel ex materiae superandae minori copia vel mediocri perversitate; hic vero mali moris est (κακοήθης), ac vel abundantem habet fomitis morbosi collectionem, vel labefactatam et valde debilem vitae facultatem, in qua fieri etiam possit, ut humor iniquus nonnisi mediocriter adhucdum depravatus sit. Interdum autem facultas ad extremam debilitatem deducta minime fuit, sed humor egregie malus et specifico quasi modo vitae adversarius existit. Quae tali sub conditione materia excreta est, non eundem quaevis habet colorem, vel

1) Comm. in Hipp. Epid. L. III. s. 3. c. 33 et alibi.
2) D. differ. febr. I. c. 7.

odorem, vel spissitudinem, quemadmodum pus bonum ubique affectionis sibi constat, sed variat indoles pluribus modis, interdum ad speciem visu teterrimam. Tertium genus ejusmodi materiae inter prius et alterum quasi intermedium est, et modo ad hanc, modo ad illam temperiem accedit, et ipsum colore et indole admodum varium et mutabile [3]). Quidquid autem utile superest in ista humorum congerie, calor innatus usque nititur, in corporis usum convertere, excernere autem, quod eo degenerationis devenit, ut in gratiam naturae haud quaquam rediturum sit. Quodsi propter spissitudinem, vel lentorem, vel copiam materiae excrementitiae, vel propter obstacula in meatibus vel viscerum laesa compage posita, vel sua ipsius debilitate non sufficit natura excretioni eorum, quae depravata sunt, absolvendae; fieri non potest, quin fomes diutius in corpore remorans magis magisque corrumpatur ac putrescat. Nullus enim alius humor, qualis ab initio exstitit, permanere potest, multo minus, qui adeo vitiosus est, ut a natura ipsa subigi et emendari nequeat [4]); potest vero eo perversitatis degenerare in corpore peccans materies, ut atrocitate sua praesentaneo veneno par evadat [5]). At in tanta tamque immani humorum iniquitate morbi passim acutissimi, atrocissimi subito prehendunt; quemadmodum phrenitis illa citissime decurrens, in cujus historiam [6]) noster (com. 75.) commentatus est. Etenim vitiosus humor latius serpens altiusque radices agens, praesertim si viscerum compages male habet, paulatim dirissimus evadit, ac pessima repente edit symptomata. Tali modo affecti non tantopere phrenitide interimuntur, quae symptomatis vice supervenerit, sed potius humorum summa corruptela, quae vitali facultati quam maxime et potentis-

---

3) D. differ. febr. I. c. 8. 4) Differ. febr. II, 5.
5) D. loc. affect. L. VI. c. 5.
6) Hipp. Epid. L. III. s. 3. hist. IV.

sime adversetur. Eaque indoles vere maligna dicitur; nam nec naturae vires ei satis resistunt, nec medela, utcunque recte et diligenter administrata, quidquam proficit [7]). Et quum plerumque febrilis motus, huic temperiei adjunctus, parvus sit et debilis, ac naturae conamina irrita, occulta, cito fatigata, propter facultatem vitae a morbifica causa prostratam; ejusmodi febres Galeno proprie dicuntur malignae, in pestilenti statu frequentissimae [8]), verum et privatam circa perniciem neutiquam inauditae. Differunt a putridis simpliciter dictis tum symptomatum insolita atrocia vel contradictione, tum febris ac vitalis facultatis robore infracto, tum rebelli asperitate, medicamentis alioquin utilibus haudquaquam domita. Inde patet, cur in debilibus et parvis febribus noster multum viderit periculi, alias vero intensas et ardentes, cum inquietudine magna et signis vehementissimis incedentes securas perhibeat [9]). Malignae [10]) praeterea quasi speciatim multae vocantur, in quibus, fomite morbi altius infixo et intus saeviente, inflammatio viscerum urgeat, ut in leipyria et assode [11]); nec non in phrenitide, cujus gratia haec disputavimus, frequentes eaedem intercurrunt [12]).

Est vero etiam malignitas quaedam in febribus, saepius popularibus, quam privatis, in qua humorum excretorum nulla appareat praeter normam mutatio, ubi pulsus quidem a naturali vix aut parum quidquam discrepet; nihilominus vitae summum et ineluctabile periculum impendet, et citissimo morbi, minime molesti, decursu aeger ad mortem rapitur. Talis aegritudo, in qua, ut recentiores enuntiabant, facultas vitalis ac nervosa virtus primario affectu laborent, Galeno vocata

---

7) Comm. in H. Epid. L. I. s. 3. t. 1. — Meth med. IV. c. 5. init.
8) Comm. in H. Epid. L. III. s. 3. passim.
9) D. crisib. III. c. 4. 10) *Κακοήθης καύσος*. D. crisib. II. c. 7.
11) Comm. in H. Progn. I, 2, 20.
12) Comm. in Hipp. Epid. L. VI. s. 1. t. 29.

est: febris pestilens hectica. In hac, quae ex aëris calore vel intemperie conciliatur, non humoribus inquilinis, sed ipsi cordis corpori putredo inhaeret, statim ab ipsis morbi primordiis. Igitur a primo morbi ingressu princeps instrumentum virtutis vitalis languet resolutum; hinc praeterversa concoctricis facultatis conamina, neque salutaria molimina comparent ulla. Distinguitur morbus a putrida febre vulgari, eaque minus perniciosa, horroris defectu, circa initia mali, et caloris tanta mediocritate, ut se febricitare ipsi non sentiant aegroti; dein pulsus modico vigore, certe non intenso, qualis in putrida est, tunc celer simul; denique aequalitate et tenore decursus, in quo neque exacerbationis neque remissionis quidquam observetur. Lotium, — quod in putrida f. humorosa prodit crudum, conturbatum, — sanorum hic simile est, aut suspensa quaedam habet, aranearum telas referentia. Unica spes salutis Galeno in hisce aegrotis superest, ubi putredo corpore cordis deserto ad ipsos humores conversa fuerit, febre hectica in humorosam conversa minus ancipitem. Coctione dein rite peracta nonnullos refert evasisse; alioquin negat illos sanari posse remediis [13]).

§. 71.

Ceteroquin pestilentes, sive malignae, sive simpliciter putridae appareant febres, specie varia et diverso symptomatum concursu conspiciuntur, ut varia est humorum oborta intemperies, vel aetas, vel vita ante acta, vel temperamentum, vel habitus aegri [14]). Calor in multis non vehemens [15]), quamvis plerisque mordax; inflammationes hepatis, ventriculi et septi transversi fre-

13) D. praesag. ex puls. L. III. c. 3. 4.
14) D. bon. et malis alim. succ. c. 1.
15) D. facult. med. simpl. L. IX. c. 1.

quentes. Coma et phrenitica signa omnia, qualia jam notaverat Hippocrates, sunt maxime solemnia, hic vero sigillatim non repetenda. Etiam typus febrium varius: tritaeophyus, quotidianus, semitertianus, isque prae ceteris infaustus et pessimis signis stipatus [16]). Praeterea in pestilenti aliqua constitutione, quae in annonae caritate, ex victu pravo homines in Asia affligebat, Galenus frequentia vidit ulcera cutis, herpetes; quibus vero cutis affectus abessent, carbunculi prodierunt et excrementa graveolentia ac mordacia, dysenteriae acresque tenesmi, urinae graveolentes, sudores mali odoris, iique critici, abscessus putridi. Quibus vero nihil eorum accidit, ii interibant omnes, cum manifesta visceris alicujus inflammatione; aut ob vehementiam et malignitatem febris virium dejectio ab initio statim oboriebatur. Sanguis rufus, niger, nimis serosus, acer, venam dissectam inter fluendum mordicus vellicans, ut aegre vulnus ad cicatricem conduceretur. — Inter pessima signa noster retulit etiam alvi fluxum effrenem, speciatim in constitutionibus quibusdam epidemicis maxime importunum [17]), observante jam pridem Hippocrate: nec non fastidium ciborum difficillime superandum, ut aliquando plurimi mori quam comedere quidquam prius ducerent [18]). Interdum vero et salutaris alvi fluxus evasit, utcunque teter et foetidus; nam in pestilentibus morbis excreta etiamsi pessima vidit juvisse [19]). Addit, haec non in principiis debere apparere, sed morbo consistente. Nam si initio apparent, infaustam illa corporis diathesin significant, aut insignem humorum corruptelam; si morbo progresso, beneficio facultatis naturalis fiunt [20]). — Alibi exanthemata ulcerosa, nigra, aspera, squamosa et sicca tam-

16) D. typis. c. 4. (Etiam haec pariter atque Hipp.)
17) Comm. in Hipp. Epid. L. III. s. 3. t. 57.
18) L. c. t. 58.
19) Confirmabat Ballonius, de q. v. infr. §. 86. Cf. §. praeced.
20) Comm. in Hipp. Aphor. IV, 21.

quam excrementitii humoris salutarem reperit evacuationem. Evadebant enim, quibus talia effloruissent [21]).

In praesagio ejusmodi morborum edendo universim monet, ut, quae a viribus sumitur nota, cum perniciosis symptomatibus conferatur; si illae bonae et sufficientes esse videantur, bona esse speranda [22]). Cetero-quin, quae Hippocrates circa prognosin ejusmodi morborum comperta habuerat, ea et noster retinebat ut comprobata, et multis locis in commentariis adjunctis sua experientia confirmat.

---

§. 72.

Galenus, quandoquidem in cognoscenda et dijudicanda febre typhode, ut in ceteris plerisque partibus rei medicae, Coi senis vestigia fidus cultor persequebatur, omissis permultis, quae, quum communia utrique sint, non sine taedio repetita fuissent, circa ea maxime hic veniebat consulendus, quibus a magistri disciplina diversus sit, vel clarius eandem illustraverit, vel elaborando ac certius definiendo amplius promoverit. Jam vero quam c u r a m noster morbo adhibuerit, referenti similiter rem gerere liceat, quum semel notatum sit, Hippocraticam medicinam illi unice fuisse probatam et contra dissentientes fortiter defensam. Generatim quidem contraria contrariis curare uterque certo studebat, ut compluribus locis monet Galenus; sed in singulis, quum rerum status in doctrina et experientia medicorum per aetatem tantopere esset commutatus, et ingenia auctoris utriusque insuper inter sese adeo differrent, fieri non poterat, quin Pergamenus a Coo sat multis locis discederet. Quod vero ad malum nostrum adtinet, quo Hippocrates praecipue intentus fuerat, idem Galenus

---

21) Meth. med. V. c. 12.

22) Comm. in H. Epid. L. I. s. 3. t. 21.

assequi plurimum tentabat; scilicet ut praeverteret phrenitidem, eam corporis diathesin rite curando, cui, qualemcunque se prodidisset, facilius et frequentius illa subnasceretur, i. e. febres putridas, easque potissimum ardentes, populares, malignas. Minus certam efficaciam observabat, et propterea non adeo multum fiduciae in eo medicaminum apparatu videtur posuisse, quem adversus malum ipsum praesentia sua jam urgens adhiberet.

A febribus putridis igitur ac pestilentibus, potissimum genio maligno populariter dominante, corpus ita tutissime defenditur, uti maxime vacat excrementis, et supervacui obsoletique humores foras rite ejiciuntur; praeprimis uti perspiratio integerrima servatur. Quem in finem ubi in humorum circuitu obstaculum natum est, vel obstructio; meatus leniter aperiantur, et quod congestum fuit, solvatur; quae corpora excrementis scatent, purgentur. Dein annitendum est, ut corpus causae exsuperanti, morbum intendenti, quam fortissime repugnet et conveniente ubique ratione. Quapropter animadvertendum, qualis constitutio hominum tum temporis prae ceteris morbo frequenter infestetur; ea quidem sedulo et cum cautione erit immutanda; plethora et obesitas, ubi febrem facile adsciscit, coërcenda, et in contrariam conditionem paulatim convertenda. Qui vero immunis a pestilenti afflatu habitus degit, quippe quod beneficium gracili et sicco ut plurimum contingere noster vidit, is studiose conservandus est integer et a declinatione in minus opportunum tuendus [23]). Quidquid impurum, a sanitate alienum, in corpore retinetur, hujus vel concoctio, siquidem superata nondum fuit, adjuvetur, vel ubi materia ad discessum jam destinata et prona fuerit, aut in melius a natura mutari amplius nequit, evacuatio promta instituatur. Eaque ipsa diversimode efficitur, pro

23) Differ. febr. L. I. c. 6. 7.

varia rerum conditione, modo vomitu excitato, modo alvi dejectionibus, modo sanguinis detractione [24]). Nam quaecunque morbis jam praesentibus recte fiunt, melius est, ut, iisdem primum incipientibus aut imminentibus, antevertendo faciamus [25]). Sic sanis etiam sanguinem mittere expedit, ubi magni alicujus morbi metus exigit, ratione aetatis habita et virium [26]). Tria enim curandi hoc auxilium suadent: morbi magnitudo aut praesens, aut imminens, aut incipiens, aetas florens et virium robur. Nec tamen bene fertur detractio ab illis, quibus humorum insignis intemperies subest, pulsusque vehementia et magnitudine inaequales, exsuperantibus quidem imbecillibus et parvis, faciei simul color et corporis iniquus apparet; his enim partim virium modus non suppetit [27]), partim materia incongrua vel causa morbi penitus infixa corporis compagi inhaeret, neque ad prodeundum prompta est. Interdum nec natura aegri medicamentum, quod alienos humores mature evacuet, admittit, sicut et alius subinde affectus obstat, qui talem respuat educendi rationem [28]).

§. 73.

Ubi humorum intemperies peccat, evacuatis prius, quae ad evacuandum promta fuerunt, per vomitum, alvum, urinam, sudores, causam eruere convenit ac medicamentum propinare, quod illi quam maxime repugnet. Perspirationis vero defectus, quandoquidem putredinis istius praecipua causa est, rite summovebitur remediis pro varietate affectus variis. Scilicet quum illa excretio prohibeatur vel constrictis meatibus in corpore exiguis, vel humoribus abundantia sua, crassitudine, spis-

24) Meth. medend. L. V, 12; d. sanit. tuend. IV, 3.
25) D. curat. per venae sect. c. 9. (Praeeunte Hippocrate.)
26) Ad Trasybul. c. 37. Meth. med. IX, 4.
27) D. curat. per v. s. l. c. 28) D. sanit. tuend. L. IV. c. 4.

situdine, lentore obstruentibus; constrictio curari debet adjumentis relaxantibus, abundantia vacuantibus, spissitudo diluentibus et lentor detergentibus [29]).

In putredine, quae totum corpus occupet, et continentes febres excitet, humores per urinas, alvum et sudores expurgandi sunt, nec non per vomitum, siquidem ad ventriculum sua sponte decumbunt. Medicamenta vero ad haec proprie conducunt lenia et humectantia simul, quae febrilem exaestuationem et siccitatem non augeant, cremor ptisanae, aqua mulsa, oxymel, decoctio radicis apii. Quodsi venter non satis respondeat, aqua mulsa cum oleo injicienda. Vinum quoque aquosum omnes excretiones promovet; eadem virtus lavacro est aquae dulcis et temperatae. Ubi vero vehemens ac magnus morbus, ut in continentibus fit; nec vino utendum est, nec balneo, nec rarefacientibus omnibus, vel unctionibus. Tunc febris quidem causa frigida potio concedi potest, etiamsi secretionem exoptatam non adjuvet, neque obstructionem humorum solvat. Etenim probe considerandum, et quae febris remedia sint, et quae humorum intemperiei, ubi per se sola subsistit, conveniant. Non semper duo haec momenta inter se consentiunt, plerumque sibi, quoad medelam necessariam, adversantur. Difficile est, haec inter se componere; difficilius tamen, si virium quoque statum cum illis conferre velis propter vitae scopum. Tutius autem omnino balneum adhibebitur vel medicamentum rarefaciens, vel aqua frigida [30]), vel vinum, quum notae coctionis humorum in ardenti febre prodierint [31]). Quodsi insuper torosus aeger est, tum coeli status calidus et siccus, aestivus, etiam frigido balneo haudquaquam laedetur. Ejusmodi namque opportunitate usi, qui sese in frigidam conjecerunt, protinus universe sudarunt, et nonnullis eorum

---

29) Meth. medend. L. XI. c. 8. 30) Meth. med. IX, 5.
31) Cf. comm. in H. Aph. VII, 42.

alvus biliosa reddidit. At si mediocris febris, et vires non validae, cum notis concoctionis, quae cernuntur in urina, cute etc., omnino balneum prodest et vini potio, simul vero frictiones rarefacientes, idque tanto magis, quando aër fuerit frigidus. Frigida tunc plerumque ab aegro non appetuntur. Exigua autem salutis spes est, si in frigido aëre vehemens ardor eum detinet, et si nec concoctionis accedunt signa, nec vires validae apparent; servari is plane non potest; incassum omnia adhibentur [32]).

Itaque qui febrem curare conatur, necesse est, humorum statui consulat, unde duae indicationes nascuntur, altera a febre, altera a putredine. Febris quidem partim rite curanda est, partim, quatenus nondum efferbuit, inhibenda. Sic etiam materiae vitium partim, quod adest, corrigendum, partim cavendum, ne incrementa capiat. Prohibetur autem haec depravatio, praesidiis obstructioni medentibus; atque his ipsis cura exordienda est, evacuatione multitudinis, si qua conveniebat, rite praemissa. Verum etiam ex illis vitanda sunt calida, quae febrem et forte humorum intemperiem augeant. Apertis deinceps obstructionibus, per meatus excretorios evacuandum; simul vires roborare jam convenit, ut eo meliore cum successu materiae iniquitatem devincant, concoquant [33]).

At in quibus suspicandum est, magnam copiam humoris incongrui accumulatam esse, ubi vel observatione duce vel ratiocinio justo concludere licet, in magna lassitudine artuum, faciei incongruo colore, pulsu peculiariter mutato, urina cruda, turbida etc., illos humores in sanguinis massa contineri, vel quasi semi-coctos, vel intra corpus perperam retentos, audacter sanguis mitti potest; ubi plus illos a sanguine recedere opinandum est, cum cautione mitti debet, ubi plurimum, plane non

---

32) Meth. IX. c. 9. Ibid. XII, 3; vid. infr. 33) Meth. XI. c. 10.

mittatur. Deinde alvum dejicere oportet, ratione habita abundantis humoris copiae pariter atque indolis; eique largius evacuanda illa est, cui venae sectio per morbi speciem indicata quidem, tamen instituta non est propter aetatem vel timiditatem. Percoquenda enim sunt, quae cruda adhuc vel semi-cocta existunt; evacuanda vero, quae acria, et mordacia retinentur, velut ultra sanguificationem obsoleta. Quibus haec contingunt, eos abstinere convenit ab omni valido motu, blande vero perunctos atque oleo perfrictos dulci balneo lavare, inde in otio et abstinentia habere, atque etiam somno tradere; nihil enim est, quod aeque concoquat ea, quae concoqui possunt, et malos succos per halitum digerat, quam somnus a balneo; balneum autem ad somnum reddit propensos. Verum si abstinere quidem a cibis oportet, non omnis tamen auferenda nutritio est, ne stomachus laedatur, fastidium creetur, vires dejiciantur et humorum intemperies incrementa capiat. Ergo exiguum quid hic dandum, ac potissimum ptisanae cremor, simpliciter conditus, vel alica eodem modo praeparata, cum pauxillo aceti, ne nimis glutinosa sit, neque forte obstruat magis, quam detergat meatus, vel plenius nutriat, quam convenit. Etiam mulsa idonea est et oxymel, denique omnia, quae citra vitiosi humoris procreationem, crassum eundem incidant et solvant, lactuca, pisces saxatiles, aves monticolae, panis fermentatus bene coctus, purus, vinum tenue, album. Quae urinam cient, hic non probat Galenus; certe validiora prohibet, quia sanguinem calefaciunt ac liquant; id vero, quod concoquendum probe est, tantopere agitari non convenit. Talis curandi methodus per quatriduum continuetur. Ad haec dein, si coctionis signa comparent, urinae concoctae sunt, lassitudo levata, color corporis in melius mutatus, frictio liberalius institui poterit; mox si omnis evanuerit lassitudinis sensus, qui ab humorum inconveniente apparatu natus fuerat, ad consuetas statim exercitationes homo re-

ducendus est; si quid ex illo superest, curatione secundaria auferatur [34]).

In aliis corporibus reliqua quidem eadem sunt; largus item et gravativus materiae excrementitiae, crudae apparatus; insuper vero bonus sanguis tantummodo exiguus. His neque sanguis mittendus, neque alvus dejicienda, neque exercitatio, neque balneum adhibendum. Nam venae sectio quidem bonum sanguinem emittit, et malum, qui maxime venis circa hepar et mesenterium colligitur, in totum adtrahit corpus. Dejectio vero in talibus tormina et erosiones, animique deliquia provocat, neque notatu quippiam dignum educit, propter materiae crudae segnitiem et crassitudinem et firmam adhaesionem. Cetera adminicula dicta humores illos in totum corpus agunt, itaque nocent. Tales igitur in omni quiete servandi; dandaque ipsis cibus, potio medicamenaque attenuantia, incidantia, concoquentia (alterantia), idque citra manifestum calorem. Nutriantur autem maxime oxymelite, aliquando etiam ptisanae et mulsae exiguo quopiam: sustinent enim hi victum, si modo alii ulli, tenuem, ipsa humorum crudorum copia, paulatim concoquendo ad corporis alimentum abutentes [35]).

Ab hisce Galenus distinguit [36]), quos crudis humoribus repletos videret, egregia infirmitate laborantes, cum pulsu debili. Neque ipsis sanguis mitti sine magna laesione solet, etiamsi depletionem desiderent; neque etiam purgationem ferunt, ut quos etiam sine his syncope subito adoriatur. Quo modo igitur, quaerit, tales curandi, qui, quum vacuari postulent, vacuantia praesidia non ferunt? Unice convenientem his frictionem invenit Incipiendum vero statim in principio morbi; ac primum a cruribus superne deorsum linteis mediocriter asperis cutis fricatur, partim calefaciendi, partim discutiendi gratia.

---

34) De sanit. tuend. IV, 4. 35) Ibid. c. 5.
36) Meth. med. XII, 3.

Dehinc manus ab humeris; serius a frictione detur oleum laxans. Ab adstringentibus abstinendum. Calor mediocris sit, domus lucida. Mulsa cum hyssopo cocta aptissima est; ipsisque neque cibus, neque sorbitio, neque aqua exhibenda, neque omnino liberalis potus, sed mulsa tantum tribus diebus primis concedenda, cum frictionibus ad somnum usque. Uberior autem somnus his non est salutaris, neque enim crudos humores digeri sinit, et viscera graviora reddit. Quippe somnus concoquit, vigiliae discutiunt; utroque opus est iis, qui ex multitudine crudorum humorum aegrotant. In illis affectionibus cataplasmata superhabita adducunt inflammationes, quae desperatum aegrum reddunt, jam corpore succis crudis referto. Rarefactio enim ante vacuationem urgentem neutiquam perfertur [37]). Atque iis tantum tuta sunt cataplasmata, uti et perfusiones [38]), quibus in toto corpore nullum fuerit excrementum; caeteris omnibus extrema est pernicies. Nam sive ad vasa, sive ad vires redundantia sit, sive etiam in una parte pluribusve, uti hic, vitiosa excrementa sunt, omnia ad partem calefactam trahuntur, et phlegmone subnascitur [39]). Cataplasmatibus igitur in ejusmodi aegrotis minime utendum, priusquam supervacua magna ex parte sint excreta, partim concocta; dein adhibeantur non plane laxantia, sed cum absinthio, si quidem febris non plane magna fuerit. Sic fere, nisi per primos dies deterius quid occurrit, continuandum est, usque ad septimum diem aquam duntaxat mulsam porrigendo, cum hyssopo coctam, ii enim, uti de quibus paulo ante dictum est, diutissime cibi abstinentiam ferunt, corpore scilicet ex crudis ipsis, quos continet, humoribus concoctis alto. Quodsi vero non modo crudi sunt humores, sed etiam eo corruptionis pervenerint, ut concoqui perfecte ne-

37) Meth. med. XI, 9. 38) Cf. comm. ad H. Aph. VII, 42.
39) Meth. med. XI. c. 15. Ibid. X, 10.

queant, qui sic aegrotant, eorum desperata est salus [40]); sed qui, si praesertim error nullus committitur, servari possunt, ii aqua mulsa solum ad septimum usque sunt nutriendi, aut sicubi res exigat, vel alvo fluente, vel aegro mulsam fastidiente, ad ptisanae cremorem est transeundum [41]).

Denique quibus ex obruentibus humoribus crudis syncope revera supervenit, calore naturali exstincto, vitali facultate dissoluta, ii frequentius sunt nutriendi. Sed non copiose una vice exhibendum, nec, quae nutrimenta crassa, frigidave potestate conspicua sint, ut farinosa, glutinosa, sed calefacientia et extenuantia. Vinum aquosum statim ab initio, nisi, quod tamen raro, febris vehemens adsit [42]).

§. 74.

Venae sectionis usus Galeno magis familiaris videtur fuisse, quam Hippocrati, ut ex variis locis judicare licet, in quibus, potissimum in commentariis [43]), medicinam suam cum illius curatione componat. Circa hoc auxilium, quatenus in febribus modo dictis locum inveniat, haec praeterea animadvertit. In febribus [44]) non modo continentibus, verum etiam in aliis omnibus, quas humorum intemperies et redundantia s. plethora ad vires vel ad vasa concitaverit (intermittentes dicit), evacuandi ac refrigerandi causa saluberrimum est, venam incidere, praesertim ubi nec aetas, nec vires prohibent. Etenim natura corporis, quae sublevata sic est pondere

40) Cf. Meth. XI, 9. Vid. supr. 41) Meth. med. XII, 3.
42) Meth. XII, 5; ibid. X, 4; cf. Aretaeus. Cur. acut. II. c. 3.
43) e. g. Comm. in Hipp. Epid. III. s. 1. aeg. IX, mulier ap. Tisamenem; — Ibid. L. I. s. 3. t. 26. hist. (IX.) Critonis; — Ibid. L. III. s. 3. t. 76. histor. (V.) calvi Larissaei.
44) Meth. med. XI, 15. De curat. per venae sectionem. c. 8. 9. Sanitat. tuend. IV, 10.

partim ablato, id quod reliquum est, eo facilius deinceps in sui potestatem redigit, concoquit, quae coctionem admittant, et eliminabit, quae ad discedendum promta fuerint, memor insitae virtutis. Quare venae sectione instituta antevertimus, ne amplius humorum mala temperies serpat et incrementa capiat [45]). Spectanda praeterea in hac cura sunt: tempus, regio, praesertim aëris constitutio, habitus, consuetudo et species morbi [46]).

Quibus ex sola humorum constipatione ac redundantia febris accensa fuerat, neutiquam putrida evadebat, si statim sanguinem miserant; iisque, ubi vires satis validae et aetas consentiunt, praestat ad animi deliquium usque detrahere; verum si tanta vacuatio permitti non videtur, partitis vicibus quantum conveniat, dematur. Etenim qui ita habentes febricitant, venae sectione omissa, in extremum periculum incidunt, nisi forte beneficio naturae adhucdum validae sanguinis largum profluvium, vel sudor copiosus, a manifesta pernicie salvaverit [47]).

---

45) Curat. per v. s. c. 9.

46) Ad Glauc. 2. c. 2; cf, Meth. med. IV. c. 6. — Prohibet noster venae sectionem sub coelo calidissimo, in regione aestuosa et corporibus laxis, mollibus et pinguibus, decoloribus, graciles venas habentibus, etiamsi morbus magnus sit, vires adhuc constantes et florens aetas. Timebat enim futuram debilitatem. Quare audaces eos vocat medicos, qui in pestilentibus illis febribus venam secarent. D. cib. boni malig. succ. c. 1. Rebus sic se habentibus praeferebat cruris scarificationem. Vid. infr. s. fin. §. ex l. d. cucurbit. et scarif. c. 20.

47) Meth. med. IX, 4, cf. de morbis. 3. — In populari quadam constitutione, in qua per Asiam carbunculi luis in morem grassarentur, Galenus cum fructu venam aperuit, in nonnullis adeo ad animi usque deliquium misit. Meth. med. L. XIV. c. 10. — Alias vero, in phlegmonosis tumoribus sanguinem detrahendum esse praecipit, usque dum color appareat mutatus, nisi vires sint debiles aut phlegmone maligna. D. curation. per venae sect. c. 14. Videtur itaque venae sectionem admisisse in carbunculo duntaxat simplici et malignitatis experte, utcunque populariter infestante.

Etiam si humorum abundantia paulo viribus superior fuerit, utique ex moderata detractione adeo nullum accedit viribus detrimentum, ut etiam maximum comparetur commodum, sublato scilicet, quod eas pondere premebat. Sin, quo morbus sanetur, multa vacuatione est opus, resolutae autem ex tanta inanitione vires fuissent; non modo rursus homini non proderit, sed etiam maximum illi periculum afferet. Itaque in iis continentibus febribus, quae ex stipatione meatuum excitantur, quoniam validae plerumque vires sunt, periculo vacabit sanguinis missio sicuti purgatio; in aliis vero morbis summopere est periculosa, ut si forte incidit in graviore corruptela humorum. Quod corruptum, id alienum a natura est; hinc quidem eliminatio ipsius convenit. Si vero cum viribus infirmis humorum mala temperies concurrit, hujus vitii remedium cum virium conservatione conciliari nequit; illae enim nec venae sectionem in hoc casu nec purgationem ferunt. Ejusmodi rerum statui incerto eventu succurritur, ac vel nulla omnino salus est, vel sero tandem et aegre accedit, nisi praestantissimum morbus nactus fuerit medicum. Scilicet ubi ita sibi repugnant indicantia, oportet et paulatim quod vitiosum est, et lentissima, continuanda evacuatione educere, et paulatim invicem, quod salubre est, pro eo reponere; eaque cacochymiae curatio ἐπίκρασις nostro vocabatur [48]).

Opportunitas autem sanguinem mittendi ut plurimum quidem initio fit et incremento morbi [49]); verum quocunque die missionem indicantia momenta exstiterint, i. e. robur virium et morbus ingens, etiamsi vel vigesimo die ab initio adfuerint, hoc auxilium auctor adhiberi jubet [50]). Si quando a venae in brachio sectione celerem et nimiam virium jacturam metuebat, id quod in pestilenti statu frequenter accidere observabat, cru-

48) Meth. med. IX, 10. 49) Ad Thrasybulum. c. 37.
50) Curat. per v. s. c. 20.

rum circa malleolos scarificationem praeferebat. Ipse gravi lue Asiam depopulante afflictus, secundo morbi die crus scalpendo et ad binas libras sanguinis detrahendo periculum aufugit; eodemque auxilio alios multos servatos esse testatur, praesertim si larga manu sanguis eductus esset [51]). Scarificabat autem crura laborante capite, aut ad minuendam humorum in corpore redundantiam, potissimum, quae suppressis consuetis excretionibus nata esset. Una enim cum sanguine in venae sectione detrahitur spiritus vitalis, unde languor in facultatibus partium omnium efficitur; itaque ab ignobilibus partibus, cruribus scilicet, revulsivo scopo sanguinem detrahere praestat [52]). Praeterea cucurbitulae conveniunt, evacuatione quidem prius facta; nam in plethoricis illis non adhibebat noster. Eadem ratione in cerebri aut meningum inflammationibus per initia mali non applicabat, sicut nec in alia parte inflammata; verum ubi affluxus sanguinis ad laesam partem sublatus, corpusque praevacuatum est, et necessitas existit, aut movere, aut vehementius agitando amoliri, quod in laborante parte residet, aut foras extrahere; quam maxime illae conducunt, vitandae omnino in affectibus, qui adhuc nascuntur, admittendae in continuis [53]).

§. 75.

Quomodo purgationem in hisce febribus noster adhibuerit, partim ex illis apparet, quae in superioribus passim inserta sunt, partim cognoscetur ex his, quae sparsa adjecturi sumus ad accuratius illa definienda. — Qui humores in aliqua parte sunt firmati, eos neque ullo alio auxilio movere oportet, neque medicamento purgare con-

51) De cucurb. et scarific. c. 20. De venae sect. ed. Chart. T. VIII. p. 899.

52) De hirud., revuls., cucurb. et scarif. c. 4. 53) Ibid. c. 3

venit ante coctionem [54]). Quando vero absoluta coctione aliquis humorum vitiosorum excernitur, corpus a natura expurgatur, quapropter quaecunque materia, adeoque bilis atra prodiens, utut alioquin terribilis, ubi signa coctionis apparuerint, bonam significat evacuationem: si vero aliter excernitur, sine signis coctionis, exitialis est casus. Quare quum in morbi principio semper sint signa cruditatis, mala tunc erit humorum talium evacuatio [55]).

Tempus autem purgandi idoneum est, quo coctionem cernamus et naturam vel parum vel nihil operantem. Quod ut plurimum erit in declinationis stadio [56]). Sed ubi in principiis morborum vel facta erat per venae sectionem aut purgationem evacuatio, vel ubi nondum conveniebat, sedulo attenuantia et mediocriter refrigerantia propinanda sunt, tum propter febrem, tum propter intemperiem humorum; vitatis omnibus calidis. Cujusmodi habebantur acidula [57]), et alia, quorum supra mentio facta est. Hisce quidem concoctionem juvare sibi visus est.

Multum etiam utilitatis nactus esse vult terra Samia et Lemnia ac bolo Armena, quas siccandi consilio exhibebat in pestilenti constitutione, cui eadem facies esset, qualis ejus, quae Thucydidis memoria grassabatur. Quotquot tale medicamentum bibissent, cum vino aquoso subactum, celeriter curatos esse refert; quibus non profuerit, omnes interiisse, nec alio quovis medicamine adjutos esse [58]). Forsan in hac constitutione terrae medicatae absorbendi virtute conducebant, sordes acres et mordaces, in primis viis collectas involvendo; pingues enim illae erant et blandae, atque ita, ut suspicari licet, demulcebant stomachum, connubium cum pravo humore

54) Comm. in Hipp. Aph. I, 22.
55) Ibid. IV, 22; cf. comm. ad 21.
56) Comm. in Hipp. d. vict. acut. IV. c. 44.
57) D. simpl. fac. V.
58) Simpl. med. fac. L. IX, 1; d. terr. Lemnia et Samia.

ineuntes, quod non amplius irritaret nec male haberet. Simile beneficium ciborum fuisse videtur, etiam renuentibus aegris ingestorum [59]). In peste enim, qua multi absumerentur, perpetuum aegros cruciabat ciborum fastidium. Fortiores ergo, qui vim sibi ipsi inferentes cibum oblatum assumsissent, omnes fere superstites evaserunt, partim concoctione continuata, partim alterata et subacta colluvie, quae in ventriculo collecta humorum massam inquinabat. — Theriacam Galenus magnis quidem laudibus extollit; sed majus illa auxilium in praecavenda, quam curanda febre maligna praestare ei videbatur. Bonam scilicet temperiem humoribus conciliat, quippe quum supervacuos consumat; partibus refrigeratis, debilitatis, calorem revocat et virtutem naturalem instaurat, ut officia rite exsequantur. Totum igitur habitum corporis firmum reddit, humorum redundantiam minuit et ad naturalem siccitatem reducit. Propterea vero non omnibus constitutionibus tum hominum tum coeli hoc medicamentum idoneum est. Convenit proprie in humidis atque frigidis; aestate non bene fertur, neque in habitu sicco, bilioso, impuro, quia putredo propter calorem excitatum adaugetur ac febris nimium inde effervescit *).

§. 76.

Postquam ostendimus, qua ratione Galenus febribus mederi conatus sit, quibus ut familiaris comes phrenitis, vel lethargus accederent, superest, ut jam particularem harum affectionum curationem a febris medela sejunctam illo auctore cognoscamus. Et huic quidem utrique malo incipienti statim convenit venae sectio, si vires satis validae sunt, ut sine noxa illam perferant, ac si non

59) In Hipp. Epid. III, 3. c. 58.

*) De theriac. ad Pison. c. 13 — 16. — L, ad Pamphilum.

prohibent, quae conditiones universim venae sectioni adversentur: largus cruditatis apparatus, vel aetas puerilis, vel tempus anni, vel regio maxime aestuosa, aut frigida. Commune etiam utrique est, circa principia oxyrrhodinum [60]) applicare; repellendus enim a capite humor est, qualiscunque exstiterit, et influxus ejusdem coërcendus ab initiis; in vigore autem morbi ita oportet per halitum digerere, ut irritatio atrocior praecaveatur [61]). Conducunt autem in repellentibus adstringentia medicamina, tum quod robur parti laboranti addunt, unde minus pateat affluxui; tum quod humorum, qui in ipsa contenti jam sunt, tenuissimum extrorsum discutiunt. Dein ubi congestione sublata, densitas quaedam adstringentium usu in parte est relicta, quae crassiora detineat; jam relaxatio tempestiva instituetur, qua, quae ex fomite intus restiterint, emittas. Utrique consilio oxyrrhodinum idoneum est [62]). At vero ubi graviore cum dolore impetus causae morbificae inciderit; neque aqua calida, neque oleum, neque cataplasmata triticea opportunitatem habebunt, tametsi levamen quoddam statim afferre videantur. Satius tunc erit, doloris vehementiam mitigare rosaceo, passo ac paucula cera, cum his ambobus liquata, et his quidem lana succida exceptis utendum est aestate frigidis, hieme tepidis [63]). Quae vero amplius adhibenda veniant, diversa sunt, uti affectus bifariam differt. Ad somnum enim componendi, qui vigiliis, et excitandi, qui soporibus urgeantur. Illis in vigore pathematis caput irrigetur decoctione capitum papaveris, et similibus pharmacis frons et nares perfricari possunt, id vero cum cautione, ne lethargus hisce stupefacientibus provocetur [64]). In contraria autem laesione acetum herbarum aromaticum ad nares admovemus, ad cerebri facultatem

---

60) Vid. supra. p. 61.
61) Simpl. med. fac. L. III. c. 17.
62) Meth.med.XI, 15.
63) Ad Glauc. L. II. c. 2.
64) Loc. aff. II, 5.

suscitandam et humorem, qui ibi congestus est, discutiendum. Deinceps palatum etiam fortibus et acribus medicaminibus fricare oportet; serius autem sternutatoria in usum utiliter vocantur. Et capiti ipsi remedium imponatur, quod simili efficacia polleat, adeoque sinapi, idque tanto fortius, quo magis morbus protrahitur. In utroque autem vitio, phrenitide et lethargo, ubi diutius morbus perseverat, cucurbitula admovenda est, et castoreum utiliter propinatur, quod concoctionem residuae materiae adjuvet, ita ut in declinatione ad unam eandemque curationem oppositi illi affectus iterum conveniant [65]).

ORIBASIUS, AËTIUS AMIDENUS, PAULUS AEGINETA.

§. 77.

Mox a Galeno tempora illa ingruebant tenebricosa, inculta, ut universae scientiae humanae, ita maxime arti nostrae inimicissima. Quibus ingenium singularis viri vel ideo potissimum videtur affulsisse, ut propriam aetati jacturam, animorum servilem egestatem et depressionem, tanto luculentius patefaceret. Galenum enim omnes intuebantur, addictissima reverentia prosecuti, non tantum ut imitatione dignissimum, etsi, supra aemulationem quamcunque, altius eminentem magistrum; sed plerique etiam ut sanctum quasi canonem ejus scripta adorabant, a quorum effatis dissentire nefas haberetur; quae religio per secula postmodum insecuta longe magis confirmata, quam obsoleta evasit. Verumtamen obstabat confusio rerum et orationis supra notata prolixitas, quo minus illius scripta satis commode relegerentur et doctrina promte addisceretur; quare haud indignum opus

---

65) Meth. med. XIII, 21; vid. supr. 59 ss.

nec supervacuum laborem complures duxerunt, in ordinem aptiorem redigendi, quae plurifariam dispersa apud auctorem haberentur, et contrahere, quae effusa loquacitate illic conserta et iterum iterumque recocta prostarent. Aliunde vero decerptis floribus contenti supersedebant fere, modesti vel ipsi sibi diffidentes, propriae experientiae laudibus merendis: vix unus, de quo seorsim dicetur, genii dominantis hanc iniquitatem quadantenus superavit. Ob hanc quidem rationem Oribasii, Aëtii et Pauli quae exstant collectiones hic loci non injusto silentio praeteritae fuissent, nisi, praeterquam quod passim certius definirent, quae apud Galenum vel obiter vel verbose quidem sed obscurius notata essent, utilia etiam suppeditarent nonnulla, quae vel ex ipso auctore hausta commode alicubi inserendi in superioribus opportunitas data non fuerit, vel quae ex deperditis libris ipsi memoriae digna conservarent. Hinc novacula aliquot, passim proprio etiam ex penu adposuerunt, eaque minime contemnenda. Ceteroquin et ipsi alter alterum exscribebant, ut Paulus Oribasium et, in partibus praecipue huc spectantibus, Alexandrum resonat; unde tanto minus exspectari possit, integram et sinceram ex illis conscriptionibus Galeni doctrinam hauriri.

Quae vero ad febrem, de qua disserimus, attinent, ea apud illos partim de febribus putridis, de causo, partim de phrenitide, lethargo, comate vigili, catocho, partim de peste referentes, partim alibi locorum licet relegere. Circa pestem quidem Oribasius, Aëtius et Paulus ad verbum consentiunt, quum ex Rufi commentariis, qui in deperditis sunt, rem repeterent. Scilicet in affectu pestilenti, ajunt, omnia existunt gravissima, neque quidquam ut in aliis morbis singulis occultatum est. Etenim deliria adsunt, vomitus, praecordiorum intentiones, sudores effusi, extremorum algor, alvi profluvia biliosa, tenuia, flatulenta, urinae aquosae, tenues, biliosae, nigrae, hypostasin et suspensa pessima

habentes, sanguis e naribus stillans, prorumpens, pectoris aestus, lingua torrida, sitis, tristitia, vigiliae, convulsiones, ulcera et alia multa atrocia. — Quod ab initio pro miti et benigno imponebat, id terrificum morbo decurrente evadit, et quae signa in aliis specie similibus morbis pro funestissimis merito habebantur, ea certam mortem in peste non ubivis pronuntiant, et ex statu apparenter deplorato aeger salutem subinde recuperat. — Praevidere luem licet ex iniquis anni temporibus, vitae studiis sanitati minime congruis, ex praecedente interdum animalium interitu [66]). Statum aëris et cetera qui intelligit, non solum morbos ex unaquaque conditione futuros praesagiet, sed etiam ne caput extollant, prohibebit, contrarium potentiis nocentibus victum et regimen accommodando. Quae igitur corpora morbo alicui ex propria intemperie vicina et maxime praeparata sunt, ut a simili aëris circumfluentis statu laedantur, tali ritu salva praestantur. Quae vero contrariam coelo temperiem obtinent, praeterquam quod nullam ab epidemico genio offensam patiuntur, etiam in melius convertuntur, dum repugnans aëris immoderatio temperamenti insolentiam coërcet et frenatur. Sic valetudinem medicus tuebitur, contraria corpori inducens, modo refrigerans (ubi calor exsuperat et irritatio) aqua superinfusa, otio, inedia, potu largiore; calefaciens autem, ubi segnior vitalis motus est, operimento, laboribus, cibo liberaliore et interdum parciore [67]). Simul etiam tum arcendi, tum sanandi morbi causa ventris habenda est ratio. Quibus sordes in ventriculo geruntur, ii vomitu purgandi sunt; quibus sanguis redundaverit, vena secanda; prodest etiam per urinas purgatio nec non per alias excernendi vias. Si aestus urget vehemens et pectus maxime oc-

---

66) Oribas. Synops. L. VI. c. 25. Aëtius, Tetrab. II. s. 1. c 95. Paulus Aeg. II. c. 36.

67) Paulus l. c. 35.

cupaverit, refrigerantia convenit thoraci adplicare, et potionem frigidam offerre, neque haec paulatim, nam magis hoc pacto exaestuant, verum una vice ac semel admoveantur, ut flammam exstinguant. Quibus vero ardor interiora occupaverit, extremis algentibus, cum praecordiorum contractione, alvi fluxu colliquativo, vomitu effreni, lingua aspera, vigiliis, delirio; illis calefacientium (irritantium externorum) ope calor per totum corpus diffundendus est atque foras protrahendus. Commendat auctor in eundem finem celebre medicamentum ex aloë, gutt. ammoniac. et myrrha, cum vino odorato subactis, idque ad fabae dimidiae copiam quotidie exhibendum. Haec ex Rufo [68]). — Monet autem Aëtius alio loco, quasi ut Rufi haec praecepta accuratius definiret, ut cautelae observentur in exhibenda frigida ad febrem ardentem necessariae [69]), vetatque in principio et augmento morborum propinare, sed, praeeunte Galeno, tum primum convenire docet, quando praeattenuatos humores roborata per frigidae potionem natura aggrediatur. Pauloque inferius [70]) assiduam epithematum frigidorum ad pectus et ventriculum applicationem vitandam esse subjicit, et calida eadem superhabita videtur praeferre. Aliquando post cibum aquae frigidae pauculum sorberi jubet; atque in totum praefert in potu lacteum teporem. — In phrenitide pestilenti idem commendat linimentum ex oleo sabinae, aqua et nitro; idque, etsi paulo temperatum etiam a recentioribus in simili casu usurpatum est.

In cura febrium putridarum, phrenitidis et lethargi docenda circa momenta praecipua Aëtius, Oribasius, Paulus inter se conveniunt, Galenum [71]) fideliter exscribentes, nisi quod ab Alexandro [72]) Paulus [73]) haud

68) Oribasius, Aëtius ll. cc. Paulus II, 36.
69) Tetrab. l. c. c. 72.
70) Ibid. c. 78.
71) Cf. supr. §. 73—76.
72) Vid. §. seq.
73) L. III. c. 6. 7. 9. 10.

pauca repetiit. Suadet idem, ut in acutis morbis, velut lethargo et reliquis soporosis affectibus, sinapi per initia quidem cruribus inducatur; deinceps vero, ubi radices materia egerit, capiti. — Porro quibus tam segnis et obscurus est febrilis motus, ut vix ullo modo queant incalescere, pigris itaque constitutionibus, crura et inguina eodem medicamine oblinantur. In iis vero, qui continua febre laborant, ulcusque habent, tum in cartilaginosis, tum locis excarnibus, vitari sinapismus debet, nam partes ejusmodi a sinapi obducto uruntur, interdum etiam nigrescunt. Idem timendum est, quando non persentiscunt aegri, sui non compotes; saepius itaque detrahendus sinapismus est, et spectandum, ne immodica inflammatio ex eo concitetur [74]).

ALEXANDER TRALLIANUS.

§. 78.

Istis triumviris exscriptoribus longe praestantior excellit Alexander, dignus, qui peculiari loco gratam meritorum nanciscatur expositionem. Nam quantumcunque antiquis et maxime Galeno in acceptis referat, tamen in edenda sua sententia ingenuam prae se fert libertatem, ut saepissime etiam cum illo dictatore medicae scientiae discordet, neque, ut ipse profitetur, contradicendi, sed solo veritatis sustinendae studio permotus. Etenim hoc est, quo ceteris, qui modo praecedebant, vel secuti sunt, superior evadit, quod privatae experientiae fundamento nititur, ac de suis repertis haud pauca ad medicinam addidit sedulo consideranda; adeo ut vel circa formam operis et enarrationem rerum ingenii constantia non minus quam praxeos proprietas manifestetur. Longum foret, si virtutes auctoris speciatim enarrare velimus, quem a Freindio, Hallero et aliis eru-

74) Paulus L. VII. c. 19.

ditissimis viris abunde commendatum habeamus; opus vero est, ut de re nostra quae prodiderit, brevibus quidem, sed fideliter referamus.

In theoria putridarum febrium [75]), ut ceterarum generatim, sequitur Galenum, ita quidem, ut ubivis ingenua auctoris meditatio pateſiat. Monet, ne in continentibus opportunitatem agendi praetermittamus neglectam, sive sanguinis missio, sive purgatio requiratur. Timendum enim, ne febres vehementiores evadant, putredo augescat, et vires imbecilliores reddantur, nec febris magnitudini superandae, nec magnis ad curationem praesidiis ferendis amplius sufficientes. — Indicatur sanguinis missio urinis rubris, turbatis et putridis, acribus: oculis biliosis et rubris, totius corporis gravitate, venis latioribus, earumque torulis quam antea tumidioribus; ceteroquin causis praecedentibus, siquidem humorem haec redundantem arguunt, praecipue victus ratione calidiore, lauta, vinosa. Multi etiam ex inedia aut ira in ejusmodi febres inciderunt, aut ex haemorrhoïdibus retentis, alii ex plethora et biliosa diathesi.

Itaque ubi plethora cum intemperie sanguinis orta est, venae sectio convenit; similiter etiam biliosis, quibus crassior ille existat, copiosus, turgens et ad purgationem idoneus. Permittendum enim non est, ut materia propter copiam et crassitiem meatibus infarciatur et putrescat; hinc utiliter imminuitur, ut restituta perspiratione intus latitans fomes tanto efficacius discuti possit. Quod si venae sectio locum non invenit, propter vires imbecilliores aut formidinem quandam aegroti, victu refrigerante, humectante, nec non attenuante ac citra calorem diffundente, cura gerenda est. Postquam vero tali instituto materia multo imminuta apparuerit, et concoctionis notae prodierint, audacter aqua frigida exhiberi potest, idque potissimum, si aeger ejus usui assuetus

75) L. XII. c. 2.

fuerit, neque inflammatio, praesertim circa diaphragma, neque scirrhosus tumor, vel laxus (*οἴδημα*) in aliqua parte subsit. Ex his enim si quid locum habuerit, vitanda aquae potio est [76]).

Febrium ardentium [77]) duas species dignoscit; alteram veram, exquisitam, in qua omnia appareant vehementia, quae ejus febris symptomata in superioribus passim enumerabantur; alteram falsam, minus intensam quidem; cum excrementis alvi non biliosis, sed magis corruptis, sapore minus amaro, quam salso vapidoque, periculo autem majore, quam febris germanae ipsius. Illi quidem potio frigida magis convenit, aliaque omnia, quae refrigerare etiam extrinsecus facultate vel actu possint; huic vero, quippe cui ex pituita origo est, potio frigida exhiberi non debet, neque alia actu refrigerantia; praeferenda potius tepida, ut epithemata ex seminibus farinosis, adjecto meliloto, vel chamaemelo, vel oleo eorundem, vel rosaceo, quamvis et exquisitae ardenti, sed minus impense, haec conducant.

Ceteroquin, quas febres ex sanguinis intemperie ortas cognoveris, statim per initia, uti dictum est, venae sectione, quas vero ex bile, purgatione melius curabis, siquidem ad discedendum materia proclivis videatur, nec febris vehemens fuerit. Peracute et utiliter auctor subjicit, se etiam acuta febre laborantem purgasse; verum hujusmodi usus, addit, multam diligentemque animadversionem requirit, et medicum, qui animo fuerit confidenti.

In omnibus promiscue ptisanae cremor idoneus existit; isque in ardentibus exquisitis etiam refrigeratus conceditur, cum epithematibus refrigerantibus, aquosis, herbaceis. Oxymel autem his minime convenit, neque decocta multiplicia; sed cum vigiliae diu conflictant, medicamentum ex papaveris capitibus propinandum est,

---

76) Cf. Paul. Aeg. II, 28. 77) L. XII. c. 3.

quo somnus inducitur febre simul obtusa. Quodsi vero in spuria febre ardente eaedem cum mentis alienatione obtinent, nonnisi cum pauxillo apomelitis permixtum conducit. Sic enim cavebitur, ne torpor et segnities (frigiditas) materiae augeatur.

In illis, quibus ex crudorum humorum copia syncopes periculum exoritur, frictionis usum, quem Galenus in hoc statu cum abstinentia, ut unice conveniens medicamentum commendaverat, noster coërcet, ac ne immoderatius adhibeatur, monet, quandoquidem vires inde tanto magis dejiciantur; etiam cibi plusculum concedit, ut aeger sufficiat. Etenim labor frictionis non convenit, ubi fames est. Curandi potius sunt, praecipue satis adhucdum robusti, attenuantibus, ut victu parco: ubi copia suppetit, sanguinis modica detractione, et cavendum simul, ne humores crudi rursus in corpore redundent; tum enim vires conservari, tum crudi humores probe concoqui poterunt. Vinum non inepte exhibetur tenue, quodque in corpus facile et cito distribuitur, neque manifesto adstringit, neque dulcedinem obtinet, non nimium recens, neque vetus, sed album et subfulvum, minime nigrum. Balneum hisce non utile est; etenim materia, quum crassior sit et copiosa, nondumque extenuata nec ad discutiendum promta, inde magis meatibus infarcietur et febres augebit. Verum ubi attenuati humores et concoctionis signa conspicua, ita tandem lavare aegros et cibo leviter calefaciente alere oportet; serius valentius nutrientia suggerantur.

---

§. 79.

Phrenitidem duce Galeno Alexander distinguit [78]) a delirio simplici, quod in febrium accessionibus vulgo compareat, remittentibus autem iisdem desi-

---

78) L. I. c. 13.

nat; est enim iste affectus, certe ubi exquisitus existit, a materia cerebro vel ejus membranis infixa. Futurum praecedunt vigiliae potissimum continuae et intensae, somni turbulenti, inquietudo ac repentina exsurrectio, insomnia quibusdam obversantia, interdum cum tali animi exaltatione, ut futura perspicere sibi videantur, ac praedicere velint. Nonnulli verborum modo factorum cito obliviscuntur, et ab aliis ad alia in sermonibus praeter rationem convertuntur, eorum quae ab initio injuncturi erant, obliviscentes. Vel quum respondent, insolitam iracundiam vel ferociam ostendunt; respiratio eis magna et crebra est, pulsus parvus, durus, dolor occipitis haud infrequens.

Quando incrementa capit malum, aegri fixis oculis cernunt, iisque admodum rubris et squalidis, lacrimosis; mox vero floccos carpere incipiunt et festucas legere; nihil, vel incongrua, vel obscura respondent; lingua scabra est, et febris siccior; intremiscunt interdum, aegre persentiunt, ut etiam, quum ipsi excitantur, vix aut nequaquam exaudiant. Febris adest perpetua, caput calidius apparet, ac sanguis e naribus destillat. His maxime signis phrenitici ab iis proprie dignoscuntur, qui ex partium consortio delirant, e. g. ex diaphragmatis affectu; iis quidem praecordia calidiora sunt, spiratio vehementior et admodum inaequalis. Alii, quos falsa phrenitide laborare auctor statuit, comate vigili detinentur, rursusque paulatim delirant, ac signa offerunt torporis (pituitae) et excitationis permixta. — Ubi vero morbus protrahitur, ac vires paulatim auferuntur, alia species pathematis supervenit. Scilicet qui antea turbulenti fiebant ac furibundi, tamquam bile cerebrum irritante, jam hecticis febribus similiter, aequabili quasi temperie per cerebrum dispersa, taciti jacent, viribus dejectis, immoto decubitu, manus solummodo inordinate jactitantes, quasi quaerant aliquid, oculis semi-apertis, pulsu debili, duro, exiguo, angusto. —

In cura morbi edocenda admodum disertus noster est. Omnibus proprie phreniticis, si vires robustae sunt, neque aliud quidquam prohibet, sanguinis detractio primum et maximum praesidium habetur. Quodsi ex brachio mitti propter incontinentiam aegri non potest, venam frontalem aperiri auctor jubet, praeeunte Heraclide et aliis. Ipse tali auxilio egregie quondam adjutus est. Post sanguinis missionem parti laboranti localia medicamenta admoveantur, praecipue oxyrrhodinum, quo, ne caput plus materiae attrahat, cavetur. Aceto autem, quae mitigant et somnum conciliare valent, admiscentur. At quum morbus viget, et vigiliae mentisque perturbatio urgent, largior oxyrrhodini usus conducit, adjuncto chamaemeli, capitum papaveris, serpylli, hederae decocto: simul odoramenta conveniunt et unctiones, ut somnus accersatur. Symptomatibus nihilosecius perseverantibus medicamentum ex papaverum capitibus paratum (diacodion) utilissime propinatur, quo cerebri irritatio lenitur, et febris simul mitescit. Eo vero adminiculo non aliter noster utendum esse censet, nisi admodum urgente malo; ac praesertim, ubi exquisita phrenitis non fuerit, sed, ut ait auctor, pituitae nonnihil bili admixtum, tunc prorsus abstinendum ab eo est, uti ab omni medicamine, quo sopor torporve efficaciter queat adduci. Quam maxime vitandum erit, ubi vires quoque debiles fuerint, nam mortem iis tali potione poteris inferre.

Probe consideranda est habitationis ratio. Aër ne admodum crassus sit, neque humidus frigidusque, vel nimis calidus, providendum, ne meatuum in cerebro constipatio vel repletio superveniat; sed temperatus is sit, cubiculum potius lucidum, quam tenebrosum, ut aegro, acute monet auctor, per hujus sensum perceptio consuetorum et conscientia contingat. Quare et amicissimi nonnulli eidem assistant, quos etiam increpantes ipsum propter ea, quae facit, revereatur: absint, quicunque molesti ad indignationem eum possint proritare. Neque

vero amicorum frequens conventus fiat, ne tum turba excitetur, tum aër corrumpatur.

Motio violenta omnis vitanda, conducit autem lenis; adstantes aegri membra citra vehementiam contineant, leniterque perfricent, praesertim inferiora. Ubi convulsiones obortae fuerint, artus inferiores utiliter deligantur, fotu ac frictione praegressis; hinc enim materia deorsum revocatur, et nervorum distentiones remittuntur. Nihil autem facere convenit ante febrium declinationem; eaque omnia longe ante, quam accessio exspectetur, praestanda.

Jam vero et cucurbitularum opportunitas enascitur, et ipsae ante exacerbationem applicentur, scopo revulsivo. Simili modo epithemata juvant, eaque non nimis frigida, potius tepida. Plurimum nocent calida; nam, viscera immoderatius exaestuando, materiam subito et universe commovent, ut sursum congesta caput admodum repleat, aucta inde mentis perturbatione, nonnunquam sopore (caro) adducto; ita ut rursus iis opus fiat, quae excitare possunt: sternutatoriis, frictionibus. Itaque validiores fotus visceribus non conveniunt, praesertim ubi febris vehementior et copia humorum et capitis affectus major. Commoda vero iisdem sunt emollientia, lini semina hydrelaeo incocta aut chamaemelo permixta, tepida; his fervor mitigatur et distentio, simul febris compescitur.

Magni momenti est victus sedula administratio. Detur autem solus ptisanae cremor, forte, si non libenter assumatur, ad saporem gratum conditus hydrorosato, vel rhodomelo (confectione cydoniorum cum rosis parata). Absint vinosa omnia et oxymel. Laudatur etiam avenae cremor et panis aqua calida intinctus; ex oleribus: intybus, et malva cocta, interdum cruda, cucumerum et peponum medulla. Concoctione peracta pisces concedi possunt. Poma succulenta rarius exhibeantur. Potio autem crebra sit, aqua tepida paulatim hausta;

frigida non tuta est, praecipue in inflammatione aliqua interna multum anceps. Etenim, etiamsi mitigare nonnihil videatur, majores et malignas febres excitat, et mentis alienationem auget, omniaque in pejus convertit. Interdum hydrelaeum nostro profuit, in quibus aegrotis siccitas immodica, bilis ad superiora tendens et alvi excretio tardior esset; viditque ex eo calorem mitigatum, viscerum intensiones et inflammationes relaxatas, biliosa per alvum et vomitum excreta, et morbum cito abstersum. Etenim quotquot aegro admoverentur remedia, tunc omnia administrabantur, quum totum corpus recrementis esset vacuum. Facta autem vacuatione, lotio convenit et inunctio, quandoquidem siccitas et vigiliae plurimae supersunt; neque obstat balneo, certe temperato, febris superstes, dummodo neque aër igneus, neque solium nimis calidum sit. Qui febris metu a balneo prohibent, maxime offendunt; vigiliis scilicet ita perseverantibus et aucta mentis alienatione. Balneo vero utentes ad bonam temperiem revertuntur, et in posterum delirio et affectu febrem incendente liberantur.

Quando multae urgent vigiliae et deliria, vires autem imbecilles sunt, febris neque vehemens, neque ardens est, sed concoctionis indicium in urina apparet; vinum dari phreniticis potest, quod sitim compescat; idque tanto majore cum fiducia, si per sanitatem aeger assuetus vinum amaverat, si ventriculus simul debilis est, et natura sua irritamento eget. His modica vini potio tempestiva est. Nam ferociam lenit, hilaritatem inducens, somnumque conciliat, dum cibi digestionem adjuvat et in totum corpus distribuit. Obstant vino inflammatio fervens, aut calor magnus circa praecordia. Si vero vires ejus usu refectae fuerint, omnia tentare possumus et multifariam aegro succurrere. Quare sedulo perpendendum est, quae noxae et quae commoda ex vino exspectentur; minorque offensio contemni omnino potest propter majorem utilitatem. Universa enim

si moderate, copia, qualitate, ordine et tempore adhibentur, totam artem absolvunt et finem bonam imponunt.

---

§. 80.

Lethargum [79]) Alexander exquisitum et sincerum dicit, quando aegri eorum, quae dicuntur, nequeunt meminisse, et palpebris usque conniventibus, quieti vel soporati decumbunt. Materia mali pituita est, quae, fomiti phrenitico contraria, humiditate simul et frigiditate spiritus animales suffocet et torporem inducat. — Mixta mali materia symptomata etiam mixta eduntur, ut vigiliae et sopores et deliria sese invicem excipiant, eumque statum spurium lethargum, veluti phrenitidem spuriam vocat. Pulsus ipsis rari, exigui, obscuri sunt, palpebrae saepe immotae, mens torpida.

Circa curandum morbum ante omnia spectabit medicus, an venae sectio locum habeat; prae ceteris vires in hunc finem aestimandae sunt et aetas et totius corporis constitutio. Dein parti laesae auxilio veniatur, quemadmodum in phrenitide, et materiae ad cerebrum affluxus cohibeatur; discutiatur autem, quae jam eo decubuerit. Hinc oxyrrhodino caput optime roboratur, potissimum extenuantibus medicamentis temperato, in quibus est peucedanum, castoreum, pulegium, thymus. Ac frontem castoreo illinere convenit excitandi causa, vel pilis crematis et aceto laevigatis.

Quodsi perseverat affectus et aegri difficulter excitantur, sternutatoria conducunt, castoreum, piper, euphorbium, epithymum, nunc inspirando, alias penna ingerendo; verum continuanda haec non sunt, quia vires convellunt, et facile humorum congestionem adaugent. Ceterum crura perfricare et oleo Sicyonio perungere ju-

---

79) Ibid. c. 14.

vat, aut scillam aceto laevigatam eisdem partibus imponere, quibus a somno aeger expergefiat.

Ubi malignus morbus apparet jamque inveterascit, capillos resecare oportet, et caput inungere irritantibus pharmacis, una cum castoreo; convenit etiam potui dare castoreum prae omnibus, praesertim ante accessionem. Inest enim huic praestantissimo medicamento virtus extenuandi, leniter calefaciendi et spiritus refocillandi; optime subigitur oxymelite. Quando excrementis aeger refertus fuerit, duobus scrupulis castorei unus scammoniae scrupulus, aut paulo plus minusve admiscetur, quod pro dosi capiendum est.

Neque solum medicamenta extenuantia esse debent, sed etiam victus talis exhibendus: ptisana cum apio, porro, hyssopo, nisi febris adfuerit vehemens. Si febris magna est, oxymel, vel apii radix offeratur; utilis etiam mica panis ex apomelite vel hydromelite data. Vinosus victus absit, quam diu coctionis expers morbus fuerit. Incepta vero concoctione et lavare prodest et vini paulum exhibere: praesertim ubi sanguis antea missus, vel alvus subducta et totum corpus mediocriter purgatum fuerit. Timendum balneum non est, nisi excrementi copia subsit; nam quae in cute haerent evacuanda, promtius digeruntur moderato balnei calore. Multis noster laudibus balneum extollit, post septem dies admissum, propter egregiam excitandi potentiam, dummodo vires satis bonae appareant; sin imbecilliores sunt, lavandus aeger est, in vase sedens aqua calida repleto, capite vero aquam excedente, ne animae defectus repente superveniat. —

Talem methodum in curanda nostra febre Alexander instituebat, dignus sectator praeclarorum virorum, qui praecedebant. In iis, qui posthac fuerunt, parem habuit neminem, clausitque scholam classicam veteris medicinae, cujus princeps et conditor senex Cous exstiterat. — Pauca serius et tenuia ex priorum libris ex-

cerpsit Nonnus; neque Joannes Actuarius quidquam ad nostram rem videtur contulisse, nisi propterea forte notandus, quod primus inter omnes, quotquot mihi innotuerunt, auctores exanthema petechiarum, cujus apud ipsum Hippocratem nulla [80]) et apud Aëtium [81]) nonnisi ambigua mentio fit, perspicua et indubitata adumbratione descripserit [82]). —

MEDICINA ARABICA, SCHOLASTICA, INSTAURATA.

§. 81.

Interea literae, desertis, quas diu amaverant, sedibus, in Arabum tutelam sese contulerant, jamque inter ceteras disciplinas ars nostra haud infimo loco ibi colebatur. Verum uti seculi genius et studia gentis ad arcana inclinabant et secretas speculationes, ad percunctandas praestigias et reconditas rerum facultates, ad divinationes varii generis, ad vetustos sermones et dogmata intellectu difficilia, arcanum quidquam sapientia; ut intimo quasi mentis intuitu et pectoris coeca fide, quam sensuum integro acumine et observandi studio, phaenomena percipere impensius amabant; ut porro a corporum dissectione abhorrebant tamquam nefaria; non tantopere placuit Hippocratis fida et sincera naturae contemplatio, quam potius Galeni, passim mystica, sub-

80) Cf. Epid. L. I. s. 3. hist. 2. (Sileni.) Ibid. L. VII. hist. fullonis (98), Pherecydis (101), filii Euphranoris (122) et alib. Exanthemata hh. ll. memorata compluribus falso in petechiarum censum delata sunt.

81) Tetrabibl II, 1, 129 (ex Herodoto).

82) Meth. med. I. c. 23. ed. Mathisius: Post urticariae factam mentionem ait: Nonnullae (efflorescentiae) rubrae, aut purpureae, vel etiam nigrae emergunt, quales ex pulicum cimicumque morsibus quotidie nobis apparent, atque hae haudquaquam promte redeunt, dum comprimuntur, utpote quae ex tenuiore paucioreque materia enascantur. Ceterum ex rubris deteriores sunt purpureae, et omnium pessimae nigrae, quippe quae mortem plerumque denuntiant.

tilitas ac doctrinae praegnans et stupenda amplitudo; eumque posthabita fere experientia studebant interpretari, ad quem neutiquam sat praeparati accessissent. Quam ob rem, quod auctorem non rite intelligerent, nemini mirum videbitur; et factum sic est, ut, licet fundamenta totius artis et principes leges doctrinae ei deberent, de suo passim intermiscentes, quasi amplificandi et illustrandi gratia, alienum paulatim habitum Arabes scientiae inducerent; unde in singulis permultis expositionibus Galeni ratiocinium non recognosci non poscet, in toto vero ingenium praxeos Galenicae frustra quaereretur. Non defuit quidem quibusdam inter Arabes practica virtus, et acumen medici, ac profecto singula bona vel adeo ingeniose excogitata apud eos carpuntur, etsi rarius dispersa; circa nostrarum autem febrium notitiam ac genuinam observationem, ab additamentis obcaecatae rationis vindicatam, vix aliquantum memoratu dignum contulerunt; plus enim meruerunt conservando, quae alioquin interitura forte fuissent, quam adjiciendo, quibus solida doctrina vere adjuvaretur et augesceret. Nam siquidem ex chemicis eorum perscrutationibus profecta haud pauca sunt in apparatu medicaminum non contemnenda, et multis auctoribus celebrata; nihilosecius, qualiscunque in aliis morbis eorum praestantia comprobetur, in typhodis certe febris tam variis speciebus instabilis et ambigua eorum virtus adhucdum prostat. Plurimi enim iique et aetate et regione longe dissidentes posthabito illorum usu feliciter omnino morbum curabant. In hoc vero haud dubie nocuerunt chemicarum artium studiosi illi cultores, quod superstitionem, ad quam sane per se jam vergebat seculum, sustentabant, quum ex ipsorum auctoritate artificiosa tam multa ac secreta et mirifica pharmaca usu venirent, simplicibus vero, cum perspicuitate compertis, quasi naturae placito constitutis medicaminibus locum convenientem et honorem dirimerent; unde innumera damna tam aegris,

quam valentibus adhuc, acciderent, et justa ac vere sana medicatio tanto longius prohiberetur.

Ita quidem qui recentioris medicinae scholam aperuerunt, veterum doctrinam acceperant mutilam, alienisque additamentis obnubilatam et perversam. Ipsi vero imitationis servitio ut plurimum detenti ultra Galenum, quem aegre adeo perceperant, vel Arabum auctoritatem sapere nequaquam audebant, illumque tam effuse adorabant, ut celeberrimi viri artisque magistri (uti Massaria) passim mallent cum Galeno errare, quam cum alio quovis recte sentire, idque non erubescerent scriptis pertinaciter profiteri. Tanta erat degeneratio divinae, ingenuae facultatis ratiocinandi, tantus error obcaecati ingenii, tantusque constantis animi abusus. — Qua ex lutulenta farragine etiamsi hinc inde laudabile quidquam apud singulos quidem emergeret, ut in tanta ingeniorum copia ac diversitate aliter cogitari nequit; in universum tamen stabilis scientia et observatio justa paulatim majora detrimenta capiebant. Etenim qui lectionem unius alteriusve ex libris illorum virorum sustinuerit, quibus de morbo nostro disputatur, reperiet maxima ex parte (haud paucis operam dedi) subtiles et controversas disquisitiones, vel enucleationes potius, internae mali naturae, Galeni doctrinam, ut aetas jubebat, sapientes, potissimum de malignitatis natura, de putredine, an aër, an spiritus vitales putrescere possent etc., de differentia specierum interna et externa, itaque de notionibus et terminis constituendis, de usu venae sectionis et purgationis in febre typhode, quam modo putridam malignam, modo pestilentem, modo pestem ipsam dicunt, ab aliis defenso, ab aliis rejecto; argumentis quidem disceptationum fere nusquam ex natura vel observatione duce depromtis, verum inani solummodo et ad fastidium subtili speculatione nec non lectione indigesta suppeditatis. Sed quantacunque opinionum diversitas exstabat, in hoc certe omnes conveniebant, quod promiscue stu-

debant praesidia disputationis ex Galeni, Aristotelis et Arabum aliquot operibus conscribere, serius demum adjuncto Hippocrate; eorumque patrocinium ut suis quisque ratiociniis procurarent, intenti allaborabant. Tali ritu Galenus Galeno opponebatur, Hippocrates Hippocrati, fierique ita non poterat, quin pleraeque lites ejusmodi sub judice relinquerentur. Favebat vaniloquo huic doctrinae abusui inconstantia Galeni, qui per se haud raro sibi contradicat; favebat Hippocraticorum librorum inaequalitas, corruptio et dissensio. Nec facile ipse Galenus, si revivisceret, in istis argumentationibus mentem suam recognovisset; axiomata enim et placita illi componebant et sibi invicem conciliabant, quae Galenus forsan haudquaquam consociasset, et concludebant ex hocce connexu, quae Galenus ratiocinari procul dubio repudiasset. Scilicet ubi in observatis veterum aliquid quasi generatim enuntiatum apparet, re ipsa vero nonnisi de compluribus exemplis vel certis quibusdam, tacite subintelligendis, conditionibus accipiendum est, passim obiter memoratum; hoc universim et ubicunque casuum statuere schola contendebat, cui verba Galeni et Hippocratis veracissimae vaticinationis instar sonarent. Non spectabant ingenii principum virorum libertatem, neque repentinam lucem cogitationis, quae divinitus superveniens mentem humanam regit, rapit, et festinantem calamum urget.

Has vero commentitias scrutationes insuper omittebant ad experientiam revocare, id quod Galenus facere prudens consueverat, cui, ut ignis vel lapis lydius aurum, ita natura rerum et eventus ratiocinia comprobarent; sed in speculationum area velut in vortice circumagebantur. Multis adeo eorum veram doctrinam et uberiorem et assiduam lectionem infuisse dubitaverim, atque tantopere distabant a Galeni copia scientiae, quam a praesagiendi ejusdem felici ingenio ac medendi solertia. Eaque culpa illorum maxime seculorum fuisse vi-

detur, quibus Graecae literae plurimis ignorarentur, et Galeni, ut Aristotelis, opera ceteris auctoribus neglectis, repetita versione ab Arabibus et Latino-barbaris corrupta per doctas manus circumirent. Multi Galenum aut non intelligere, aut integrum non pernovisse videntur; quin etiam meliores alter alterum exscribebant, nec placita illius, quibus suam sententiam defenderent, ex ipsius operibus didicerant, sed iterum iterumque ex asseclarum collectanea facili negotio depromebant, unde factum tandem est, ut locis ex Galeno passim allegatis res, de quibus sermo est, persaepe frustra quaerantur; ut iidem loci, sive genuini sint, sive vitiosi, per multorum libros iterata usque exscriptione ferantur, unde incepta modo aliqua cogitationum serie praevidere liceat, quo et quibus argumentis res sit deventura. Tali methodo usi auctores alienae splendent doctrinae apparatu; propria conductis non nisi sparsim et tenuiter intermiscuerunt. Complures itaque viros licet illa aetate celeberrimos ob hanc causam silentio praetermisimus, ut proposito congruum erat; obiter vero memorabimus, quos doctissimos potius, quam observatores probabiles cognoverimus. Neque enim ubi in libertatem ingenia vindicata fuerant, observatio medica statim in debitum ac pristinum locum restituta est; difficulter etiam meliores emergebant rari nantes in gurgite vasto, ac decimo septimo demum seculo Galeni imperium, quod succussum diu ac magnopere labefactatum habebatur, tandem reapse abolitum est.

---

§. 82.

Igitur ne tam densum agmen auctorum suo tempore praeclarorum sine omni singulorum memoria ac decore meritorum lustrantibus nobis praetereat, parcum quasi spicilegium eorum exhibeatur, quae ex illorum lectione ad praestantiorem doctrinam et ingenuam observandi et

medendi artem redundare visa sint. Etenim spatium non datur praxin totam eorum permeandi, qui sic tantum laudem et admirationem seculi nacti fuerint, quum, quod deberent seculo, tributum liberaliter solvissent.

Pestem, cujus ideam jam supra apud Oribasium etc., certa aliqua morborum specie et symptomatum concursu vidimus circumscriptam, Avicenna mox bubonaceam dicit; venam in ea jubet secari, et acida medicamenta, quemadmodum in variolis, imperat; cibos autem laborantibus porrigit, cum fere convalescant, qui sumunt.

Qui circa initium seculi XV. in illius opera commentatus est, Jacobus a Partibus, primus videtur exstitisse, qui petechialem febrem descripserit ut maculas pulicum morsibus similes [83]).

Alexander Benedictus [84]), recentioris medicinae instaurator, venam in peste secabat, etiam largiter, si vires permitterent; alvum leniter ducebat; cucurbitulam ad bubones admovebat.

Fracastorius [85]) constitutiones Italiae describit petechiales a. 1505 et 1528. Dirus morbus, in insula Cypro antehac notissimus, anno 1501 primum, teste nostro in Italia apparuerat. Ab initio mitis quidem levitate decipiebat, mox gravissimis instans symptomatibus. Larga macularum eruptio salubris evasit, et contra, quibus rarae et sparsae erumpebant, aut ubi erupissent, delitescebant. Tentabantur homines promiscue, perierunt tamen mulieres paucae, senes paucissimi, Judaei fere nulli; juvenes autem et pueri et nobiles multi. — In morbis malignis venae sectionem et purgationem prohibet ob putredinis metum et funestos eventus, quos dictis constitutionibus exinde observarit; utitur hinc qui-

83) Comm. in Avicenn. Can. IV, 1, 4, 2.
84) L. de pestilentia. 1516.
85) De morb. contagiosis. L. III. Ven. ap. Junt. 1584.

dem absorbentibus et bolis, uti Galenus, diascordio suo, quod feliciter et posteri permulti adhibebant, et acidis succis plantarum et siccantibus, velut ob peccantem humiditatem. Omne contagium esse a putredine, a cadaveribus autem ipsum non emanare contendit.

Nicol. Massa [86]) excludendos censet, qui a locis infestis adveniant, servandosque loco clauso per quadraginta dies. Laudat in peste scarificationes, emeticum; raro venam secat. Bubones scarificat, amburit; carbunculos incidit, erodentia admovet. In febribus putridis malignis sanguinem caute posse mitti; interiisse tamen, quibus post diem quartum detractus fuerit. Praefert scarificationes et clysmata.

Ingrassias in peste venae sectionem tuetur, theriacam et calida auxilia. Amuletum arsenicale in pectore gestum laudat. — Scilicet, quum Paracelso auctore causa pestis aër haberetur de natura arsenicali, qui cordis parenchyma vitio suo corrumperet ac vitalem facultatem exstingueret; putabant cor ab infectione tutum praestari, ubi virulentiae illi gestatione arsenici appositi paulatim assuefactum esset; vel etiam venenum ex aëre affinitatis virtute, magnetis ad instar, ab arsenico attrahi, atque ita cor ipsum incolume servari. — Immunes praeterea a morbo perstabant, quibus fonticuli manarent. Purgatio in principiis mali sufficiens magnopere adjuvabat. A bubonibus vix recidiva fiebat, nisi per errorem aliquem commissum. Petechiae ipsis anthracibus magis funestae. Ferrum candens buboni adhibebat; cantharides in carbunculorum vicinia apposuit; sudores medicamentis ciebat.

Jo. Langius in epistolis, quibus multa laudabilia insunt ad rem medicam facientia, pestis curam edocet. Primum alvus, si nonnullos ante initium morbi dies parum vel nihil excreverat, glande vel enemate levi eva-

---

86) D. febr. pestilent. etc. 1530.

cuanda. Postea alexipharmacum sudoriferum propinatur, ut sudor pro ratione aetatis ac virium duas, tres et plures horas promoveatur. A sudore hora sexta vel septima, refectis tamen aliquo jusculo viribus, vena inciditur; mox alexipharmaca cum succis acidulis et alterantia dantur. Declinante morbo, si appetitus languet, ad reliquias morbi exstirpandas, lenitivum medicamen optime offertur. Ulceris aut carbunculi consolidatio non festinanda. Bubones cito ad maturitatem perducendi et jam prius aperiendi.

Crato (1554) de more seculi in peste aromata, diu quidem in hunc usum vocata, arsenicum in amuleto suspensum, purgantia, lapides pretiosos, alexiteria et fusissimas praeservatorias formulas commendat. In curatione morbi ipsius venam, sed caute, secari permittit, alvum lenibus medicamentis ducit, theriacam exhibet, camphoram, alexipharmaca, bolos, aurum. Bezoardicus tamen lapis parum profuit.

Jul. Palmarius [87]) auro in peste multum tribuit, et bolo et theriacae. Evasisse, quibus alvus stricta fuerit; periisse, quibus laxa. Coriarios et virgines, quae in nosodochiis humiliora servitia obeunt, a peste minus infestari. Stibium in eodem morbo multis exitio fuisse. Pestis Parisiana, in qua saevissimus esset capitis dolor.

Fr. Vallesius [88]) a. 1557 febrem perniciosam refert regnasse cum maculis, nigris certo funestis, non quidem rubris. Morbus olim rarus, nunc frequentior. (Tabardillo Hispanorum.)

Gabr. Fallopius in peste picam vidit bubone laborantem. Interdum febris exigua erat. Nauseam ut fatalem cognovit, et lividum in urina circulum, et vellicationem narium. Vidit etiam in peste vesicas per universum corpus efflorescentes, citrino plenas humore. Venae sectio nunquam non funesta fiebat. Rheum in

87) De morb. contagios. L. VI. 88) Comm. in Hipp. Opp.

constitutione anni 1555 utiliter dabatur, manna et tamarindi. Laudat praeterea amuletum arsenicale, bolos, theriacam etc.

Ambros. Paraeus in peste a. 1565 omnes ait periisse, quibus sanguis missus et alvus mota fuerit, utrumque tamen remedium turgente materia in principio morbi primo admitti posse (L. de peste). Sinapismos laudat, amuletum cum arsenico, acetum. Petechiarum eruptionem unguentum mercuriale adjuvat. Ad bubones cucurbitulas et vesicatoria utiliter adhibentur. Bubones immaturi aperiendi. Solis alexiteriis evadebant aegri. Luna decrescens peste decumbentibus saepe fatalis.

Cornel. Gemma. Febris epidemica pestilens a. 1574 hemitritaeae adfinis, sudoribus juvabatur. Antimonii usus nocebat. Interdum pustulae rubrae erumpebant. Erant aegroti, a quibus febris omnis abesset, qui tamen viribus exstinctis quarto die perierunt. (Febris hectica maligna Galen.) Venae sectio nocebat, alvum leniter laxantia et acetum conducebant. Lenticulas bubonibus in peste vera, in quam ille morbus aestate invaluit, magis periculosas esse, etsi minus contagiosae sint. Cadavera magis inficiebant, quam aegroti. Ante diem tertium plerumque nullum symptoma gravius coortum; tunc vero sopor levis et inquietudo, maculae die quinto. Quarto die vesicatorium et fonticuli ad avertendum morbum non inefficaces.

Jos. Quercetanus cucurbitulas in peste laudat et cauteria, venam secabat in principio solo et robustis. Acida commendat, et sudorem ciendum.

Thom. Jordanus [89]). Lues Pannonica cum cephalaea atroci, ab Hungaria in Germaniam perlata, non idem cum petechiis Italorum malum, nec tamen longe diversum, hic primum describitur. Contagio morbus communicabatur. Petechiales vero febres minus conta-

89) Pestis phaenomena. 1576. 8.

giosae, non facile aedibus excedunt vel ad vicinos propagantur. Contagium ex vivo corpore majus enasci, quam ex cadavere, contra L. Joubertum contendit. Pulsus saepe sanorum similis. Morbus ille Hungaricus contagiosus cum summo ad frontem dolore et ventriculi morsu, cum maculis et vespertinis exacerbationibus. Salutaris exstitit diarrhoea. Ab eo malo pedum gangraena, et artus funesto eventu amputati. Terras medicas noster laudat. Venae sectio non temere adhibenda, succus sedi cum aqua propinandus.

Fr. Alphanius [90]). Quum a. 1576 constitutio maligna magnam Europae partem vastaret, pestis vera, cui admixta febris petechialis esset; in signis contracti contagii animadvertebatur, quod nuper infecti oculos ad coelum elevare non possent. Medicamenta laudat valde composita, pro seculi genio; arsenico tamen tamquam amuleto uti vetat, ut qui ex eo auxilio mortem repente supervenisse viderit. In principio febris pestilentis laudat cathartica, etiam frigidae potum. Carbunculos amburi jubet.

J. Bapt. Gemma [91]) medicamenta calida solum exhibet et antidotos. Amuleta spernit. Bubonum eruptionem juvat frictionibus, carlinae decocto, elixir. propr. Paracelsi; ita sudorem movet. Cataplasmata imponit buboni aut unguentum diachylon; suppuratum aperit. Carbunculum amburit, cucurbitulas toti applicat scarificatas, circulum incidit et carbunculum exstirpat. Venae sectionem spernit.

Sylvius Facius [92]) pestem contendit non necessario contagiosam esse, interdum experimento instituto non infecisse in vestibus, quadragenariam hinc seclusionem supervacaneam institui.

---

90) De peste et febre maligna. 1577. 4. 1618. 8.
91) Meth. curand. bubon. carbunculique pestil. 1584, 4.
92) Paradossi della pestilenza. 1584. 4.

Petr. Salius Diversus [93]) negat fomitem pestilentis febris in putredine esse, negat focum in corde positum, cum possit in crassis intestinis sedem habere. Nec necessario febrem esse continuam, sed posse etiam intermittere. Urina interdum in initio sani similis. Interdum sanguis per alvum decedit, fere niger et subinde foetidissimus, etiam faeces copiosae foetidaeque. Sudores saepe colliquativi. Aërem a tormentorum bellicorum explosione posse emendari. Venae sectionem rejicit; sed hirudines et scarificationes laudat, etiam quando vires languerent. Vesicatoria feliciter adhibuit. Alvum mitissimis laxandam, praecipit; ubi convenit, alterantibus, concoquentibus praemissis. Inde antidotos ex cantharidibus exhibet, theriacam, mithridaticum. —

Haec breviuscule notasse sufficiat, ne omnino reticeatur, quaenam fata curatio morbi etiam apud singulos auctores tam longo temporis spatio subierit. Si quidem non nisi exigua haec erant, paulatim accrevit virtus et copia observatorum, ita ut operae pretium jam sit, accuratiorem inter insequentes comparationem instituere. Prodeat autem praestantioris hujus ordinis dignissimus dux et observator praestantissimus

PETRUS FORESTUS ALCMARIANUS [94]).

§. 83.

Vidit a. 1553 febrem maligna m contagiosam, verminosam, cum symptomatibus pessimis, typhode statu, alvi fluxibus, syncope; praecipue mulieribus infestam. Sanguinem mediocriter detraxit in constitutione apta et plethorica, dein julapia acidula exhibuit, medicamentum lenitivum, ubi alvus non satis respondebat, clysmata; contra alvi fluxus malignos cum fatali debilitate compli-

---

93) De febr. pestilent. Francof. 1586. 8.

94) Observationes medic. L. VI. Lugd. 1593.

catos, cornu cervi ustum cum decoctis leniter aperientibus. Cibos suppeditavit, faciles, gratos, et obtrusit renuentibus, nam moriebantur, qui pastum inire nolebant [95]).

Pestilentibus febribus non una eademque natura particularis est, sed varia pro natura constitutionis, temporis et praesentis et praeteriti; ideo diversa nomina apud diversas gentes obtinuerunt. Est aliquando febri ardenti similis morbus, cum pulmonis, vel ventriculi peculiari affectione; aliquando cum sanguinis sputo incipit, aliquando subito vitae facultatem prosternit, ut sudor Anglicus.

Febrem popularem alium secutus auctorem describit, quae 1545 pestilenti saevitia juvenes praecipue robustos adoriretur contagiosa, Gallis dicta Trousse-galant. Incedebat cum phrenitide et lethargo, vermium maxima copia per vomitum cum diris cruciatibus egesta. Plerisque efflorescebant exanthemata, in principio quidem infausta, in declinatione vero tuta et salutaria. Cura instituebatur sanguinis larga missione, ad animi deliquium, quibusdam repetita, tum propter tempus anni vernum, tum propter aetatem et propter materiam peccantem. Profuerunt etiam cucurbitulae. Post venae sectionem medicamentum leniter laxans, si materia haerere videretur in primis viis; dein digerentia, refrigerantia exhibebantur, subinde etiam cardiaca aliquot. Ubi coctionis signa apparebant, potio purgans, scilicet circa finem status propinata. Morbus plerumque die quarto aut undecimo terminabatur.

Pestis Delphica a. 1557 [96]) nata mense Junio ex magna annonae caritate et corruptis frumentis, saevissima, contagiosa sub auctumnum et hiemem invalescens, nullique aetati ac sexui non infesta. Paulo ante apparuerunt multa exanthemata, praesertim in pueris, sine

95) Obs. L. VI, 4—6. 96) Ibid. 9 ss.

peste. In atmosphaera observati sunt ignes in plateas frequenter delapsi et stellae cadentes, praesagiebant et multi abortus, levissima causa contracti. Corripiebantur prae ceteris plebeji, pauci ex optimatibus. Etenim ex penuria rerum corpora illorum ad concipiendam luem magis praeparata fuerant, maximeque contagione afficiebantur, qui excrementis abundarent ex crapulis et comessationibus; ob hanc causam pueri voraces plurimum periclitabantur. Senes rarius morbo petebantur, praecipue, quibus habitus densus esset, ceteroquin quia frigidi sunt et parum patent irritamentis, et vitae optimam rationem instituunt.

Momenta conficiendae pestis tum externa tum interna, diligentissime noster persequitur. (Ib. in Scholiis.) Pestilens morbus omnis, qui ex occulta malignaque causa quasi coelitus demissus est, gravior evadit in regione putridis inspirationibus infecta, quam in sicca atque pura, rursumque gravior aestate quam hieme, et austrina tempestate, quam aquilonia, et inaequali intemperatoque coelo, quam temperato et aequali; utpote concurrentibus tunc morbi efficiendi momentis. Quare in summa gravior est popularis lues, quae epidemiis aut endemiis constitutionibus permiscetur, quam quae pura solaque existit. Etenim hae pestem solam non inferunt, ad ipsam tamen non parum praeparant et excitant. Haec causa est, cur una pestilentia non omnes regiones nec omnes homines peraeque infestat. Perniciosius enim tanguntur austro objecta, calida et humida, tetris expirationibus infecta, alta atque patentia; quam mediterranea, aquilonia, sicca, pura et contecta. Inter homines autem facilius et gravius tentantur, qui calidi et humidi, qui multo scatent humore, putredini obnoxio, qui patentiore et laxiore corpore, cui latiora cutis spiracula sint, quam qui frigidi degunt et sicci, humoreque pauco eoque puro et corpore moderate laxo vel adstricto. Nam nimia laxitas quemadmodum obstructio praeparat ad pestem. In-

terim propria quidem et peculiaris constitutio atque praeparatio, quae loca vel corpore reddat pesti obnoxia, omnino nos latet, neque sensu nec ratione, sed solo eventu et experimento comprehenditur. Multi in peste reperiuntur simplici febre vel continua vel intermittente correpti, qui, licet putridis ac vitiosis humoribus scateant, populari lue (bubonacea) nequaquam polluantur: quare non sola putredine corpus praeparatur. Alii, qui optime sani judicentur, facile pestem admittunt; et qui multorum pestiferorum occursu nihil fuit perpessus, unius cujuspiam, cum quo vel familiae vel temperamenti similitudo fuerit, societate prehenditur. Ad pestem suscipiendam praeter corpus dispositum etiam mora aliqua contactus opus est. Si quis status aëris diu humidus et calidus perseverat, temperamenta corporum calida et humida, ut adfinia, magis inficit; praeterea omnia ab ortu imbecillia, et quae jam aegra exstiterunt, corpora ad pestem contrahendam valde apta sunt, exceptis arthriticis et podagricis, potissimum et iis, quae syphilide infecta sunt et ulcera inveterata habent. At fortia interea si prava victus ratione utuntur, non minus quam imbecillia inficiuntur, adeoque citius aliquando. Obnoxia magis pesti eorum corpora sunt, qui thermas et exercitia frequentant, ob cutis spiramenta dilatata et anhelitum frequentiorem.

In peste illa Delphensi carbunculi exstiterunt permulti, bubones pauciores, minusque lethales; pejores, qui ab initio duriores et admodum magni comparebant, et ut plurimum lethales, praecipue, qui sub alis enascebantur. Nonnulli quoque absque suppuratione post venae sectionem primis septem vel octo horis institutam et pulvere assumto sudorifero, alexipharmaco, per se delitescebant, et aegri promte sanabantur. Paucissimi absque bubonibus et carbunculis visi sunt, paucis vero iidem ante febrem exorti sunt, vel anthrax sine febre in parte ignobili; hi vix decumbebant et facile ab initio restitue-

bantur. Alii mox a febre incipiente subito exstincti. Omnibus, antequam pestis hae notae apparebant, jam febricitantibus vomitus aderant varii. Plurimis deliria morbo procedente accesserunt, multisque eodem protracto tres septimanas permanserunt. Aliis alvi profluvium; paucioribus sanguis de naribus. Urinae admodum variae; quibus sanis simillimae, ii etsi melius habere viderentur, mox morbo exstincti. Circa praecordia magni aestus et tensiones molestae pluribus, capitis dolor et paraphrenitis, cum ferocioribus passim deliriis, multis tertio die accessoria. Praeterea magna saevissimorum symptomatum multitudo, ut Oribasius refert de peste. Quibus in inguine bubones prodibant, melius mens constabat, quibus vero sub alis apparebant, his cordis major palpitatio, anhelitus et inquietudo. Omnibus autem statim ab initio vires erant prostratae. (Obs. 10) Simul temulentia, dormiendi ineluctabilis necessitas, mentis perturbatio, post morbum memoria nonnullis ablata, et reliqua signa typhodem statum constituentia. (Obs. 11.) Pulsus exiguus, languidus, celer, frequens, inaequalis, quibusdam per totum morbum bonus, qui tamen moriebantur. Maculae petechiales rubrae, aliis nigrae, eaeque pessimae. Meticulosi luem facilius incurrebant. Quibus humorum in primis viis pravus apparatus, hos inquietudo et jactatio vexabat, ardor internus, sitis inexplebilis, os inflammatum, halitus graveolens. Cerebro autem magis laeso, capitis dolor, faciei horrendus aspectus, phrenitis, et variae imaginationes, carus, vigiliae, convulsio, abscessus ad aures, lacrimatio involuntaria. Dejectiones multis pingues et foetentes, in quibus praecipue fiebat colliquatio, licet in quibusdam alvus retineretur.

Exitus praedictio admodum incerta; fallaces saepe urina et pulsus boni, et ex pessimorum signorum concursu convaluerunt praeter omnium expectationem, interdum dirissima diuque perpessi, veluti quibus nates

totae carbunculo absumtae essent. (Obs. 13.) Minus periclitabantur, ceteris paribus, quibus bubones vel ulcera in corpore apparerent, utpote quibus virium sufficiens modus superesset. Quartus dies ubi superatus fuit, et coctionis aliquot signa prodierant, spei aliquis locus concedi poterat. Mortem portendebant plerumque haec: absque causa et manifesta ratione continuo perseverans mentis alienatio, convulsio, tetanus, tendinum subsultus, vigiliae perpetuae, coma vigil, somnus laboriosus, sensuum aliquorum deperdita facultas, oculorum eminentia aut nimia retractio, lacrimae involuntariae, sanguinis e naribus fluxus die non critico, livor nasi, narium, unguium foeditas, ut mortuis fieri consuevit, stridor dentium, sanguinis sputum nigri, foetentis, si aeger diceret omnia foetere, deglutiendi difficultas, anhelitus difficilis, tremor cordis, animi deliquium, nausea, appetitus deficiens, vomitus ingestorum, etiam antidotorum, vel atrae bilis, extremorum algor, sudor frigidus circa pectus et faciem, corporis color niger, aut pallidus, aut fuscus, febris nulla perceptio, etsi symptomata saeva sint, festucarum, floccorum etc. collectio, faecum involuntaria emissio, ventris tumor, maculae nigrae, virides, decubitus supinus, manibus et cruribus porrectis. Egestiones diversicolores, cum lumbricis, levamine subsequente nullo; alvus adstricta, aut crebro excernens perliquidum et pingue et graveolens, nigrum, maxime in principiis morbi ante coctionis signa. Pessimum etiam erat, si vesica nullam aut parcam urinam redderet, aut musti instar turbidam, in qua nihil subsideret; vel etiam urina limpida, tenuis, cum saevis symptomatibus, aut nigra, si per modum crisis non proveniret; pulsus tremulus, intersectus, deperditus; carbunculus prope principes partes enatus, etiam is aut bubo subito retro cedens, praesertim si mala signa subsequerentur; lethalis erat carbo livescens aut nigricans, circulo diversicolore cinctus. Sperandum, ubi remitterent symptomata; deponenda spes erat, ubi us-

que intenderentur. Cito lethale, si cum pessimis signis nihil in cute efflorescceret, vel sine levamine ullo, vel si delitesceret quod apparuerat. Crisis vera nulla observabatur. Salutem promittebant robur virium, oblatorum adjumentum, et urinae boni coloris, concoctae, subjugales, postea limpidae, pustularum color bonus, symptomatum remissio, vermium fluxus in declinatione superveniens, suppuratio tumorum magnorum in glandulis, praecipue cum symptomatum levamine, sudor aequalis, alvus biliosa, urina ejusdem notae, signa coctionis intra diem 4 vel 7 apparentia; optimum denique, appetitus et mentis constantia.

In curatione mali festinandum esse ratus, noster statim remedia adhibebat; post nychthemerum enim frustra fere semper auxilia omnia fuerunt suppeditata, nisi ubi levis morbus, vel virium fortis facultas. Igitur ubi vires, aetas ac plethora consentirent, si malum jam primo invasisset, neque 7 vel 8 horas praeteriisset, venam secabat, et sanguinem interdum largius emittebat; quibus hora morbi duodecima jam elapsa esset, nullo modo secabat, nam perierunt, quibus tunc demum sanguis missus esset. Ubi per aetatem nullus venae sectioni locus, cucurbitulas cum profunda scarificatione loco proxime affecto apponebat. Post venae sectionem offerebatur pulvis sudoriferus, ex alexipharmacis varii generis compositus [97]), vel bolus armena, theriaca; haec vero rarius conveniebat ob calorem febrilem. Facilius evadebant, qui haec retinerent, nec vomitu redderent. Interea vires noster sustentabat putredini resistentibus, subacidis, cardiacis medicamentis, cibo conveniente, etiam invitis frequente et pauco exhibito. Debilioribus et assuetis vinum album tenue concedebat; aliis vero non, aut perraro, neque ubi caput affectum aut plus aequo febris ardens esset. His autem ptisanam pro potu ex-

97) Obs. 16. schol.

hibebat, vel julepos vel cerevisiam tenuiorem. Somnum ab initio prohibebat, altero vero die permittebat. Non purgabat ante tertium diem, frequentius quarto, medicamentis quidem lenioribus; moriebantur enim in principio purgati. Bubones ad maturitatem perducebat cepis tostis vel aliis acribus impositis. Maturatos cito aperuit. Ubi ad caput materia raperetur, faciesque valde tumeret, fimum columbinum cum aceto sambucino pedibus suppositum videbat multum conducere.

In pessimo casu febris ardentissimae malignae, cum alvi diuturna proluvie biliosa, verminosa, vires dejiciente, alalia, typhomania atrocissima, per aliquot hebdomades perseverante, ciborum pertinaci rejectione, diebus simul canicularibus supra modum urentibus, puero duodecim annorum exhibuit ab initio medicamentum lenitivum (syrup. rosar. solutiv.) cum julapiis acidulis ad vires refocillandas, ad alvi fluxum, vermes et putredinem; simul delirii causa oxyrrhodinon ad frontem. Quum nihil aeger comederet, lac amygdalarum cum aqua furfuris vel acetosae paratum vi obtrudebatur, et pulvis semin. portulacae, acetosae, zedoariae, cornu cervi usti cum cerevisia, et decoctis leniter aperientibus, ex radicib. cum cerevisia tenui paratis, bolo armena. Ad somnum conciliandum tempora oleo papaverino oblinebantur, contra fluxum verminosum decoct. leniter adstringens, subamarum, subinde cum pulv. cornu cervi ust., cui multum tribuit noster. Frictiones ad umbilicum anthelminthicae. Tandem cessantibus deliriis aliisque gravibus symptomatis, fluxu tamen, quamvis minus vehementer, perseverante, profuit diacodium. Post mensem aeger praeter omnium opinionem convaluit, apparentibus simul maculis plumbeis latis per totum corpus diuque persistentibus. (Obs. 38.)

Exanthemata alioquin noster varia vidit cum statu typhode prodeuntia; praeter petechias pulicares (ib. 39.), maculas plumbeas latas, corpus instar panni atro-cae-

rulei tegentes, lethales (ib. 37.); lethales non minus maculas quasdam lenticulares, paucas, nigras (*Peperkoorn*) (ib. 36.), ex quibus tamen pauci aliquot evaserunt. In aliis observavit cum febre maligna pustulas exiles albas in ambitu rubras, vel purpureas tertio die efflorescentes (miliares?) (Obs. 40).

JOANN. COYTTARUS [98]).

§. 84.

Etsi non magno nomine vulgo celebretur, dignum tamen judicavimus, de quo accuratius referremus; nam naturam ipsam vidit et ad experientiam, neque, ut alii tum multi, ad auctores praeeuntes descripsit. Per seculi genium fieri non poterat, quin vitiis premeretur doctrinae, qualis tunc colebatur, familiaribus. Sane quidem larga libro insunt ratiocinia scholam sapientia et prolixae digressiones, multa problemata enucleata ac subtiles distinctiones. Nihilosecius in optimis mihi visus is est, quos tempora ista protulerint. Praeceteris laudandum, quod ex observationibus auctoris magis quam aliorum animadversionibus perspicuum redditur, quid constitutio privata et ceterae conditiones in singulis hominibus efficiant ad symptomata et decursum morbi variandum et ad curam pro ratione harum rerum diversimode instituendam.

Morbus quem hic describit, febris erat petechialis maligna a. 1557, quam obortam noster judicat ex aestatis immoderato fervore, quem ineunte Septembre frigus repente excepisset. Hinc quum per aestatem vapores ad caput sursum essent tracti, compresso frigoribus adhuc calente et humoribus distento cerebro, confestim materia in fauces, thoracem, et ventriculum, venas meseraicas et intestina influxit. Inde genita tussis convul-

---

98) De febr. purpur. epidemiali et contagios. L. II. Par. 1578. 4.

siva populariter simul grassabatur, nec tamen haec lethalis.

Febris autem illius purpuratae typus erat varius; omnibus quidem continuus, nonnullis synochus, velut ardens febris, alias ad tertianum specie accedens, aliis semitertianus; aliis morbus acutus, a quarto ad quartum decimum diem funestus, aliis longus ad 34—40 dies protrahebatur.

In synochis, quibus juvenes prae ceteris decumbebant, calor intus magnus aderat, capitis dolor intensus, ventriculi et aliarum partium labor, rubor faciei, sitis molesta, pulsus celer, frequens, interdum magnus; urina rubra, cum limbo spumante; anxietas, petechiae die 2 vel 3 cum sudore copioso, universali, erumpentes, idque fere si evasurus erat aegrotus. Paucus autem ille et laboriosus exitium portendebat, praecipue ubi delirium accessit, anhelitus graveolens, faucium et gutturis dolor. Tali quidem modo aegrotantibus die quarto judicatio contigit salutaris, vel fatales affectus mortem attulerunt.

Quibus vero ad septimum morbus protrahebatur, illi primo lassitudinem sentiebant, dolorem capitis, cordis morsum, vel ventriculi; afficiebantur tristitia, insomniis, pulsibus raris, delitescentibus, urina cruda, tenui, cum enaeoremate rotundo, eoque evanido ad fastigium morbi, si moriturus aeger esset. Tunc vero deliria supervenie-bant, vomitu lumbrici multis egerebantur, praesertim quibus per initia ventriculi dolor fuerat; stillicidium de naribus; lotium copiosum, quibus renes laborabant; paulo serius sedes graveolentes, liquidae. Quibus malignus evenit morbus, iis tandem sudor in fronte et circa claviculas manabat, primo acer, calidus, dein frigidus; extremorum frigus accessit et mors. Qui evasuri erant, die 5 plurimi inconcinna loquebantur, per intervalla et noctem; sub auroram paulatim mens constabat, rursus autem sub vesperam delirium accessit, surrectio; verum oborto sudore copioso, deliria et febrem sedante, die septimo tandem obdormierunt nychthemeri fere spatio;

unde expergefacti se ipsos restitutos et plane absque febre esse fatebantur, remanente tamen insigni virium debilitate. His die tertio aut quinto sudor blandus, graveolens, cum purpurae eruptione salutis erat in multis praenuntius, maculis non tumentibus; aliis larga alvi dejectio cum lumbricis febrem excussit, hoc vero rarius. Urina die quarto crassior, quasi cocta; omnibus autem hisce lingua die tertio arida, nigra; genae rubrae, calor extus temperatus, intus ardens. Nonnulli quidem extra lectum nihil dolere, neque febricitare ad diem usque quintum asserebant, quamvis pessime aegrotantes; verum eo die graviter afficiebantur, viribus repente collapsis, ut ne in lecto quidem se continere possent.

Robustiores, fortius morbo repugnantes aliquando ad 9—11 diem resistebant. Quibusdam insidiosa quasi et lenta febris apparebat, ad sextam vel septimam diem, neque calore externo neque pulsu mutatis; solum ciborum fastidium terrebat et vires paulatim imminutae. Dolor nonnullis ad frontem tensivus et gravativus; aliis artuum gravitas. Horum plerique recti aegrotabant ad septimum diem: nonnulli tamen cruribus admodum imbecilles. Unde multi, forte aliis causis levibus haec adscribentes medicum illo tempore non accersebant, neque vocato facile parebant; postremo tam profundas radices morbus egerat, ut amplius nullis praesidiis posset everti. His omnibus pulsus ab initio rarus, delitescens, inaequalis; calor non febrilis, lingua tamen arida, urina pallida, cum enaeoremate per totum morbum inaequali, divulso. Die 11 nonnullis stillicidium de naribus; aliis alvus turbata, verminosa; permultis sudores copiosi, graveolentes, cum purpura erumpentes, febre ingravescente et symptomatibus atrocius instantibus, comate cum vigiliis, deliriis; die 12 anxietas, sitis; die 13 inquietudo, surrectiones, mentis gravis perturbatio, sudores frigidi, mors die 14. Alii eodem die larga narium haemorrhagia aut sudore copioso, universali, restituebantur.

Qui moerore, taedio, curis diu confecti, et qui destillationibus a multis annis obnoxii fuerant, si per hiemem febriebant, diutius languebant, crudis humoribus pleni. Interdum hujusmodi febris in morem catarrhi adoriebatur; hos vero cum nausea et vomitu, illos cum syncope cardiaca, alios cum suspicione inflammationis in visceribus vexabat, ut statim ab initio medicum consulerent. Quo dolore levati nihilominus post criticam evacuationem, die decretorio factam, in novam febris exacerbationem incidebant, viginti usque ad quadraginta dies languentes, post longos demum cruciatus restituti, non sine abscessu molesto in cruribus. Sic prioribus judicationibus nihil tuto decernebatur. Quibusdam cum pauco madore maculae sensim adnascebantur, e. g. a die 7 — 11 diem, aut ab 11 ad 14 dispersae et pauculae. Alii illo tempore lumbricos dejicientes gravius habebant, comate, adipsia, lingua scabra. Die 17 vigiliae, suspiria; die 27 sudor nonnullis in capite et thorace, lingua arida, deliria, stillicidium tribus diebus, urinae circulus niger, die 31 aut 34 mors. Evasuris die 27 urina turbida, coma, experrectis lassitudinis querelae, die 31 paucus sudor, die 34 copiosus aut 40, et febris judicatio. Paucis alvi fluxus eo die superveniens auxilio fuit, pluribus periculosus, nisi signa tutissima adessent. Medicamentum lene porrectum largius tamen alvum irritabat cum virium subsecuta prostratione.

---

§. 85.

In cura morbi tenuissimum victum, ut solam aquam vel decoctum hordei, noster improbat, praesertim quum morbus ad quartum et plerumque ad octavum diem extenderetur. Quodammodo observandam censet rationem sano consuetam, ne corpus offendatur; tanto pleniorem dat victum, quo magis protrahitur febris, ad 7 — 14 dies etc.

Quibus cum plethora febris vehementissimus motus exstitit, venae sectio profuit, statim ab initio instituta, interdum adeo iteranda, iique, quibus sic decumbentibus mox medicus assistebat, fere omnes convaluerunt, praeter immorigeros. Etiam die critico, habita ratione aegri, aetatis, virium, venae sectio fieri poterat et debebat. Atque eo maxime haec morbi species a vera peste differre auctori videtur, quod tam frequentes, seras et magnas venae sectiones expeteret et perferret.

Quae febres deinde die 7 judicabantur, quippe quibus juvenes sanguinei, viri et feminae biliosae maxime obnoxii erant, eorum vigor praeceteris erat cognoscendus. Nec vena circa principia tundebatur, ut in vera peste necesse fuerat, nec purgans medicamentum tunc temporis exhibebatur; ex utroque enim in deterius morbus procedebat. Quare hoc quidem auxilium eo usque differebatur, dum coctionis aliqua indicia, illud vero, dum certa invalescentis morbi signa apparerent. Adeoque venae sectio ter aut quater repetita est, sive die 3, sive longe tardius, cum eventu non minus felici [99]). Secundo die medicamentum lenitivum acidulum (pulp. cass., tamarind., syrup. rosar. solut.) pro varietate aetatis, sexus; aut si corpus non ita humoribus biliosis scateret, praetermissa laxativa potione eo die vel sequente, si nihil aliud ostendebat, sanguis ex brachio dextro, pro re nata magis vel minus largus, mittebatur. Post horam unam potio sanguineis aegrotis suppeditabatur ex aqua card. bened. et acetosellae, biliosis ad eandem addebatur aqua endiviae, et atrabilariis aqua scabiosae aut pimpinellae, si hepar obstructum aut inflammatum cerneretur; quibus immiscebantur syrupi aciduli. Simul pulvis ex-

---

99) Variolae quidem et morbilli venae sectionem post diem tertium aut eruptionem, nisi in plethoricis, reformidant; purpura vero ante et post eruptionem nullo observato dierum numero, modo vires constent, aetas et morbi magnitudo consentiant, sanguinem mitti postulat. (Coyttar.)

hibebatur de bolo, gemmis. Sub undecimam horam cibus largior offerebatur; dein, si convenire videbatur, venae sectio in eadem parte iterata est, postea potio bezoardica hausta. Quarto die similis potio mane capiebatur, et exspectabatur, quid eo die natura moliretur; haec enim neutiquam turbabatur. Si spes aliqua erat, tum die quinto clyster refrigerans ex cassia cum saccharo subministrabatur, posthac decocti leniter bezoardici haustus iteratus. Diem septimum naturae totum noster concedebat, jamque die quinto de cibis, ut visum erat, detraxerat, quantum satis ad crisin. Quos nono die judicandos cerneret; die sexto vel septimo vacuabat. — Symptomatis urgentibus pro varietate causae et partis laesae varie auctor medebatur. Ad reliquias morbi abstergendas lene catharticum propinabat, postea frictiones admittebat.

Ubi vero ad 11—14 diem morbus decurrebat, a principio, praevisa rerum futura conditione, uberiorem victum noster offerebat, juscula carnis cum succis fructuum acidulorum, adeoque carnes leviores, a quinto vero ad undecimum carnibus remotis, gelatina sola nutribat. Nec statim die 2 vel 3 ad remedium lenitivum vel venae sectionem accessit, sed clysma lenitivum primo injiciebat, et succos acidulos et julapia pro potu exhibebat. Temperiem injungebat lectuli aequalem, ut perspiratio juvaretur. Nam nec materia his per initia turgebat, nec morbus celeriter movebatur, propterea primis diebus nulla evacuatio tentata. At ubi humoribus praeparatis et turgentibus primae viae refertae erant, bolus ex cassia die quarto aut quinto dabatur cum aqua scabiosae et simil., remotis fortioribus catharticis. Alias solummodo enemate et julapiis acidulis praemissis, die 6 aut 7 medicamentum lenitivum ingerebat, ac die sequente sanguinis uncias sex ad octo detrahebat, ut vires et natura indicabant. Postea observabat noster, quid natura conaretur, quae si salubria essent, optima victus

ratio et electuarium cardiacum ad crisin usque continuabatur; ubi signa ambigua obtinerent, robur conservandum erat. Si alvi fluor die nono vel undecimo accessisset, quippe ubique periculosus, clysma detergens, idque aliquantulum adstringens infundebatur ex decocto rosarum, hordei, plantaginis paratum; addebatur unctio abdominis aromatica. Ubi phrenitis urgebat, sanguinis missio juvabat, fomentationes aromatico-acidae ad caput abrasum. Gallus etiam juvenis, vel catulus recens mactatus, atque dissectus, ut remedium vapore et calore animali resolvens, domesticum, utiliter imponebatur.

BALLONIUS [1].

§. 86.

Pauca quidem et sparsa solummodo circa nostram quaestionem suppeditat Ballonius, ea vero nihilosecius probe consideranda.

Quemadmodum Galenus [2]) jam vidit in pestilentibus morbis excreta visu teterrima profuisse, dumne in principio ista comparerent, sed morbo demum consistente ac naturae fausto molimine propulsa, nam ineunte morbo secedentia pravum corporis habitum ipsi significabant aut insignem humorum inquinationem: ita noster easdem pravas evacuationes, qualescunque fuerint, iisdem constitutionibus malignis, attamen quovis morbi tempore adeoque fere ab initio etiam cum emolumento fieri perspexit. De morbis igitur judicium non temere ferendum est, ne vomitus ejusmodi, vel dejectiones pessimae materiae, vel sanguinis effusiones praepostere et cum pernicie aegroti supprimantur. Omnis enim suppressio

---

1) Epid. et Ephemer. L. II. — Consil. L. III. (Opp. ed. Thevart. Genev. 1762. 4.)

2) Comm. in Hipp. Aphor. IV, 21.

excrementi in popularibus morbis anceps evadit. Verum multis noster statim circa initium suppressit anno 1570; quibus enim non restinguebantur fluxus, iis tunc diu perseverarunt, adeoque ad sex menses protrahebantur, unde virium robur importune attenuabant. —

In malignis febribus Ballonius pro re nata venam secabat, uti de quibusdam aegris in Consiliorum libris sigillatim prodidit. Vidit autem ita decumbentem secta vena interiisse, in cujus cadavere deinceps pus in pectore et pulmonibus repertum est. In iisdem morbis usus est acidis; alvi fluxum spontaneum saepius cum salute aegri supervenientem observabat.

In malignis temporum constitutionibus, in primis quando febribus cum inquietudine, jactatione, ardore et cardiogmo aegri vexantur (febris assodes veterum), venae sectione instituta saepissime laudabilis detrahitur sanguis cum magno aegrorum detrimento; serum nullum aut paucum, calore absumtum, floridus sanguis apparet. Phlebotomia hic omittenda, aut parcus certe sanguis mittatur, potius propinentur alexipharmaca et cardiaca. Alvum saepe et blande eluere conducit, nam dejectionibus croceis pultaceis morbus solvitur. Nocet autem, vomitiones sistere pariter ac sanguinem plenius detrahere. —

In plerisque tertianis adsunt cardiogmi, vomitus subvirides, anxietates, jactationes. Oriuntur haec a bile refluente et os ventriculi mordente. Talibus vires quidem evacuationibus plurimum dejectae videntur, sed id fit ob bilis morsum, et purgatione illae restaurantur.

In colluvie biliosa epidemica a. 1570 laudat noster decoctionem hordei, portulacae, seminum frigidor. major., in qua solvi possint cassia, intybacea, infusum rhei ad sustentandum robur partis sanguinem parantis. Eodem anno, qui pluvius exstitit, calidus et nebulosus, auctumno morbi maligni in vulgus grassabantur. Multis sudores primis diebus, parum levantes, nec morbum ulla-

tenus solventes. Qui decumbebant, solo de capite querebantur, ceteris partibus illaesis. Virgines febre tritaeophya tentabantur, cum adipsia in aestu summo. Quandam similis febris infestabat, cum exacerbationibus meridianis, septima vespertina frigidi sudores, circa sextum diem carus per protopathiam genitus, nam et remissionis tempore perseverabat; septimo die sudor erupit calidus satis; alvus adstricta; si fluxisset, spes aliqua superfuisset, die 14 convulsa periit. De vermibus erat suspicio.

A. 1571 post hiemem asperrimam, tempestas austrina, pluvia; inde multi magni morbi et tussis et dolores laterum, anginae. Tempore verno tepidiusculo repentini laterum dolores, in quibus non profuit venae sectio [3]). Inde malignus habebatur morbus; multis ad pulmones et ad caput metastases contrahebat. Noster hanc pleuritidem dicit pestilentialem. Nuperos non ferre (1574), quam Galeno praeeunte complures laudassent, venae sectionem ad syncopen usque. — Post febrem lethargicam (Consil. L. III.) venas in cerebro invenit varicosas, serum in ventriculo medio multum, medullam tamen sicciorem, membranas siccissimas. —

Febrem aliquam typhodem noster dicit, Galeni morem secutus [4]), feminamque in hanc vidit incidisse. Focus morbi in partibus alvo propinquis conceptus esse videbatur, in materia phlegmatica bile mixta; symptomata edebantur utriusque humoris connubio adscripta. Quando febris exacerbabatur, aegra obmutescebat, pulsus deficere videbatur, syncope detinebat, vigiliae, sopores; et id genus terrifica erant indicia. Verebantur medici, ne cataphora aut coma vigil sequeretur. Tametsi languebat pulsus, tamen a validis medicamentis illi non

---

3) Similia posthac Sydenhamus et Ramazzinius observarunt; de quib. vid. infr.

4) Consil. L. I. c. 7. V. supr. p. 76. §. 24.

destiterunt ob multiplicem materiem, mali fomitem oppugnandum; utebatur cum fructu laxantibus et cardiacis, admixtis acidulis. —

LUDOV. SEPTALIUS [5]).

§. 87.

In peste Mediolanensi, a. 1575 et 1576 cum aliis medicis venae sectionem feliciter adhibuit, quam primo aversatus erat. Fuit autem illa lues non ex universali aëris corruptione orta, sed contagio communicata, salubri alioquin coelo et anni constitutione saluberrima; rerum ad victum facientium maxima abundantia. Quo accessit haec venae sectionis opportunitas, quod corpora Mediolanensium alioquin succi plena essent. Itaque venam non ita saepe esse secandam innuit, si pestis fuerit ab universali aëris corruptela, neque si a victu pravo, nisi magna subsit plenitudo et aestus humorum [6]). Verum ubi a contagio febres pestilentes sunt, sanguis mittitur, iis omnibus observatis, quae in reliquis putridis sint observanda. (Praeeuntibus Galeno in hist. Critonis et Calvi Lariss. [7]), Rufo apud Oribasium, et Arabibus.) In illis enim febribus materiam consistere non in ventriculo aut primis viis, sed in venis cum sanguine mixtam putat. Rarius in peste vera, bubonacea, venae sectionem admittit.

Nec tamen ex priorum sententia ad animi usque deliquium sanguinem detrahebat, sed minorem copiam, ne vis vitalis nimis concideret; venamque aperuit solum in principio, neque ubi invaluerit morbus, et vires jam fractae fuerint. Tunc putredini resistere et alexipharmaca dare satius putabat. Etiam macularum facta eru-

---

5) Animadvers. et caution. medicae. L. IX. Patav. 1652. 8.
6) L. V. n. 32. 36. 7) Comm. in Epid. III. s. 1 et 3. vid. supr.

ptione venam secabat, non metuens retrocessum, siquidem plenitudo magna et aestus humorum illud auxilium efflagitare viderentur. Nam venae sectio, saltem modica, per se potius ab interioribus ad ambitum corporis trahit [8]). In anthracibus et bubonibus ipsis, si vires constant, et in principio morbus est, et sanguinis plenitudo monet, venae sectio praestantissimum evadit remedium, tum evacuandi, tum retrahendi causa, dum modo statim adhibeatur et parciore manu; ubi bubones quidem et parotides apparuerunt, melius ex propiore parte, ubi vero anthrax et carbunculus, ex opposito mittitur ad naturam juvandam.

Ubi praeceps occasio est, nec tamen venae sectio tuto adhibeatur, vel medicus non statim arcessebatur, malleolorum noster scarificatione vel cucurbitulis affixis (tutissime in suris) ℥vi ad viii sanguinis pro signis plenitudinis aut roboris detrahebat.

Quibus exhausto jam corpore urgerent symptomata, exanthemata lentius prodeuntia, animi deliquia, anxietas, cephalalgia vehemens, iis cucurbitulas cum et sine scarificatione, potissimum in dorso applicabat.

Vesicantia in peste post universalem evacuationem, extremis partibus, potissimum suris, modo aestus in corpore non adsit, sed peccet potius serosus et pituitosus humor [9]), adhibebat, ut partes virulentas detraheret. In pestilentibus vero febribus, quae non cum peste sunt et carbunculis etc., sed putridarum species atrocior, quae tamen coctionis adhuc participes sint, neutiquam in usum vocabat; sed non aliter quam in aliis febribus putridis curam gerebat, exsiccantibus (bolis etc.) et cardiacis non mediocriter roborantibus.

Interim vero ratione lethargi quidem et soporosorum affectuum in hisce febribus improprie pestilentibus,

---

8) Gal. d. tuend. valetud. IV. c. 4.

9) Confirmavit deinceps Baglivus, v. de usu et abusu vesicant. et alib.

uti in vere pestiferis, nihil praestantius est vesicatoriis ad brachia vel scapulas admotis. Humores enim serosi et pituitosi, segnes, cerebrum opprimentes inde attrahuntur. (Simili intentione Aretaeus in lethargo tibias urticis verberabat et sinapismos imponebat.)

Utilia etiam vesicatoria sunt, ubi in f. pestilenti per universum corpus externa algent et aegre calefiunt: non quidem si refrigeratio fiebat ex virium exstinctione, tum enim instaurantibus opus est; sed si ab aliis causis, ubi interna aestuant simul [10]). Tibiis hic et brachiis applicare jubet. In principio autem morbi vesicantia nocent, quamvis perperam a multis adhibeantur.

Convenit iisdem febribus evacuatio [11]) pravorum humorum per medicamenta purgantia, idque forsan saepius adeo quam venae sectio, ubi morbus ex corrupto victu, rarius ei, qui ex contagio natus fuerit, quippe quod cum sanis iste hominibus saepe communicatur, quibus per purgationes boni humores evacuabuntur et vires destruentur. Omnino vero opus eis est, ubi corpus pravis humoribus refertum cognoscitur, quamvis ne hic quidem sine cautione, ne alvi fluxus inde nascatur fatalis. Sed non in omni peste is supervenit. At ubi epidemicae constitutioni haec excretio familiaris est, cum aegrorum detrimento, tanto cautius medicus purgantibus rem gerat, et iis quidem, quantum fieri licet, quibus roborandi et adstringendi aliqua vis inest. In peste supra commemorata (a. 1575) statim in principio evacuandum et sanguinem mittendum noster censebat, saltem secundo die, si putridorum aut malorum humorum copiam subesse cognoverat. Etenim pestis materia cruda dici non potest, nam nullam patitur concoctionem et majori ex parte etiam turget die primo vel secundo [12]), quare projicienda illa est, ne ad principem quam partem ruat.

---

10) Cf. Aëtium, Paulum 2, 36. Oribas. 6, 25 ex Rufo.
11) Ib. 46 ss. 12) H. Aph. IV, 10.

Debet etiam praemitti purgans, ubi necesse fuerit, usui alexipharmacorum.

Caveat autem medicus, ne, quod in peste constitutum est, in pestilentibus febribus, cum insigni putredine et maculis et aliis exanthematibus, idem observandum censeat. In his quidem coctionem exspectare licet; itaque non in principio, sed in declinatione purgandum.

Nec tamen evacuandi scopo in principiis pestis validiora et calidissima medicamina noster probat, cujusmodi euphorbium est et al., sed mediocria commendat; forsan aliquid scammonii, aliis admixtis correctum et temperatum. Vitrum antimonii rejicit ob indolem venenatam.

Verum non in omnibus peste vel pestilenti aliqua febre aegrotantibus purgantia et venae sectionem admittit; aliquando alterum, aliquando utrumque, aliquando autem neutrum, prouti res efflagitare ipsi videretur.

Sudoris promotio in peste vel pestilentibus febribus, si natura duce suscepta fuerit, et tuta est et perplacet nostro; ita vero displicet omnino, cum natura prorsus deses et iners nullatenus munere suo fungitur, videturque malo vix non succumbere. Intempestiva et audax eorum est curatio, qui frustra aegrum fatigant, alias excitatis sudoribus, alias adhibitis cucurbitulis aliisve epispasticis; inaniter enim corpora vexant, incertaque pro certis suscipiunt. Quantum vis robustae sint vires, nunquam tamen admittenda sudorifera ab initio; exspectandum potius, dum aliquid ipsa per se natura moliatur, et curiose animadvertendum, quo illa vergat; nec statim quidem per eas partes evacuare medicus debet, sed tunc solum, ubi insufficientia naturae fuerint conamina. Theriacam et mithridaticum ut semper, nisi aestus ingens, vel in tempestate vel in corpore, fuerit, ad praeservanda a peste corpora commendat, Galenum fideliter secutus, ita pro curanda eadem non ita fre-

quentem illorum usum concedit, quia aucto calore mors ipsa subsequi possit. Itaque si bilis in corpore praedominatur, eaque ipsa vitiosam quandam indolem videtur nacta esse, praestat ubique, postpositis theriaca et calefacientibus simul ac siccantibus antidotis aliis, ceteris uti, quae refrigerandi et siccandi (absorbendi) facultate praeter alexipharmacam efficacia sunt: acido citri, margaritis, lapide bezoar et similibus. Ubi vero, ut saepe fit, calor febrilis est mitis, neque aestuans, et fomes morbi pituitosae aut atrabilaris naturae apparet (febr. proprie maligna), tuto theriaca et mithridaticum adhibebitur; quibus etsi calor febrilis nonnihil auctus fuerit, major tamen utilitas erit, in materia morbi evincenda, attenuanda et ad cutem propellenda.

Lapidibus pretiosis, contra seculi consuetudinem, non multum Septalius tribuit; certe non proxime ante cibum exhibendos sed summo mane, ante stillatitios liquores concedendos esse judicat. Auri usum et ad animi moerores et ad atrabilarios affectus ab antiquis et recentioribus habet commendatum, ad roborandum cor et spiritus reficiendos. Optime ingeritur in forma foliorum, aqua rosacea adspersa. Stultum vero, aureas monetas etc. juribus incoquere, cum nihil absumatur.

Amuleta denique arsenicalia detestatur ut periculosissima plurimis et lethalia.

---

§. 88.

Et haec quidem circa popularis morbi et universalis affectus curationem prudentissime noster monet; alio loco privati etiam status typhodis rationem habet non minus accuratam. Cujus mali, uti ceteris tunc usui erat, duplicem speciem distinguit, saepius notatam; phrenitidem scilicet et lethargum.

In phrenitide quidem [13]) primo die vix locus est

13) L. VI, 19 ss.

medicamini lenitivo; sed clysmate molli injecto, si ejus etiam opportunitas detur, mittendus est sanguis in brachio. Cum enim influxus jam desierit, aut majori ex parte jam factus fuerit, frustra illo auxilio revulsionem tentabis.

Improbat noster Trallani [14]) et aliorum consilium, venam frontis incidendi, ubi propter furibundos motus in brachio secari non potuerit. Nam ubi copia sanguinis adest, quod plerumque contingit, facilius, adtracto sanguine ad partem laborantem, morbus adaugetur. Revellendus ille potius est aut cucurbitulis scarificatis, aut, quod melius, vena pedis incisa. Neque ad animi deliquium in hoc casu sanguis mittendus est, quod, ubi repellentibus simul medicamentis frigidis ab initio cura gerebatur, refrigerato toto et a capite retracto adeo multo sanguine calido, saepenumero tristissima morbi conversio induci, vel lethargus subsequi potest pessimae notae.

Cucurbitulae ad frontem, bregma etc., evacuatione corporis praemissa, ne sint arentes cum flamma, sed ex aqua calida, nec diutius haereant, et si subjacens pars in ruborem abierit, leviter scarificanda haec est; sin minus, locus spongiis ex aqua tepida fovendus [15]).

Purgatio mox instituenda est, primo vel secundo die, neque coctio exspectanda; facto enim apostemate morbus evinci non potest et vires prosternuntur. Qui alvum habent duriorem, non temere rheo purgentur; calorem hoc facile auget supernis partibus.

Quamvis simpliciter refrigerantibus, solisque repellentibus in universum primo tantum die sit utendum, ut repellatur influens materia, aestus et partis et congesti humoris temperetur, dolor sedetur et afflictae parti robur reddatur, sequentibus vero diebus admiscenda sint aliqua resolventia: saepissime tamen, ut jam monuit Are-

14) L. 1. c. 13. 15) Praeeunte Caelio.

TARUS, quod urgeant in augmento adeo symptomata, aestus, dolor, vigilia et furor, frigidissima etiam procedente tempore in usum sunt vocanda. Attamen ne diu utamur iisdem, aut narcoticis; nam caput non sine periculo refrigeratur, et saepe sic morbus in lethargum convertitur.

Topicis medicamentis (oxyrrhodino etc.) acetum quidem admiscendum est, repellendi, penetrandi et refrigerandi causa, sed non multum, ne siccatione vigilias concitemus, neque acrius idem sit, in quo calidae partes et siccae nimium praevaleant. In ejus locum citri acidum non bene substituitur, quod minus adstringat, nec pervadat, et resolutionem impediat. —

Lethargo, si quidem per se et cum febre inciderit, venae sectio in brachio, viribus consentientibus omnino convenit; ubi vero, quod saepius evenit, vel continuae febri subsequitur, vel phrenitidi, eique forte male curatae, tunc omittenda eadem est, non solum propter vires dejectas, sed ob materiam potissimum a sanguine jam sejunctam. Substitui tunc possunt cucurbitulae, si caput repletum et sanguini non nihil admixtum videatur, ad colli latera, pone aures; fluxilem hae sanguinem trahunt, rebellem magis et segnem et difficilius solubilem materiem in cerebro contentam aliquantulum evellunt.

Cavendum maxime ab initio a sternutatoriis excitandi causa admotis, utpote quorum intempestivo usu materia potius subinde impingitur, quam discutitur, unde contumax evadit morbus et saepe apoplexia subvenit.

Optima quidem sunt errhina; vitanda vero in iis, qui ad phthisin proni sunt et ad morbos oculorum.

In repellentibus applicandis, quae non nisi ab initio, neque etiam frigidissima administrari debent, adstringentium usus omnino vitandus, ne et crassior pars humoris fluxu destituatur, et ejusdem evacuatio, quae per minutissima spiracula fit, impediatur.

Dropaces et sinapismi ut in usum venire debent ad adtenuandam materiam et derivandam; ita vesicatoria magis commendantur, tum scapulis, ad extrahendam a cerebro pituitam et aqueum humorem, tum deraso capite ad verticem admota et super suturam coronalem.

---

§. 89.

Andr. Trevisius [16]). Febris ineunte hieme 1587 grassabatur; sexto die frequenter, idque salubri eventu, sanguis de naribus prorumpebat. Vere proximo pleuritides fere funestae, etiam cum petechiis et bubonibus accesserunt. Sanguinis profluvium frequens, saepe criticum. Multae recidivae. Morbus verminosus. Pessime aegrotabant, quibus urina sani similis erat: sitis non magna; paroxysmi paribus diebus, iisdem diebus mors. Vinum aegri desiderabant. Sanguis etiam arte salubriter evacuabatur, nec prius quam vena secta alvus debebat moveri, quum dilata sanguinis missio fere funesta esset. Postea laxantia, clysmata, cucurbitulae admovebantur. Vena etiam die decimo quinto utiliter incidebatur, ut petechiae, quae delituerant, sanguine misso prodirent. Acida medicamenta, etiam citri succum non adeo laudat, nec tamen calida propinabat.

Octavianus Roboretus [17]). Annus praecedens aestuosus fuerat. Febris 1591 caput extulit a principio cum calore miti, et capitis inde dolore; die vero sexto, septimo accedebant vigiliae, pleuritides vel et lethargi, et circa diem sextum petechiae, plerumque rubrae, vel roseae, benignae, aliquantulum adeo super cutem exstantes, tamen etiam nigrae; in plerisque post paucos dies evanidae. Quare non sufficiebant solae ad morbi

---

16) D. caus. natur. etc. febr. pestilent. 1588. 8.

17) D. febr. peticulari Tridenti a. 1591 publice vagante. 1592. 4.

solutionem, nisi urinae copia, aut sudor, aut alvi fluxus accederet. Aderant simul faucium dolores, inflammationes, tussis, vermes, haemorrhagiae plerumque salubres. Urina ad d. sextum sani similis; posthac jumentosa. Qui oblata rite acciperent et medico bene obtemperarent, non adeo frequenter moriebantur, nobiles tamen saepius, quamvis morbus pauperes saepius invadebat. Non vera pestis erat, accedebat tamen contagium. Obierunt convulsi, urina suppressa, vel suffocati. Convalescentibus surditas oborta est, et capilli defluxerunt. — Causae morbi externae: aestus, victus incongruus, malignus, glandes, paleae, fames. Petechias plerumque symptomaticas, non ergo adjuvandas esse; utique tamen, si criticae fuerint. In remediis morbi laudatur venae sectio, theriaca, mithridaticum.

Fabricius Hildanus [18]) magnam a calidis, chemicis medicamentis stragem vidit. Alvi purgatio nocebat. Acida et refrigerantia dabat, buboni cantharides imposuit. Fonticuli saluberrimi, ex quibus halantem foetorem pestiferum olfactu noster percepit. In peste Lausannensi (1613) rusticos et illos, qui in altissimis montibus ab omni hominum consortio separati viverent, non minus infestatos morbo fuisse, quam qui in civitate habitarent. In eadem constitutione omnes interiisse, quibus vena secta fuisset.

Petr. Paauw [19]). Narrat Fl., in constitutione epidemica a. 1624 vesicatorium bubonem dissipasse, non in altera (1635) diversa, in qua utile illud extiterit, nec suppurationis necessitatem auferret. In illa exanthemata, etiam perparca, lethalia erant; non ita in altera. Pancratice valentes subito a peste prehensos periisse. Jac. Bontius vidit maculas lividas in ipsis ossi-

18) D. peste Bernensi. 1628.

19) D. peste. 1636, cum Florentii (praestantissimis) additamentis.

bus basin latam habere ac versus cutem sensim in coni speciem decurrere. Anthrax pestilens statim a crusta integra cum vesica nigra incipiebat, non ab exigua pustula rubra, paululum puris profundente. Bubones, quo citiores prodierunt, eo feliciores. Emplastrum vesicatorium buboni aut vicinis partibus impositum et pus attrahens copiosum, opportunum. Anthrax enormis disci mensarii amplitudine non funestus. Venti pestem ab alia urbis (Lugduni) regione in aliam transferebant. Venae sectio nunquam non funesta, etiam prophylactica. Antimonii usus infelix.

Em. Labadie [20]). In curatione pestis, quam a. 1597 et 1608 observaret, solarum virium rationem debere haberi. Pestis focum non esse in humoribus, neque venae sectionem admittere. Ipse pestem cum duobus bubonibus passus, sine sanguinis missione et purgatione intra octavum diem convaluit. Si, quod primo die, alvus movenda erat, theriaca utebatur. Periisse fere, quibus sanguis sputo decesserit; sanguinem etiam per oculos, sudorem, haemorrhoïdes, dysenteriam, nares, vesicam, haemoptoën exire vidit. Mors interdum subitanea, sine ullo mali indicio. Alia symptomata observabantur: syncope paene perpetua, phrenitis, cephalaea, artuumque gangraena, etiam labiorum, faucium; capillorum defluvium. De bubone aperto sanguinem vidit plurimum effluere, felici quidem eventu, cum alii homines omnes perierint, quibus sanguis decessisset. Manum aliquando conspexit siccatam, ut vesicae aridae similis esset.

---

§. 90.

Heurnium de capitis morbis disserentem idcirco potissimum adlegavimus, ut cura typhodis status per se, qualis tum maxime haberi soleret, in privata

20) Traité de la peste. Tolosae, 1620.

aegritudine, seorsim cognosceretur. In plerisque fere, ut signis, causis enarrandis, praesagio constituendo, denique cura exponenda veteribus auctor doctissimus arcte accingitur. Curandus morbus, lethargus, phrenitis, coma vigil ei videtur exigere evacuationem materiae affluentis, diversionem, ineunte saltem morbo retusionem, in medio repressionem et exhaustionem, labente eodem resolutionem et causae consociatae eductionem, jam vero corroborationem, et in toto vitae justum regimen. Auspicandum a revulsione, clysmate injecto; ubi sopor urgeret, aliquantulum acriori, tam excitandi, quam evacuandi gratia. Dein si vires, plethora, morbi magnitudo etc. concedant, cephalica secanda, nisi humorum gravis intemperies et redundans cruditas subfuerit, tunc enim vires non stabiles esse solent. Si a venae sectione facies rubeat et ardeat, ac venae turgeant, vena frontali incisa ℥IV ad VI emittantur. Si metus, ut feratur venae sectio, cucurbitulae pone aures, in lateribus colli (quibus partibus cum capite syntimoria est) vel in dorso et humeris (ut Arabes praeceperant) apponantur. Sanguine detracto pro varietate status modo paregorica prosunt, modo excitantia, suffimenta, ruta naribus imposita cum aceto trita. Ne vero, ubi febris acerbior est, temere haec vel vehementia praescribantur. Revellendum frictionibus aliquot horas a cibo, vinculis ad artus circumjectis, utpote quibus ventriculus officio suo non fraudabitur; extus calefacientibus et irritantibus auxiliis. Sed haec vitanda sunt in invasionum paroxysmis. Ineunte morbo sordes alvi evacuandae, vomitu penna immissa incitato, idque saepius certe in lethargo; nocent autem crebro vomitiones arte concitatae. Clysmata juvant paulatim fortiora, vel balani irritantes. Posthac materia praeparanda, dein purganda est, vitatis calidioribus, si febris magis aestuat. Itaque herbae modo lenientes, aperientes modo, attenuantes, subaromaticae, ut conditionis varietas jubet, in usum vocantur, quarum succi cum

aceto ferventes et naribus vapores excepti humoribus in cerebro praeparandis inserviunt. Simul, potissimum ubi sopor est, stomacho et visceribus consulatur leniter aromaticis, hyssopo, melissa etc. (p. 139 ss.). Praeparatam materiam auctor eliminat pilulis de hiera cum agarico, et similibus; quando febris urget, clysmatibus movet acribus. Ubi secretiones suppressae, vel per sudorem crisis fit, juvandus hic venit lateribus calidis etc. Localia ad caput incipiente adhucdum lethargo prohibeantur, ne materia firmius infarciatur, metumque apoplexiae moveat, qualia sunt sternutatoria, ubi aegre excitantur languentes; haec igitur non sunt diu continuanda, ne caput impleatur, neque iis adhibeantur, qui sunt longo collo et ophthalmiis obnoxii (cf. Septalius supr.). Castoreum valdopere laudatur. Auribus irritantia noster injicit, ut olea volatilia, quando quidem gravissime aliquis decumberet. Caput hieme tondeatur tantum, aestate radatur. In diuturno malo dropaces (ex pice, pipere, euphorbio) occipiti raso apponenda, dumne aeger epilepsiae obnoxius sit. Si strenua febris, lenius transigendum calidis praesidiis; sin ignava, strenua medicina exhibenda. Finem faciant roborantia, castoreum, theriaca, mithridaticum, utpote quibus locus potissimum est, quando malignitas febris periculum minatur. — Uti haecce pleraque, ita et quae reliqua praecipiuntur, omnia fere ex Aretaeo, Galeno, Caelio, Paulo, Tralliano, Aëtio, Arabibus etc., desumta sunt.

Similiter Alsarius a Cruce (de morbis capitis), Schneiderus (de morbis soporosis, 1669) et alii complures rem exponunt, viri suo tempore celeberrimi. Jam vero a sporadici mali medicina ad popularium constitutionum observatores revertimur.

§. 91.

Illa tempora, medio scilicet seculo XVII, ut universim literarum studiis infausta fuerunt, propter bella diuturna, quibus in Germania plurimae gentes dimicabant, non parum obstiterunt medicinae veris incrementis, partim ob communem doctrinae calamitatem, partim ob chemiae intentiora et magis frequentata studia; quibus ad res restituendas maxime in aulis principum favebant et operam navabant, unde auxilia genuinae artis salutaris corrumperentur. Inde factum etiam est, ut circa nostrum morbum curandum, etsi infelix videndi opportunitas minime rara praeberetur, tamen nonnisi pauci existerent observatores vere praestantes et cum Hippocratica patientia et sinceritate aegrotis adstantes. Quae enim caput jam efferebat schola, explosa fere veterum solidiore doctrina, ut obsoleta et absurda, Galeni praesertim, hactenus vigente, auctoritate concussa et forsan iniquius justo contemta, novas meditationes de natura corporis ac morborum composuit, causas vero et signa et praesagia et victus regimen neglexit, adeo ut omnem ponerent fiduciam in singulari aliquo medicamine proprio, utplurimum ex chemicorum officinis profecto, etiamsi et laudabile nonnihil ex tali fonte ortum haberet. Quod intuentes locum quibusdam in hoc delectu observatorum, licet parciorem, concedebamus.

Bapt. Helmontius [21]) vir ingenii acutissimi, observator vero mediocris, quomodo Galenicam scholam felicissimus adversarius impugnaret, quomodo archaei notionem in illustrandos vitales eventus et morbosos affectus cognoscendos induxerit, abunde cognitum est. In medicina facienda calida praesidia et acido adversa, elixiria et parva dosi jam efficacissima medicamenta, saepius secreta, arte sua parata magniloquus commendavit eorumque usum vulgarem reddidit, in scriptis ceteroquin

21) L. Tumulus pestis.

obscurus, ambiguus, difficilis, animosus et arbitrarius rerum interpretator. Subtilissimum pestis miasma in aëre diffusum gas fracidum appellat. Venae sectionis usum et limites in febribus universim coërcebat, metuens sanguinis et spirituum dispendia. Sola fere insensibili perspiratione febres, praecipue malignas, tolli volebat, multus propterea in sudoriferis excogitandis et praescribendis, utpote omnem curae paginam absolventibus. Estque ex ejus opinione universalis febrium medicina diaphoretica, citra sudorem ac discedentis materiae animadversionem efficax. In peste Ostendiana fraciditatem pestilentem exustas soleas oluisse scribit, ut quod de eremita quodam priori fama ferebat, pestem e longinquo jam persentiente. Amuletis fidem habebat.

Van der Mye [22]). In diuturna obsidione ex depravato victu genuina pestis supervenit et scorbutus. Bubones varii, carbunculi et exanthemata crebra. Peribant, quibus de naribus sanguis fluxerat; salutares tamen fuerunt colli tumores et artuum. Nulli cum peste alii morbi vigebant. Sub noctem illa magis inficiebat. Exercitus regius urbem obsidens, omnibus, quae ad vitam necessaria sunt, instructus, immunis perstitit.

Troilo Lancetta (di pestilenza etc.) rogos incensos videbat non prodesse in peste; cauteria et fonticulos non admodum laudat; pestem in Italia non nasci existimat.

Paul. Spindlerus [23]) in peste a. 1644 paucissimos refert alexipharmacis servatos, melius potius habuisse medicamentis destitutos. Menses supervenientes et petechiae, lethales, item terror et angina maligna.

Fr. de le Boë Sylvius [24]) in praxi ab Helmontio non multum recedens, morbos acutos fere peccanti

22) De morbis popularib. Bredae obsidionis tempore grassantibus etc. 1627.

23) Observ. medicin. 1691.

24) Praxeos medicae idea nova. De affect. epidemic. 1669—1670. Lugd.

acori pariter atque ille tribuebat et alcalinis volatilibus ac diaphoreticis adjumentis conatus est superare, materiamque malignam, quam in exanthematicis praecipue febribus, tamquam salem volatilem, alcalinum, acrem, penetrabilem, subesse opinaretur, calefacientibus istis, praecipue sulphuratis, stibiatis medicaminibus et regimine exaestuante foras propellere. Sanguinem simul diluendo sibi videbatur ad hanc excretionem rite disponere; eumque optime dilutum (largo theae chinensis infuso) ab omni in morbos propensione vacuum esse. Secuti in hoc Sylvium sunt Bontekous et Craanius. Opio noster multum et feliciter utebatur. Ceteroquin quum instabilis hypothesis hujus viri medicinam regeret, observator incertus neutiquam meruisset, quem consultum adiremus, nisi auctoritas ipsius, memoranda in annalibus artis nostrae, tot ingenia medicorum occupando tam ancipitem et funestam potestatem exercuisset in febris nostrae curationem, quae tot millibus aegrorum exitio fuit, tandem vero per Sydenhamum melioris artis propugnatorem abolita est.

Sudorem nimium febris a. 1670 populariter grassantis Sylvius compescebat absorbentibus cum opio permixtis, et laudat diascordium Fracastorii ut alexipharmacum promptum. Vidit in febre maligna pulsum subinde rarum; spiritus salis diluti egregiam utilitatem in compescendo sale volatili febris ejusdem; acida universim arcendis malignis morbis opportuna. — In constitutione epidemica anni commemorati ditiores potissimum infestabantur, morboque frequenter recidivo. Scilicet post summos aestus ver frigidum secutos malum illud exortum fuerat, quod ab aëre fuisse auctor putat. Morbi facies varia, typus primo intermittens, tertianus simplex, mox duplex, demum triplex, cum anxietate, nausea, vomitu, fastidio cibi, siti, ut tamen potum diu aversarentur omnes; lingua mucosa, aphthae, dysenteria hypochondria distenta, dyspnoea; aut sopor, aut agry-

pnia, dolores vagi, motus convulsivi, maculae haemorrhagicae, tumores oedematosi, hydrops ascites. Bilem, quam ab aestu auctam et acrem putaret, temperare noster studebat lenibus acidis; succi pancreatici acorem spiritu vini volatili corrigebat, quem cum spiritu nitri amabat componere. Vomitum movebat, sudorem salibus volatilibus, narcoticis, potissimum sulphureis pellebat.

Morellius [25]) pestem arbitratur non esse proprium et sibi constans morbi genus, haberi eandem absque maculis, bubonibus, et carbunculis, etiam levi cum febre; et tunc venam cum pernicie secari. Cardiaca rejicit et theriacam; sudorem quidem in peste movet, ut tamen, quoties febris ardens adest, refrigerantia admisceat. Purgantia improbat, cum etiam spontaneam diarrhoeam funestam, et alvum siccam salutarem cognovisset. Cibo aegros non debere obrui. Bubonem evocandum esse vesicatorio. Febrem purpuratam peste nihilo esse mitiorem. Circa novilunium ac plenilunium venenum aëreum pestilens magis infestum reddi.

DAN. SENNERTUS [26]).

§. 92.

Vir non vulgaris doctrinae, suisque non tantum, sed alienis etiam observationibus et meditationibus egregie instructus. In morbo, de quo agimus, describendo multus est, eumque, partim pro intentionis varietate, partim pro symptomatum aliquot concursu, in pestilentiam veram, febrem pestilentem, deinde malignam febrem, putridam, petechialem et hungaricam distribuit.

Pestis naturam quaerebat in occulta quadam et humanae naturae proprie adversaria intemperie, cum

---

25) De febr. purpurat. epid. et pestil. etc. 1641. 4.
26) Opp. T. III. d. febr. L. IV.

contagio et febre vel adjuncta vel non adjuncta. Si adjuncta haec, sine discrimine pestem et pestilentem febrem dicit. Febris pestilens sine peste habetur, cui non is gradus corruptionis humorum adsit, qui pestilentis veneni naturam constituit, licet valde maligna; etiam contagiosa, tamen a causis forte privatis, e. g. humorum depravatione, profecta. Symptomata febris pestilentis a symptomatis pestis non differunt, nisi vehementia, nam in utrisque adsunt bubones, carbunculi etc. Malignae febres non semper contagiosae, non tantam habent vehementiam symptomatum, nec bubones etc., magis autem perniciosae quam simpliciter putridae. Symptomata typhodis status omnibus promiscue familiaria.

Pestem veram, bubonaceam memorans signorum, causarum etc. rationem reddit haud aliter ac priores; singularia quaedam insunt in curandi methodo exposita, nobis ideo paulo consideratius perlustranda. Non in qualibet pestilenti constitutione, nec in quovis corpore sanguis mittendus; sed si ea deprehenditur in corpore sanguinis copia, ut metuendum sit, ne putrida febris vehemens, a qua aeger non minus quam a peste periclitari possit, accedat, aut sanguinis ad loca inconvenientia impetus animadvertitur, unde morbi curatio impediri aut retardari possit, aut si bubo delituerit, viresque potius sint copia praefocatae, quam vere dissipatae; tum demum sanguinem mittere licet, ea quidem copia, quam vires ferunt, nec nisi mox in principio, intra primas 12 horas aut non ita multo post, quia, si usquam, hic prae ceteris occasio agendi praeceps est.

In vena aperienda observandum, an dolor aliquis in corpore alicubi appareat, nec ne; qui si adest et bubonem vel parotidem vel carbunculum erupturum annuntiat, vena in eodem latere ac proxime a parte laborante tundatur, qua detractione naturae motus adjuvetur, non impediatur. Si tamen carbunculus in alterutro crure oriatur, et, quod saepissime fit, inflammationem et dolo-

rem vehementissimum excitat, quo ne vires dejiciantur metus est, in opposito crure vena melius inciditur, ne nimium sanguinis affluat. Monent quidam, ut, si carbunculus vel bubo ante venae sectionem appareant, prius cucurbita tumori applicetur, ne venenum venae sectione intro vocetur.

Purgantia saepe plurimum nocent, ubi materiae motum impediunt, qui a natura ad cutem instituitur, et resorptione humorum aucta fomitem morbificum sanguini et humoribus penitius admiscent, nec non cum noxiis forte utilia ejiciunt. Major spes ut plurimum in alexipharmacis; interdum tamen etiam post haec purgatio erit in usum vocanda. Convenit autem animadvertere in hac medicatione, qualis constitutio aegri sit, quomodo medicamentum alexipharmacum ferat, et qualis febris indoles cum pestilenti affectu concurrat. Nam si corpus purum est, nec de humorum aliqua periculosa intemperie metus; sola alexipharmaca sufficiunt, et sola perspiratione materies morbi promte discutitur per ambitum corporis. Si vero de cacochymia quadam suspicio est, atque a febre putrida idem periculum timetur, quod a pestilenti malo; post alexipharmaci usum mediocris purgatio non inutiliter instituitur, ut subtracta parte putridi fomitis, quippe febrem aucturi, facilius, quod residuum est, a natura possit depelli. Dein origo morbi spectanda est; si quidem ab aëris iniquitate aut contagionis inquinamento genita fuerat pestis, sufficiunt alexipharmaca, ni forsan in corpus impurum causa morbifica inciderit, tunc enim febris putrida erit avertenda. Si vero ab interna humorum depravatione pestis maximam partem exorta; purgatio necessaria est, ne impuri humores aliorum medicaminum usu exaestuentur aut pejorem indolem nanciscantur, aut inflammationem lethalem efficiant. Unde omissa evacuatione, etiamsi pestilentis materiae vires alexipharmacis fractae sint, malum non raro in alium, non minus periculosum morbum degenerat.

Tutissime mox ad alexipharmaca et sudorifera confugitur. Nonnulli statim ab infectione hausto alexipharmaco et sudore inde elicito nihil mali amplius perpessi sunt. Sed si cura protrahitur et horae octo ad duodecim fuerunt elapsae, antequam medicamentum sumebatur, centesimus vix a morbo immunis evadit. Jam vero post primum sudorem videndum est, an corpus sit plethoricum et venae sectio requiratur. Tum inter 12, certe 24 horas ea instituatur. Plerumque vero, quia medici tardius vocantur et virium lapsus praeceps est, consultius intermittitur.

Alexipharmaca virtute plurimum pollere nostro videntur: lapis bezoardicus, si quidem genuinus est, quamvis talis admodum pretiosus; angelica, valeriana, carduus benedictus, dictamnus creticus et albus, imperatoria, gentiana, absinthium, baccae juniperi, terra sigillata, lapides pretiosi, mithridaticum, theriaca, quamvis haec tum temporis longe minus quam Galeni aetate, quum jam non tanta cum diligentia comparetur et partes quaedam, quibus admixtis olim efficax fuerit, non amplius cognitae sint. Ne vero nimium tardus vel nimis parcus hujus medicaminis usus sit, nec sine cautione, habita naturae aegri, aetatis, anni temporis etc. ratione. Ubi febris adest, acida admisceantur, nec facile infantibus haec vel mithridaticum vel similia calida exhibeantur, nec pueris, nec gravidis vel puerperis, utpote quibus mitiora conveniant (diascordium Fracastor). A camphora abstineant, quibus ventriculus, aut caput infirmum est, aut qui eam aversantur; alias dentur ejusdem gr. II ad III. Somnus vitandus aegro est, donec bis sudaverit. Inter sudandum autem reficiatur conserva rosarum, acidulis, aquis cordialibus, odoramentis etc. Finito demum sudore corpus linteis mundis moderate calefactis abstergatur, dein cibis restauretur bene nutrientibus, facile digerendis, acido utiliter condiendis.

Malignitate, sive subtiliore materia morbifica ac pe-

stilenti, maximam partem evicta, si vitiosi humores adhucdum redundant, purgatio conveniens, rheo, vel tamarindis exhibitis, non omittenda.

Ex Prosp. Alpino [27]) noster refert, Aegyptios in peste cruribus, brachiis et inguini vesicatorium applicare vel scarificationibus longis sanguinem detrahere. A bubonibus natis si febris et symptomata reliqua remittunt, aegerque melius habet, ut suspicari liceat, materiam pestilentem totam vel certe maxima ex parte hac via esse ejectam, non peccatur, si concoctio abscessus, etiamsi non perfecta, ut in aliis tumoribus, exspectetur et adjuvetur. Si vero vel bubo non satis erumpat, vel ex virium inopia vel ob materiae copiam superantem, vel licet maxima pars in bubonem depulsa sit, tamen ob ejus copiam moles tumoris nimium augeatur, unde febris et symptomata acerbiora: tunc nullo modo cunctandum, sed unice danda opera est, ut humor emittatur, nam frustra hic exspectabitur maturatio.

Ut, quod humoribus incongruum inest, ad ambitum corporis attrahatur, conducunt cucurbitulae siccae, vesicatoria, scarificatio, inprimis in carbunculis, cauterium, et ulcus, diu servata puris excretione.

---

§. 93.

In febribus malignae quidem in principio latent, pestilentes vero fere in principio mox se produnt. Necesse igitur est, ut cito illae cognoscantur, ne tempus agendi incassum praeterlabatur [28]).

Symptomata quidem in utrisque omnia majoris vehementiae sunt, quam pro (apparente) febris indole; ac peculiare aliquid accidentibus signis subest, quod dum in aliis morbis ipsa offendunt, non obtinent. Virium insignis dejectio, sine causa manifesta, eaque mox a prin-

---

27) D. med. Aegypt. IV, 15. 28) L. IV. c. 11.

cipio conspicua, inquietudo, sudores vagi etc. Pulsus frequens parvus, debilis; inter initia, certe in malignis, saepe naturali similis. — Urina primis diebus aliquando nihil mutata, aliquando tenuis, cruda, interdum turbida, crassa, sedimentosa. — Color non acer, ut in vulgaribus putridis, et symptomata quam pro ratione caloris graviora. — Facies plerumque tetra, a pristino statu aliena. Accedunt sopor vel vigiliae, dolor capitis, hallucinationes sensuum, vertigo, convulsiones, caligo, surditas, sitis molesta, nausea. Vermes ore, naribus, ano projecti, alvi fluxus foetidi, biliosi, colliquativi. Stillae sanguinis de naribus, initio febris etiam largius profluvium malum est. Tumorum, qui saepe retrocedant, difficilis maturatio. Maculae rubescentes, lividae, et alia exanthemata, lingua aspera, nigra, extremorum modo ardor, modo frigus, ac nihil denique mali est, quod non interdum in dictis febribus appareat.

Bona signa in malignis hisce et pestilentibus febribus sunt: graviorum symptomatum absentia, maculae multae et magnae, rubentes, critice erumpentes cum levamine, persistentes, vires bonae.

Cura in plerisque convenit cum pestis ipsius modo relata, in eaque partim febri pro natura ejusdem, partim efficienti materiae occurrendum. In pestilentibus ab initio alexipharmaca temperatiora, aquae destillatae etc., postea, si opus est, sanguis mittatur, isque mature, antequam in corpore omnia turbata fuerint; scilicet ubi copia ille peccat et vasa distendit, vel vires premit, vel motu aliquo concitatur, ut metuendum sit, ne in principem partem rapiatur. Simul primarum viarum evacuatio non negligenda, quocirca clysmata cito adhibeantur lenia.

Sed ubi suspicio est mali jam progressi, ac malignae materiae cum tota sanguinis massa communicatae, venae sectio caute omittitur, ne potius debilitet, quam juvet. Si vero sanguinis evacuatio requiritur, vires au-

tem debiles sunt, cucurbitulae apponantur eaeque cruribus maxime, ut a nobilioribus partibus impetus revocetur. Etiam venae sectio magis convenit quae in pede instituitur.

Purgatio ab initio alia opportuna non est, nisi quae primas vias evacuet, nec reliquos humores exagitet; itaque ex medicaminibus solummodo leniora admittantur, fortiorum enim usu multi perierunt. Ipsi enim putridi et maligni humores maxime naturam irritant; iique si paulo vehementius emoventur, validissimas deinceps evacuationes efficiunt, ac diarrhoeas non raro periculosas. Quidam quum praeservationis causa purgationem instituissent, et fomitem febris malignae jam circumferrent, humoribus agitatis in febrem malignam jam reapse inciderunt; maculae eruperunt, intra paucos dies mors secuta est.

Vomitoria non negligenda, si materies ad superiora turget, cum nausea urgente, inprimis ubi febris a pravo victu ortum ducit.

Hinc iterum ad alexipharmaca accedendum, dumne vero febris eorum usu intendatur. Eligantur itaque temperatiora simulque febri ac putredini resistentia, ut acetosa, poma citri, cornu cervi, bolus Armena, camphora etc. Quibus autem ex his, uti terreis, facile obstructiones incommodae in corpore adaugeantur, his admiscenda sunt, quae penetrant et humores expellant, ut card. bened., scordium, angelica etc. Aquae bezoardicae, acidis vegetabilibus temperatae.

His accedunt externa aliquot praesidia, frictiones oleosae, calidae ad sudorem promovendum (praeeunte Aëtio), praesertim ubi exanthema speratur; a qua unctione aeger statim multis pannis cooperiatur, sudorque et venenati fomitis ad ambitum attractio speratur [29]). Ad eundem finem usus epispasticorum cruribus vel brachiis impositorum non inconveniens est, nec multum is

29) Cf. Prosp. Alp. d. med. Aeg. L. IV. c. 15.

debilitat. Tutiores autem sinapismi quam cantharides, vitandae enim vesicae sunt. Ne vero mox in principio, sed imminuta aliqua ex parte materia applicentur. Denique etiam critico die talia prohibeantur, ne, si forte per alvum salutaris excretio instat, obsistant. — Haec noster de cura pestilentium febrium. Ubi vero maligna febris adest in specie dicta, idem quod in pestilentibus venit perpendendum, num malignitas, an febris magis urgeat, dein etiam hoc, utrum ab interno humorum apparatu, an per contagium provocata malignitas sit, et quo natura ipsa vergat. Nam si a contagio morbus contractus est, vel etiam naturae ipsius conamen ad ambitum corporis tendere videtur, tutissimum est, mox sudoriferum adhibere temperatum, posthac reliqua, quae circa pestilentem febrem praecipiebantur. Si vero ex pravo humorum apparatu febris fuerit, primae viae in principiis morbi evacuandae sunt clysmate, manna, tamarindis, syrupo rosar. solut., rheo, cassia. In harum febrium cura diligenter statim a principio corporis constitutio et victus ratio, quae praecessit, consideranda. A fortioribus, ut scammonio, plane abstinendum; utile autem serum lactis. Sed si putredo statim increscit, et illico major est humorum turba, praecipue si turgent illi, purgandum est; nec nisi ad diem tertium differre hanc evacuationem convenit. Serius quiescendum, aut clysmate solo agendum, ne medicamentorum intempestivo usu humorum concitatio augeatur. Et si quidem tum temporis materiae pravae magnam molem in primis viis haerere signa denuntiant, ante venae sectionem alvus laxanda; si vero non multa illa circa ventriculum fuerit, sed praecipue in vena cava fomes haerere videtur, sanguis praemisso clysmate prius educatur. Tardius etiam purgare licet, si mala temperies non videtur cito proserpere, et febris est mitior, verumtamen ante septimum diem. Emeticum autem et venae sectio adhibeantur, uti supra dictum.

Dein conveniunt sudorifera temperata; fortibus enim ejusmodi pharmacis vires exhauriuntur, quum humores in hisce febribus non semper ita dispositi sint, ut per sudores commode discuti possint; discutitur enim tenuis, crassus relinquitur. Quapropter alteratione et praeparatione materiae incongruae opus est; solet enim talibus etiam morbis coctionis officium a vitali facultate adhucdum peragi. Juvatur vero naturae hoc institutum medicaminibus aperientibus, incidentibus, temperantibus, intemperiem corrigentibus, ex quibus potissimum eligenda, quae malignitati resistunt, sive alexipharmaci quidquam habent, acetosa, tormentilla, carduus benedictus, succus citri etc. Magnus est usus spiritus vitrioli, cui insignis vis adscribitur putredinem sistendi, obstructiones aperiendi, incidendi, attenuandi, corrupta separandi, reliquorum denique medicaminum virtutem intendendi; eoque alia permixta, ut saccharata, sitim efficacius exstinguunt et calorem (oxysaccharum). Abstinendum vero ab eo erit laesis pulmonibus, vel in exulceratione aliqua interna, sputo cruento, dysenteria, sanguinis mictu, pleuritide, ventriculi inflammatione et in senibus ac tabidis. Illa medicamenta pleraque sudorem simul movent, vel ad sudorem humores praeparant, quos natura dein sponte per transpirationis viam propellit.

Maturati autem humores nisi sponte projiciuntur, per viam convenientem evacuentur, lenioribus quidem medicamentis. Purgatio vix ante diem decimum quartum suscipienda, imo si segnis, vel pituitosa materies subest, vix ante 17 diem. — Si ad urinam materia tendere cognoscitur, emulsionibus seminum melonum, citri, cardui bened. c. aq. acetosae etc. juvanda haec excretio est.

Toto vero morbi tempore, tam in malignis quam in pestilentibus febribus cordi epithemata roborantia utiliter applicabuntur.

Victus boni succi sit et facilis concoctu, neque copiosus, naturae morbi aptus. A vino, nisi forte syncope immineat, abstinendum. — Tenuis cerevisia prodest, decoct. corn. cerv., cum spir. vitriol., potio tamarindinata et simil.

---

§. 94.

Putridas febres, quae nunc gastricae, biliosae, venosae etc. audiunt, quibusque satis frequens comes typhodes status (phrenitis, lethargus) vel popularis vel privatus, etiam nostro auctori animadvertebatur; fere ad Galeni doctrinam is distinguit, describit et curat, alterantibus potissimum usus et evacuantibus, phrenitidem, quantum fieri posset, avertendo. Plurima ad hanc medendi rationem spectantia dicta modo sunt ut pesti et similibus febribus convenientia, scilicet quae contra intemperiem s. putredinem humorum hactenus praecipiebantur. Exortam vero phrenitidem iisdem noster adminiculis fere curabat, quibus priores et maxime veteres ipsi usi fuerant. —

Variolae et morbilli pro speciebus variis vel effectibus malignae materiae Sennerto habentur (ib. c. 12), similiter petechiae. Putat illas veteribus Graecis etc. cognitas fuisse, quoniam causa jam locum habuerit: et si quae apud Hippocratem, Galenum, Aëtium descripta leguntur exanthemata, a nostra observatione nonnullis notis differunt; tamen considerandum, ne nunc quidem variolas etc. semper ejusdem speciei apparere, et ejusdem generis morbos aliis atque aliis seculis ex diversitate regionum et victus, ex peculiari constitutione rerum superarum, ex vario hominum vitae genere et causis aliis, tum externis tum internis, quandam varietatem et mutationem accipere posse. Interim multa, quae tum ad naturam, tum ad curationem spectant, communia habent. Graeci autem seorsim de iis non egerunt, quum

morborum epidemicorum comites sint, et criseos vice in morbis contagiosis et malignis erumpant, sicut nec de contagio et aliis, quae pestilentes morbos comitari solent.

Petechiae interdum dignoscendae veniunt a pulicum morsibus. Illae quidem si digito comprimuntur, evanescunt paulisper, sed redeunt statim neque punctura vestigium in medio ferunt; in his autem punctum morsus in medio conspicuum a compressione non delitescit, licet reliquo rubore circumquaque evanescente.

Qui triplex motus in corpore, idem et in petechiis observatur. Modo plane salutaris, criticus, morbum solvens, quod quidem rarius in hisce. Interdum symptomaticus, ubi cruda materies adhuc et in principio morbi, die non critico, propellitur; id quod frequentius in petechiis. Hinc morbus non lenitur, sed potius humor malignus in venis ebulliens et vel copia vel pravitate naturam stimulans annuntiatur. Interdum medius quidam motus observatur, scilicet ubi progresso morbo post aliqua coctionis signa cum mediocri virium robore talis excretio instituitur, unde conspicua remissio, sed non integra a morbo liberatio contingat. Etiamsi igitur rarius critice prodeant petechiae, potius magnam materiae copiam arguant, nihilominus ex paucitate macularum spes bona concipienda non est; nam potest naturae imbecillitas non sufficere in expellendis humoribus malignis. Nec obstat, quod saepe in periculum incidant, quibus hae maculae delitescunt. Nam melius quidem, erumpere materiam; istae tamen parum nec nisi halitum quasi de morbo subtrahunt; indicio autem sunt delitescentes, materiam aliam viam affectare, et ad caput, ad cor aut aliam partem internam moveri. — Tardius apparentes vero, pariter ac citius prodeuntes perquam periculosae, ob humorum crassitiem non facile superandam aut cutis densitatem.

Signa morbi concomitantia ceteroquin sunt eadem, quae supra recensebantur, neque curatio differt. Venae

sectio, ubi opus est, ante quartam diem; postea omittatur. Cubiculi calor mediocris. Lenia ac temperata ut plurimum praeferenda; neque in mitiori casu vires fortioribus sudoriferis temere debilitentur. Alvi fluxus non supprimendus, cum natura evacuationem instituat, dumne copia ille excedat. Postea vires roborandae, ut in peste.

Vesicantibus locus est praecipue, ubi exteriora frigent, interiora uruntur, vel gravia symptomata adsunt in capite, ubi habitus magis carnosus et temperamentum minus excitabile.

§. 95.

Morbus Hungaricus (Ib. c. 14), contagiosus, saepe maculosus, febri petechiali similis, ubique primarum viarum vitioso apparatu infestus est. Variant autem signa pro regionis et victus ratione diversa, quum morbus in varias terras esset perlatus; in nonnullis mitior, quasi enervatus. Maxime constantia sunt: dolor ad frontem atrox; cardialgia, ab attactu aucta; sitis inexhausta; deliria; fere omnibus surditas, eaque salutaris; pessima crisis tubercula in summo pedis, quae scalpendo aperta serpebant, unde negligentibus sphacelus tandem crus occuparet. Perierunt omnes, qui vini potu non abstinuissent (Febris typhodes gastrica).

Cura haud absimilis febrium pestilentium et malignarum descriptae. Si corpus alias purum et per contagium saltem labem hausit, primis viis leniter evacuatis, alexipharmaca mox exhibenda. Si vero ex incongruo victu morbus prodierat, et ex ventriculi cruciatu, anxietate, nausea etc. colligitur, multum saburrae ventriculo contineri: ea omnino purgantibus vel emeticis tollenda est; haec enim non concoquuntur et, quidquid assumitur, corrumpunt; si vero sudorifera intempestive exhibentur, in penitiora corporis sordes rapiuntur. Venae sectio fiat, ubi vires consentiunt et constitutio

eam requirit; maturanda tamen est, cum cito vires prosternantur. Qui enim in principio illam neglexerant, plerique obierunt. Instituatur itaque primo vel secundo die, depuratis primis viis, serius plerumque non fertur. Maculae efflorescentes sanguinis detractionem non impediunt, natura enim, onere illo liberata, quod residuum est materiae, jam potentior vincit et expellere valet. Viribus jam prostratis venae sectio omittenda; neque etiam tuto instituitur, si vomitus vel alvi profluvium adest. Inciditur vena in brachio, si vero debiliores fuerint vires, commodius ex pede detractio fertur, humoribus ita simul revulsis. Serius, viribus jam lapsis, si sanguinis missione opus esse videatur, cucurbitulae affigi possunt, eaedem passim post venae sectionem, optime in partibus inferioribus adhibentur, derivandi causa. Natura partim sic levata, sudoribus reliquiae morbi discutiuntur, fervorem tamen non augendo, et comparatis inter se febre et materia maligna. Quo major haec, eo potentiora alexipharmaca, acidis tamen temperata. Plurimum nocent vinum ac cerevisia fortis.

LAZARUS RIVERIUS [30]) (Monspeliensis).

§. 96.

Febres typhode statu infestas pro gravitatis et pertinaciae varietate, quam ex materiae diversitate profectam judicat, viribus naturae facilius, difficilius superantibus, priorum vestigia secutus, in putridas et pestilentes distribuit, utrasque tum symptomatum vehementia, tum coctione magis minusve perfecta, tum ad medicamenta responsione bene vel male promta, inter se differentes.

Febris putridae prae ceteris humoribus frequens causa inde ab antiquitate habetur biliosa intemperies.

---

30) Meth. curand. febr. Opp. 1651. 8.

Typum illa amare videtur tertianum, et quoniam acris est, inflammationes, aliasque partium laesiones proritat, inprimis phrenitides crebras, febres tamen citius ad finem decurrentes. — Quibus ut cura rite geratur, diaeta ante omnia constituenda est, quae naturae humoris quam maxime repugnet. Et cum iste siccitate sua, acrimonia et fervore potissimum noceat, victus humectans, diluens ac refrigerans apprime conducit, qualis jam Hippocrati antiquitus tantopere utilis est repertus. Scilicet ptisana vel cremor ejusdem, juscula ex herbis emollientibus, acidis vegetabilibus condita; potus emolliens, blandus, acidulus. At vero, quando admodum tenuis et acerrimae bilis suspicio obtinet, non conveniunt acida; sed leviter incrassantia, syrupus violarum, aqua hordei simplex praeferenda. Quibus ex pituitoso fomite vel atrabilari febrem ali symptomata et decursus doceant, quippe segnior motus naturae, ac specie quidem mitior, sed gravior saepe, difficilior morbus diuturna virium dejectione et pessimis accidentibus insignis; iis magis calefaciens victus isque attenuans simul offeratur. In illis quidem, biliosis, humidus aër sit ac frigidus, dumne ad perflatum corpus denudetur, quum diaphoresi maxime opus fiat, quare leviter stragulis obveletur, lintea saepe mutentur, modo non sint recenter lota, nec lotionem redoleant, neque instante crisi, quo tempore omnino nihil movendum. Cetera omnia similiter peraguntur, atque apud veteres. In pituitosis vero et atrabilariis febribus, nimia frigiditas vitanda; aërque modice calidus et siccus conservetur, victus plenior, ex carnibus, ut in longis morbis; levis exercitatio, si protrahitur morbus. In omnibus promiscue non retinenda, quae expelli debent, sed immodica quaevis evacuatio cohibenda; perturbatio vehemens omnis compescenda.

Venae sectio statim ab initio fiat, nisi infirmitas obtinet. Instituatur alvo prius laxata enemate. Copiam sanguinis detrahendi definiunt plethora, vires, aetas,

anni tempus, consuetudo etc. Mittitur autem partim evacuandi, partim revellendi, partim intemperiei arcendae, partim coctionis juvandae, partim refrigerandi sive febrem compescendi gratia. Tutius partitis vicibus conveniens copia deducitur, ne subita (apud veteres frequens, quibus ad animi deliquium mitteretur) jactura vitae discrimen inferatur. Parcius detrahatur in diathesi admodum biliosa (ut Avicenna et ceteri Arabes jam monuerant), et aestate adulta, nec non in pituitosis et atrabilariis, ac summa perpetuo ratio habenda est coindicantium et contraindicantium, quum pueros et senes hieme et frigida in regione ejusmodi febres ut plurimum invadant. Ubi nimius labor praecessit, caute et parcius vacuandum.

Ceteroquin mittatur peracta ventriculi concoctione et sordibus remotis, tempore quidem remissionis, neque in vigore febris. Iteratio missionis, si ad depletionem necessaria est, eodem die instituatur; si revulsionis causa, diversis diebus, ut natura motui contrario per continuitatem quasi assuefiat. Aperiatur vena in brachio, aliquando in pede, quando quidem revellendum est, et vires debiliores, ubi ad caput morbi impetus fertur, ac vigiliae et dolor capitis urgent. Frictiones rarae fiant, nisi cum syncope febris incedat. Cucurbitulae applicentur, ubi venae sectionem aetas et vires non permittunt.

Medicamenta maxime conveniunt evacuantia et alterantia. Illa speciatim alvi dejectiones, vomitum, sudorem, urinam cient; haec vel refrigerant vel attenuant, incidunt, aperiunt, roborant.

Purgantia in principiis quidem febrium prohibeantur, quia materia eliminanda in venis adhuc retenta habetur, nisi, quod tamen raro, jam turgeat et natura eam expellere conetur; tunc evacuandum, ne in partem nobiliorem causa morbi irruat. Ut plurimum vero coctionem exspectare praestabit. Interim si apparatus gastricus in primis viis residet, qui, ubi plurimus est, fe-

brem augeat et coctionem materiae in venis contentae praevertat, purgationem altera die a venae sectione instituere licet levioribus, ut cassia, manna, tamarindis, syrup. de cichor. composito, rosarum solutivo varie mixtis; rheum a quibusdam rejicitur ut exaestuans, et manna ac syrupus rosarum, quia dulcia sunt et biliosis molesta evadunt, verum non nocent cum aqua vel decocto mucilaginoso infusa, praecipue si addideris tamarindos.

Interdum emetica in principiis morborum necessaria, ubi sordes primarum viarum ad superiora turgent; sed mitiora sint, ut aqua hordei tepida, cum oleo amygdal. etc., verum etiam efficaciora passim usurpanda.

Clysmata non solum in principiis, ante venae sectionem, sed etiam toto decursu conducunt, singulis vel alternis diebus injecta, si alvus non rite respondet, emollientia et mucilaginosa, nec tamen nimis relaxantia, vel refrigerantia; in febre biliosa omni exhibeantur solummodo leviter tepida; in pituitosa decocto emollienti aromatici nonnihil adjiceatur, ex semin. anisi, foenic. etc.

At vero eradicativa purgatio non ante, quam maturata ac rite subacta materia fuerit, suscipiatur. Hinc ab ipso initio post venae sectionem ac primarum viarum evacuationem, ea medicamina continuo adhibenda, quae crudos humores praeparent ad excretionem, coctionem adjuvando, simul aestum febrilem, si convenit, temperando, quae putredini serpenti forte resistant, et sanguinis motum in abdomine expediant; julepi varii, emulsiones etc. In biliosis praeferuntur succi vegetabiles aciduli, oxysaccharum cum decoctis emollientibus, blandis. Apparentibus coctionis indiciis addatur radix liquiritiae, fol. agrimon. etc. In febribus pituitosis et longis praestant incidentia, attenuantia, aperientia, primo debiliora: syrup. acetos. dec. agrimon., betonic., liquirit., mox fortiora, oxymel simplex, syr. de hyssopo, dec. chamaedryos. Aquae frigidae largus haustus

(quippe quo veteres aliquot affatim usi fuissent) nostro suspectus est, ob periculum dyspnoeae, hydropis, convulsionis, lethargi ex intempestivo usu supervenientium; confert tamen aliquando in magno aestu febris copia modica cum spiritus vitrioli pauxillo condita.

Viribus interim, ubi opus est, reficiendis inserviunt opiata et condita roborantia. Usurpatis autem per aliquot dies alterantibus evacuatio opportuna est, inclinante febre, apparentibus signis coctionis, vitatis diebus criticis. Pauloque fortioribus medicamentis hic locus est, quam in principio morbi: sennae, rheo etc., quorum indoles et dosis humoribus exturbandis et constitutionibus accommodari debent. Rheum suspectum est in egregie biliosis, nisi aqua leniente, refrigerante infusum et decocto tamarind. et herbar. emollient. temperatum fuerit.

Purgatio ubi febris protrahitur identidem erit repetenda, interjectis resolventibus, praeparantibus, donec totus morbi fomes sublatus fuerit; alioqui recidiva exspectanda est. At vero si post repetitas purgationes febris lenta perseverat, quae in tabem deducere videatur, optimum est, purgationes intermittere et febrem sola victus apta ratione alterantibusque remediis impugnare. Nam interdum vitium aliquid in visceribus causa est febris diuturnae; tunc frustra fatigatur natura purgantibus, ipsa vero, vires remotis medicaminibus recuperans, morbi causam suo marte evincit et subactam sponte expellit.

Si vero febris lenta ab impedimento quodam in sanguinis circuitu orta est, veluti in pueris saepe observare licet, morbus auferri solet frequenti, ac diutius continuata purgatione, levissima per epicrasin, ut Galenus vocabat, ad quam peragendam rhei infusum optimum est, quippe quod obstructiones aperit et vires simul roborat[31]). Sic per mensem et diutius continuabitur;

31) Eodem purgationis ritu ac medicamine nuper felicissime usus est Lentinus in curanda rhachitide. *Beitr. z. ausübend. Arzneiw.* Vol. IV, suppl.

interdum additur vini aliquid, si quidem febris admodum remissa est et habitus aegri nonnihil torpidus, pituitosus.

Absoluta purgatione naturae beneficio plerumque per urinas, declinante morbo, quae residua forte sunt, excernuntur, quod salutare opus emulsionibus et aperientibus medicamentis juvandum est, ut supra praeceptum; etiam hic segniori corpori stimulus addi potest, uti radix foenicul. vel petroselini.

Alias, ubi ad ambitum corporis reliquiae morbi spontaneo conatu propelluntur, diaphoretica addere convenit, nec tamen calida, sed temperata, qualia etiam diureticis addi possunt: aq. card. bened., aq. scabiosae, spirit. vitrioli (vid. §. seq. d. febr. malign.). Eademque medicamenta in hoc statu benignae materiae simpliciter sudorifera vocantur, quae, ubi rebelli, graviori atque maligno fomiti opponuntur, alexipharmacorum nomine veniunt.

Externus relaxantium, temperantium usus conducit, illorum vero nonnisi in statu morbi aut decremento; juvant etiam epithemata ad cor, ad hepar. etc., prouti in aliqua parte labor est. Balnea differenda sunt, donec febris in diuturnam abierit, quando corporis calor magnus et siccitas est, ac squalor hecticam febrem portendens.

Denique soluta per crisin febre, si quid materiae reliquum est, purgatione secundaria auferatur, praecipue ubi per sudoris aut haemorrhagiae viam judicatio obtigerat.

Ex symptomatibus maxime urgentibus, in cura sigillatim respiciendis, commemoranda hic veniunt dolor capitis, vigiliae et deliria. Tolluntur haec iisdem fere praesidiis, quibus totum morbum impugnandum noster docebat, revellentibus, repellentibus, resolventibus, paregoricis, clysmate emolliente, purgatione blanda, venae sectione, cucurbita, lotione pedum. Praeterea demul-

centia propinantur, ubi humores calidi et acres peccaverint. Narcotica non nisi maxima urgente necessitate admittuntur, ac reliquis nihil proficientibus. Nec vero haec omnia instante crisi exhibeantur, quippe cui facile impedimento sint, ante omnia tunc abstinendum a narcoticis. Sed haec accuratius alio loco auctor exponit, phrenitidis ipsius curam describens (vid. infr.). Ubi somnus justo profundior apparet, tunc quae de affectibus soporosis seorsim relaturi sumus, noster in usum vocat, vitatis omnibus calefacientibus.

Rarissime fiunt febres acutissimae ac perniciosissimae sine interno et peculiari visceris cujusdam pathemate, inflammatione. Hinc sedulo hypochondria, caput, thorax, regio vesicae ac crebro investiganda.

---

§. 97.

Febris maligna [32]), pestem quidem, febrem pestilentem, malignam in specie dictam, ac purpuratam s. petechialem, ut gradu et intentione diversas, amplexa, potissimum fomitis pejore indole a putrida, quae tamquam benigna est, distinguitur. Neque tantopere in magnitudine stimuli quaeritur differentia speciei, quam in qualitate perversa, quae atrox et a natura humana magis aliena sit. Si putridae febris causam Riverius simpliciter putredinem et intemperiem humorum dicit, malignae materiem velut venenatam, subtiliorem agnoscit, utramque invicem notione sejungit, etiamsi in praxi et singulis morborum exemplis plerumque fere consociatae appareant. Prouti alterutra earum, potestate superior, externam morbo formam constituit, tales casus modo ad putridas, modo, id vero frequentius, quum maligna materies efficacia sua immanis sit, ad pestilentes s. malignas in genere dictas referendi erunt. Adduxerat nostrum

---

32) L. c. Sect. III. p. 90.

ad hanc materiae febrilis differentiam statuendam tum symptomatum diversa ratio, quasi bifariam apparens, ut indicatum est, tum etiam usus aetatis et priorum exemplum, virorum in arte praeclarorum. Differt enim eo maxime a putredine malignitas, quod solidas partes haec atque facultatem vitalem peculiari quadam stimuli efficacia pessundat.

Febres pestilentes vel malignae ut plurimum epidemicae grassantur, aliquando tamen sporadicae proveniunt, ex humoribus male temperatis et venenatam quasi indolem adeptis. Contagione etiam aegrorum, nec solum ex causa communi, aëris scilicet aut alimentorum vitio contrahuntur.

Animadvertere autem licet, pro hujus maxime originis discrimine, aliquando summam putredinem cum summa malignitate conjunctam, viribus vitalibus maxime dejectis (febris nervoso-putrida recentiorum). Alias symptomatum complexus intemperiem quidem summam in humoribus, et malignam qualitatem vel, ut nuperi voluerunt, solidarum partium afflictionem, remissam agnosci jubet (febris simpl. putrida, venosa, gastrica); tunc vitalis facultas minus laesa apparet. Alias denique putredo quidem minus insignis, sed prava indoles intensa est, ubi illius quidem ratione non ita acerba symptomata, vires tamen ab hac egregie labefactatae cernuntur, quae febrium species (nervosa ab Anglis dicta; Stollio proprie maligna; hectica pestilens Galeni) nec aegro nec adstantibus molesta, sed mitis primo aspectu apparet, tamen admodum exitialis, sine signis alicujus cruditatis vel intemperiei humorum, cum urina ad speciem sana etc. Ac licet in ea, quae primo loco commemorabatur complicationis varietas, putredo maxima per se quidem opportunis remediis emendata fuerit, ac signa futurae salutis appareant; mors tamen interdum a non sublata malignitate subsequitur.

Symptomata harum febrium promiscue haec

sunt: dolor capitis, deliria, sopores, virium prostratio et alia signa, quae et putridis simplicibus febribus habentur communia; nullumque exstat atrox signum, quod non interdum in malignis hisce inveniatur. Proprium vero est macularum eruptio, et vibices. Adjunguntur iisdem, prae ceteris febribus, plurimi morbi exitiales, phrenitides, pleuritides, dysenteriae etc., praecipue vero bubones et carbunculi. Diagnosin confirmat syndrome omnium vel plurium signorum; et quamvis illa et in aliis febribus reperiantur, hic tamen peculiarem et maligna conditionem acquirunt, quod vel mediocriter exercitatis innotescat. Petechiae aliquando criticae, saepe symptomaticae, cum ante coctionem ad cutem materies ejicitur, natura importune stimulata.

In causis enumerandis Galenum noster habet praeeuntem et alios, de quorum nonnullis supra relatum est. Circa fontes popularium febrium plurimum tribuit temporum inaequalitati, vel quum, praepostero ordine, hieme calor aut frigus aestate obtinet, unde maximam fieri ait conturbationem humorum; ex hac autem pravam nasci conditionem morbis malignis producendis idoneam, praecipue in illis, qui ex prava victus ratione plethoram, temperiem perversam vel obstructiones contraxerint. Etiam rerum coelestium potentia valet in provocanda constitutione maligna. Saepenumero pestilens morbus existit, nulla facta in aëre, quoad manifestas virtutes, mutatione insigni; sed purus ipse aër est, purior que interdum, quam in alia constitutione non pestilenti. Quae res aliter explicari non potest, nisi posito aliquo influxu ex altiore nobisque recondita natura, quasi sideribus profecto. Sic saepe hieme pestis oritur vel in hiemem saevitiam protrahit, dum putridi morbi simplices aetatis fervorem ac humiditatem amant. Illud est divinum, quod jam pridem Hippocrates [33]) agnoverat.

---

33) In Prognost. et Epid. L. II, 1; vid. supr.

Plurimi ex morbo cum perniciosissimis signis evaserunt; alii cum salutaribus e medio sunt sublati. Pulsus et urina sani similes, admodum periculosi; quippe coctione plane praeterversa. Surditas in principio morbi, mali ominis (Hipp.), tamen in statu ejusdem apparens salutem portendit. Sanguis emissus purus, integer ac naturalis periculum significat; nam plus adest malignae indolis, quam putredinis. Carbunculi plures paucis sunt periculosiores; contra bubones plures paucis securiores. Parotidum tumores in augmento et statu morbi lethales, sed vel tantillum decrescente eo apparentes et ad suppurationem venientes, salutares. (Cetera, uti apud Hippocratem et alios leguntur.)

Qui sani adhucdum degunt, eos a contactu febrium eadem noster ratione defendit, qua Galenus, et qui hunc sectabantur; scilicet dispositionem morbo faventem evertere studet et in contrariam mutare. Debiles victu lauto et roborante reficit. Densa et compacta corpora, ubi talia maxime in popularem morbum prona, a plethora et cacochymia liberat. Plethoram coërcet venae sectione, nisi tempus anni adversetur calidius aut frigidius et pestilens aëris constitutio, tunc enim venae sectio prohibetur, nisi plethora ad vasa manifeste urgeat, vel consueta sanguinis excretio suppressa fuerit. Nam exhausto sanguine facilius aër inspiratus exercebit vim pestiferam, et difficilius evadet aeger, si morbus supervenerit viribus aliquantulum imminutis. Cacochymiae medetur purgatio, praemissa praeparatione, si quidem necessarium fuerit visum; fiat vero ista blandis medicaminibus, quibus utiliter alexipharmaci aliquid admixtum fuerit. Multitudo evacuantibus, crassities attenuantibus, et lentor abstergentibus rite aufertur. Aër pro vitii varietate, quantum fieri potest, emendandus. Ubi valde perniciosa ejusdem constitutio evaserit, praestantissimum est coeli mutatio.

Aegrotorum vero curatio dirigenda est ad fe-

brem, putredinem et malignitatem. Febris impugnatur refrigerantibus et humectantibus; humorum intemperies, alterantibus, evacuantibus; quod malignum morbo subest, alexipharmacis. Quas omnes secundum intentiones triplici instrumento agendum est, hoc fere modo.

Victus idem sit, qui in putridis febribus, acido solummodo largius potui et jusculis adjecto. Vini usus aliquando proficuus virtute alexipharmaca, analeptica, saepe tamen magnopere nocet aestu febrili plurimum intenso; quare morbi natura et aegri temperies in hujus usu consideranda. Nam si febris quidem admodum exigua, malignitas vero egregia, corpus aegri pituitosum, non facile excitatum; tuto et feliciter vinum in potu exhibetur valde temperatum. Nocet autem in febre magna et biliosa intemperie. Nunquam primis morbi diebus dandum illud est, ne cruda materia nimis inde exagitetur; potius circa fastigium, malignitatis signis luculentius jam manifestatis.

Instituto victu, praemisso clysmate primum vena in brachio secanda est, rationibus saepe memoratis. Abstinendum ab hoc, ubi facultas vitalis maxime labefactata, vel egregia malignitas urget. Minor copia sanguinis mittitur, ubi per humorum plenitudinem indicata quidem detractio est, sed vires infirmiores sunt, ob malignitatem majorem; plus, adeoque iterata vice, hauriri potest, ubi febris maligna ex morboso apparatu potissimum in venis collecto orta fuerat, inprimis si inflammatio visceris cujusdam acciderit vel immineat. Instituatur venae sectio mature, ne, viribus morbo paulatim dejectis, opportunitas elabatur. Et quum febres illae variis temporibus diversos mores prae se ferant, ex diverso gradu malignitatis; sedulo observandum, quando grassari incipiunt, quid aegri ex venae sectione emolumenti capiant. Exanthematum eruptio non obstat, quo minus, si alioquin indicata venae sectio fuerit, sanguis modicè detrahatur, praecipue si in principio illa contigerit, quo

tempore critica evadere non solet, et si metus inflammationis est. Cauta et mediocri detractione juvatur motus naturae et excretio salutaris ad superficiem corporis, adeo ut saepe eodem die, quo secta vena fuerit, copiosi sudores iique critici erumpant. Post venae sectionem consultissimum est, plures cucurbitulas adhiberi, cruentas vel siccas; ut humores extrorsum trahantur. Optime incipitur a partibus inferioribus, dein adscendendo ad dorsum et scapulas, quo adminiculo maculārum eruptio multum juvatur. Vires debiliores venae sectionem in pede facilius ferunt; eadem salutaris est in mulieribus et phrenitide imminente.

Frictiones laudantur fere quales Aetius commendaverat, dummodo oleo sabinae amygdalarum oleum substituatur. Vesicatoria, praemissis evacuationibus, praecipue in soporosis affectibus toto morbi decursu utilia, aliisque in saevissimis symptomatibus quinque noster simul imponit; cervici, brachiis et cruribus. Stranguriam inde facile oriundam avertit emulsionibus.

A purgatione in principiis, quantum fieri potest, abstinendum; nam facile perniciosus inde excitatur alvi fluxus, et maligna materia vel indoles exagitatur et amplius diffunditur. Praeferuntur clysmata frequentia evacuandi gratia. Circa ventriculum collectus et turgens apparatus eccoprotico benigno eliminetur, ut materia aliena in venis contenta postmodum commodius dometur, utpote quae ante coctionem non potest educi. Juvant cassia, manna, tamarind., syrup. de cichor. comp., rosar. solut. (cf. supr. d. febre putrida); enemata per totum morbum, uti circa febrem putridam, praecipiebatur, partim ut sensim materiae aliquid detrahatur, partim ut continua a superioribus partibus revulsio fiat.

Interea calor febrilis, putredo humorum et maligna qualitas corriguntur julapiis alterantibus ex decoctis supra dictis, rad. acetosae, cichor., gramin., bugloss. lapath. acut., capill. vener. tamarind., quibus alexipharmaci non-

nihil adjiciatur; ex rad. pentaphylli, tormentill., fol. scordii, card. bened., scabios., betonic., frustis limonum, citri, aut seminibus eorundem; ras. corn. cerv. c. syr. acidul.; acida largius addenda; praecipue spiritus vitrioli, a chymiatricis summopere commendatus. Nitrum.

Toto autem morbi decursu assumantur alexipharmaca, quae partim siccent, absorbeant, aliquantulum adstringant, uti bolus Armena, terra sigillata, pentaphylli et tormentill. rad.; partim acido et tenuitate sua putredini resistant, ut spir. vitriol. etc., quae quidem in principio et augmento magis conducunt; partim calida, quae perspiratione aucta materiam subtiliorem dispellant, et cardiaca virtute vitalem facultatem reficiant: camphora, angelica, theriaca, scordium etc., quorum vero usus ut plurimum ad statum morbi et declinationem differendus est. In vera peste etiam ab initio dari possunt, ubi malignitas primo statim atrocissime infestaverit. Denique veniunt, quae specifica habentur, ut lapis bezoardicus, cornu cervi et al. Varianda autem haec sunt pro vario gradu malignitatis ac putredinis, pro varia febris intentione et remissione, pro vario aegri temperamento, sexu, aetate aliisque conditionibus, quae certis regulis definiri non possunt. Ubi febris exardet, refrigerantibus et acidis insistendum, ubi remissior est, et malignitas morbi terret, calidis et diaphoreticis. Lapidi bezoardico et pretiosis noster parum tribuit, illi ut raro genuino et his ut inefficacibus. Aquam theriacalem ipsi theriacae praefert, ut tenuissimam, valde spirituosam et penetrantem. (ʒß—1 in dec. sudoriferis). Paratur ex theriaca cum succo limonum aliarumque plantarum alexipharmacarum et vino vel spir. vini. Hujus medicamenti usus maxime viget in vera peste, ut summae malignitatis morbo.

Alexipharmaca per vices immutanda sunt, ne natura uni eidemque assidue usurpato nimium assuefiat et contemnat vires. Etiam haec varietas est materiae mali in singulis corporibus, ut, quod uni profuerit, alteri non

conferat. Virium summa ratio continuo habeatur, eorundem fere medicaminum adjumento.

Augetur illorum virtus externorum praesidiorum usu, cucurbitulis siccis, vesicatoriis pluribus, fomentationibus aromaticis etc., de quibus supra.

Devicta tandem his remediis malignitate et febre remissa, morboque declinante, si coctionis signa apparent manifesta, purgatio instituitur viribus adaptata, ex senna, cum rheo et herbis aromaticis, eaque non raro repetita, ut recidiva vitetur et convalescentiae tarditas.

Symptomata atrociora curantur ut in febribus putridis. Verum in cerebri affectionibus oxyrrhodina, ut repellentia, minus hic conveniunt, quam in simplici febre putrida, quia malignae materiae, tamquam subtilioris, difflatio omni arte procuranda, non autem intus ipsa retinenda est, nec diu repellentia fortiora adhibeantur, sed leviora, ex florib. et seminib. mediocriter aromaticis acido irroratis. Ad somnum conciliandum emulsiones, vel narcotica mitiora, parvaque dosi porrecta, ut syrup. papav.; nec nisi necessitate urgente laudanum opiatum cum conserva rosar. vel theriacae recentis ʒß admittatur. Sed haec raro veniunt concedenda, quia excretionem materiae malignae impediunt. Ceteroquin cura sic geratur, ut de phrenitide seorsim referetur.

Alvi fluxibus cautissime medendum est, ne salutaris forte excretio praepostere cohibeatur, neque sibi relicta vires dejiciat. Moderatum itaque profluvium, quod non debilitet, non nisi clysmatibus roborantibus regendum est; immodicum vero, colliquativum, audacter coërcendum, theriaca, laudano, diaphoreticis potentioribus, largis, quibus perniciosissimi fluores saepe momento restinguantur.

Parotis intumescens in principio laxanda; attrahentibus curandus est, qui segnius tumor increscit, ac diaphoreticis. Ungt. de althaea cum lana succida. Attractio fit admotis animalibus junioribus, recens mactatis, catu-

lis, pullis columbinis, calidis adhucdum, quibus etiam dolor temperatur; efficaciora sunt, empl. ex fermento, cepis, caricis etc.

In carbunculis cum febre ardente, si ante eruptionem sanguinis sufficiens copia missa non fuerit, vel si amplius mitti potest, venae sectio in vicinia instituatur, attrahendi causa. Postmodum circumquaque profunda scarificatio fiat, fomentatio cum aqua salsa calida, aliquantisper, ut sanguinis concretio impediatur et affluxus juvetur. Mox causticum in media pustula applicetur, toti autem humori cataplasma ex herbis aromaticis et acribus cum caricis contusis imponatur per biduum; dein succi alexipharmaci cum vitello ovorum. Supra escharam unguentum basilic., et ubi deciderit illa, unguentum aromaticum leniter irritans superhabeatur.

---

§. 98.

Cum hac febribus dictis medendi ratione illa medicina bene congruit, quam statui typhodi (phrenitidi, ac soporosis affectibus [34])), per se existenti, sive populari, sive privato, qualicunque febri comes accesserit, noster adhibendam praecipit. Cardo totius curationis vertitur in sanguine, quo cerebrum offenditur, evacuando, revellendo, depellendo, discutiendo, partis laborantis intemperie corrigenda, robore tum ejusdem tum totius corporis conservando.

Praemisso et hic quidem clysmate vena secatur vel brachii, si magna sanguinis copia adest, ac postea forsan cephalica, si convenire videtur; vel, ubi sanguinis fluxus male suppressus fuerat, in pede, repetenda interdum missione, si indicia jubent, licet febris ratione prius forsan sanguis detractus fuerit. Parcius vero in tali statu dematur, quia vires a praemissa evacuatione

---

34) Prax. med. L. I. c. XI p. 46.

nonnihil attenuatae fuerint. In omni ejusmodi incisione foramen venae minus amplum sit, ut cito coalescat, neque ab aegro dissolvatur.

Instituta venae sectione somnus phreniticis procuretur, admotis ad sinciput repellentibus, refrigerantibus, hypnoticis. Ubi vero locus illi auxilio non fuerit, cucurbitulae cum profunda scarificatione primo inferioribus, dein superioribus partibus applicentur. Accedant frictiones earum partium, et vincula tibiis revulsivo scopo circumjecta. Alvus lenientibus quotidie subluatur, remotis tamen oleis; vesicatoria ad scapulas et brachia.

Alvum evacuantia in primaria phrenitide non conveniunt; prosunt interdum in secundaria, quae continuae febri successerit, potissimum malo incipiente, quando humorum intemperies et materia turgens est. Eligantur benigniora ac temperata, qualia aliquoties enumerata sunt.

Statim vero a sanguinis detractione oxyrrhodina applicari possunt, modo magis, modo minus efficacia, ut materiae ad cerebrum impetus repellatur, ipsum refrigeretur; sed hoc ne triduo diutius fiat. Cautione enim opus est, ne diuturna fomentatione cerebrum, quod natura sua frigidum, minusque sanguiferum est, laedatur ac sopor malus superveniat, id quod facillime senibus et debilibus accidit. Ubi inflammatio ad cutem et extrorsum vergere videtur, a repellentibus, praesertim fortioribus, abstinendum. Interea capiantur emulsiones, julapia et alia emollientia, diluentia, syrupus papaveris; cautissime a debilibus laud. opiatum. Lotio pedum calida emolliens saepe conducit ad somnum alliciendum; eadem virtus quibusdam odoramentis est, et sedo majori contuso et cum lacte ad sinciput applicato, quod tamen auferendum, simul ac somnum aeger ceperit; alioquin ne cataphora superveniat, metuendum.

Utilissime interdum venae narium apertae sunt setis etc. immissis, post universalem factam evacuationem,

quo adminiculo praeter alios Zacutus Lusitanus in juvene plethorico quondam usus fuerat egregio cum successu, etiam hirudines pone aures, ad nares, anum etc., commendantur.

Medicamentis humores ex cerebro repellentibus paulatim resolventium aliquid adjiciendum est, copia magis magisque aucta, ut, quod in capite residuum est, rite discutiatur, quem in finem oleum anethi cum oxyrrhodinis utiliter subigitur. Praecipuam resolvendi virtutem noster in animalibus recenter mactatis, vel partibus eorum, capitique admotis reperire sibi videtur. Dicuntur haec calore ac vaporibus suis partem laesam roborare, materiam irritantem temperare ac discutere; et vulgo, ut domestici remedii, ille usus increbruerat. Quae si nihil efficiant, suadet Riverius, ut, in primaria saltem phrenitide, vertici cucurbitula affigatur, quo melius per suturas aliquid exspiret; rubor cum tumore inde natus cultro inciditur; alioquin, ubi non erubuit locus, lavacrum aquae calidae cum discutientibus adhibeatur.

Lethargi curam haud aliis noster moliebatur praesidiis, ac quibus phrenitidi mederi studebat, ceteroquin a veteribus, Aretaeo, Galeno etc. vix aliquantum dissentit.

---

§. 99.

Postquam curandi rationem, qualis tunc aetatis in usu esset, generatim, per praecepta ex privata vita abstractam reddidimus; non inutile neque injucundum fuerit, exemplis quibusdam brevissime notatis, etiam veram naturam et curam gestam in singulis decumbentibus intueri. Riverius vero ad ejusmodi demonstrationem prae multis, ceteroquin praeclaris viris bene convenire videtur, quippe successu artis gavisus prosperrimo, saepe admirando, et practico ingenio, felici ausu et animi praesentia non minus exsplendescens, quam circumspectione in exponenda methodo et orationis ipsius concinnitate.

Adolescentem noster [35]) a. 1630 m. Jul. adiit, qui febre maligna implicatus quinto die morbi cum maculis violaceis, deliriis, alvi fluxu effreni et aliis gravibus symptomatis decumberet. Vena secta fuerat una vice, nec alia medicamina hactenus oblata. Riverius pulverem dedit sudoriferum (℈ii) cum camphorae gr. ii in aq. card. bened. ℥iv; unde probe tectus aeger sudavit et optime habuit. Cessabat delirium, alvi fluxus compescebatur. Postero die, febre vigente sat magna, sine ullo gravi symptomate, vena incisa est, atque ita eodem die morbus plane sublatus.

Mulier juvenis [36]) (mens. Aprili) simili febre tentata fuerat, cum exanthematum eruptione; acceperat vulgaria remedia usque ad octavum morbi diem, quo vocatus noster summam aegrae imbecillitatem, cum siti ingente, linguam siccam, nigram, dentes nigris lentoribus inquinatos etc. deprehendit. Cardiaca varia propinavit, et julapia valde refrigerantia cum sale prunellae (cujus usus familiaris Riverio erat) et spiritu vitrioli; ptisanam pro potu dedit ordinario, iisdem medicaminibus temperatam. Simul fotus refrigerantes et humectantes ad pectus et hypochondria adhibuit et intra biduum sitis et ardor evanuerunt. A purgatione paulo serius instituta et aliis lenioribus medicaminibus intra paucos dies aegra convaluit.

Post obsidionem Monspelii [37]) (1623) febres admodum malignae, per aliquot menses grassatae, plurimis exitio fuerunt. Privum istis erat, quod quibuscunque parotidis tumor (circa d. 9—11) supervenisset, omnes interibant. Alexipharmaca nihil proficiebant. Putabat igitur Riverius, ideo has febres esse lethales, quod pars illa non esset capax recipiendae totius materiae morbificae, quae intus manens interimeret, et arte supplen-

35) Obs. Cent. I, 24. 36) Ibid. 42.
37) Ibid. 43. — De Febrib. Sect. III. c. 1. p. 147.

dum esse naturae insufficiens beneficium. Ac quamquam aegri habebant pulsum parvum, frequentissimum ac pene formicantem; ut in agone mortis versari viderentur, quae etiam brevi succedere solebat; noster animo revolvens Celsi monitum: multa in praecipiti periculo recte fieri, quae alias essent omittenda, et satius esse anceps remedium in uno alterove experiri, quam tot aegros certo exitio relinquere; sanguinem detraxit, partitis propter imbecillitatem viribus, bis aut ter eodem die. Ac primo quidem tentamine uncias tantum duas hausit vel tres, ut periculum inde non facile esset metuendum. Post 3 — 4 horas, quum pulsus paulo validior et minus inaequalis appareret, iterata est venae sectio ad uncias sex. Pulsus inde emersit multo melior et fortior; sanguis autem detractus, admodum corruptus. Sequenti vero die alvum senna, rheo ac syrupo rosar. ciebat. Qua via omnes, quibus haec administrata essent, feliciter evaserunt, neque ullus deinceps interiit. Animum curanti addiderat, quod summa illa virium dejectio ab oppressione magis quam ab exsolutione proficisci videretur. Subito enim vires fatigabantur, quum natura conamina non possent grave onus excutere; ac sperandum fuerat, ipsam vacuatione ista sublevatum iri.

Puella [38]) 20 annorum maligna febre vexata est non obstantibus, quemadmodum vulgo adhiberi solebant, remediis. Aderat delirium per intervalla ac tendinum subsultus, deliquia animi, lentores nigri dentium, lingua scabra, nigra, exusta. In gravi periculo, praeter epithemata cardiaca, pullos columbinos impositos aliaque roborantia interna et externa, vesicatoria quinque brachiis, femoribus ac cervici simul adhibita sunt; julapia ex aq. card. bened., aq. theriacali, bezoard. min. et camphor. biduum usurpata; sic fugatus morbus est intra paucos dies.

Alium quendam [39]) per sex septimanas febris ma-

---

38) Cent. II. obs. 73. 39) Ib. Cent. II. obs. 87.

ligne detinuerat; ac tantopere vires languebant, ut brevi aeger moriturus videretur. Vidit tunc Riverius, et audiens, parum expurgatum fuisse toto decursu morbi, ab humorum apparatu vires opprimi censuit; eas tamen adeo dejectas vix purgationem sustinere posse. Ideo per epicrasin (cf. Galen.) purgare instituit; fol. senn. ℈ı infus. c. aqua cichor. add. sal. tartar. ℈ß, et syrup. rosar. ℥ı; continuataque potio est per triduum. Ex ea binae dejectiones singulis diebus, vires paulatim recreatae; die quarto syrupi de absinthio pontico ℥ı, die quinto infusum fol. sennae ex ℥ı oblatum est, quo per biduum continuato blande purgatus aeger est cum fructu. Unde melius habere coepit, paulatimque convaluit repetitis per intervalla purgationibus.

THOMAS WILLISIUS [40]).

§. 100.

Floruit iisdem temporibus, quibus Riverius, et cum eo, licet longo spatio dissidens Oxonii medicinam faceret, de febribus putridis ac malignis disserens egregie consentit, praeterquam quod theoreticas multas speculationes admiscuit scholam sapientes, cui impensius esset addictus. Quam ob rem, quum simul praeceptorum ac rerum copia a Willisio suppeditata aliquanto tenuior sit, praetulimus ex illo quidem curationis universalem ideam communicare; de hoc autem observationes nonnullas epidemicarum constitutionum, utpote in quibus singulare nonnihil insit, depromere.

Anno 1643 in vicinia Oxonii febris populariter grassata est, admodum perniciosa et contagiosa; primo castrensis speciem induens, exortaque exhalationibus et sordibus exercitus urbem quandam oppugnantis, post-

---

40) D. febrib. c. 14. p. 166, ed. Genev. 1680.

modum per milites diffusa et increbrescens atrocissime solstitio aestivo, pejoraque edens symptomata per urbem, praecipue vero in colonos desaevit. Singularis simul constitutio contingere videbatur; namque etiam salubriter degentes morbus invasit, etsi hos levius. Veris tempestas valde pluviosa, dein aestas calidior solito exstitit, unde seminarium morbi a circumsedenti exercitu disjectum tanto efficacius vim suam expandebat, quamvis tota lues mediocri tantum terrae ac temporis spatio usque contineretur.

Ab initio morbus ad putridae febris speciem ac typum accessit, evasit tamen judicatio difficilior, et quum sudore aut diarrhoea solvi videretur, statim recrudescere solebat; plerumque vero remittente fervore febrili post sex vel septem dies, et criseos vice, materia aestu quasi exagitata et ferociens in cerebrum translata est, cum furore nonnunquam, saepius cum torpore, imbecillitate magna, interdum convulsionibus. Aegri longo tempore ita decumbentes vix tandem evaserunt. Circa aestatem adultam praeter contagium et funerum majorem frequentiam exanthemata et maculae accessere. Tunc multis sine magno febris calore pulsus erat inaequalis, debilis, et plurimum mutabilis, vires sine manifesto dispendio statim languidae, ac valde dejectae; aliis similiter laborantibus papulae effloruerunt, modo exiguae, rubrae, modo latae, lividae. Multis bubones proruperunt; ex his nonnulli sine magna naturae renitentis lucta aut febrili excandescentia tacite et ex improviso interierunt; interim alii mox in furorem proritati, quam diu superstites fuerunt, dirissimas exagitationes et atrocia symptomata perpessi sunt. Evasuri sine crisi laudabili (nisi sudore medicamentis provocato citius liberarentur), cerebro demum ac nervoso systemate male habentibus, cum sensuum stupore, tremoribus, vertigine, artuum debilitate, ac motibus convulsivis nonnisi sero convaluerunt. Regnante canicula morbus hic usque infestus non ut febris vulga-

ris, sed ut pestis mitior curari et remediis tantum alexipharmacis depugnari coepit. Venae sectio constanter fatalis; emetica et purgantia interdum, neutiquam frequenter, proficua; unica medendi conveniens ratio in alexipharmacis reperiebatur et diaphoresi tempestive procurata. Vergente auctumno morbus de pristina atrocia sensim remittebat, pauciores invadens; hieme tandem ingruente fere in totum evanuit febris, et publica salubritas in urbe et rure restituebatur.

---

§. 101.

Alia de constitutione typhode noster retulit sub initium auctumni a. 1658 dominata. Scilicet anni tempora consuetudini suae quodque non respondebant, incongrua; hinc annus ipse insaluber judicabatur tum propter hoc vitium, tum propter excessum frigoris et fervoris aestivi. Antehac catarrhalis febris per populum grassata fuerat. Novae febris, quae dicto tempore appareret, ab initio vagus erat typus, quam plurimis vero decumbentium quasi pathognomonicum symptoma accidit cerebri et nervosae facultatis affectus. Statim enim a primordiis morbi caput graviter fere omnibus laborabat; aliis cephalalgia immanis, aliis auditus difficultas cum tinnitu molesto; plerosque vero aut torpor et somnolentia gravis cum pathemate veternoso detinebat aut vigiliae pertinaces cum delirio, exagitatione et virium defatigatione. Nonnullis die primo vel secundo maculae latae rubrae, morbillis similes in toto corpore eruperunt, quibus postmodum delitescentibus febris statim intensior et praecipue capitis affectus longe gravior evasit. Exinde quosdam torpor sensuum ac in somnum propensio per plures dies incesserunt, ut sine loquela et amicorum notitia velut moribundi diu jacuerint. Alii hinc in lethargum, alii in apoplexiam conjecti, nonnulli in deliria et phrenitidem Ex his juniores quidem et robustae

aetatis homines (nec sine diuturno languore et convalescentia dubia) complures evaserunt; senes vero, alias imbecilli et mala valetudine diu conquassati, passim obibant. Typus rarius continuus, saepius tertianus aut quotidianus; accessiones conspicuae frigore, aestu, sudore et varia symptomatum omnibusque fere cephalicorum syndrome. Malum contagione communicabatur. Praeter cephalalgiam in prodromis non raro dolor percipiebatur in lumbis, sitis, lassitudo spontanea, licet calore minus intenso. Iuvenes, sanguinis floridi, et temperamenti calidioris circa initia paroxysmi frigore carebant, aestu tamen vexati acri et diuturno. Frequens vomitus, sudor difficilis, saepe partialis ac cito interruptus, raro morbum solvens; post sudorem calor reviviscens, deliria, vigiliae, inquietudo summa in paroxysmis. Intermissio vero incompleta, turbata symptomatibus cerebri facultatis laesae. Intra 6—7 periodos magna virium jactura, auxilio indigens.

Senes, melancholici, imbecilles a primo statim insultu in torporem ac veternum inciderunt; calor iis in paroxysmis minus acer erat, sed inquietudo magna ac deliria. Pulsus, viribus nondum omnino prostratis, plerumque fortis, aequalis; postea oborto summo languore, debilis, inaequalis, ac saepe intermittens; tendinum subsultus, ut plurimum mortis praesagia. Fato plerique cedebant stupidi ac delirantes, raro intellectus integer et incolumis perstitit. Evasuros autem ex languore summo non subita nec manifesta crisis salvos praestitit, utpote qui torpore ac vertigine, et infirmitate diu deprimebantur.

Initia morbi utiliter curabantur evacuationibus diversimode institutis. Emetica conducebant instante paroxysmo secundo tertiove, corporibus certe robustis, cerebrique affectionem levabant. Eccoproticis purgabantur, quibus vomitus non convenerit, die paroxysmum sequente, nec non praemisso ipso emetico, sed mitibus

atque benignis; senna, rheo, cremore tart., et sal. absinth. c. succ. citr.; procedente autem morbo repetitis clysmatibus alvi officium adjuvabatur. Venae sectio perquam proficua erat temperamentis calidis, nec promiscue senibus et imbecillis intendenda, nisi forsan exiguum quid detraheretur, ad metastasin in cerebrum praecavendam, ac sanguinem expediendum. Hoc auxilium generatim conveniebat ante quartam vel quintam accessionem, sanguine nondum insigniter attenuato, nec viribus paulo gravius dejectis. Vesicatoria variis partibus utiliter applicabantur, inprimis senibus pituitosis ac temperamento frigido, phlegmatico instructis. Circa primum insultum praeservandi aliquam efficaciam praestabant. Minus autem commoda videbantur constitutionibus admodum calidis, siccis, biliosis, ac cholericis temperamentis, in febre magnopere ardente, vigiliis, aut phrenitica diathesi. Tempore evacuationibus interjecto temperantia, digestiva ac diluentia, julapia, spiritus vitrioli, tamarindi, succ. aurant. aut limon., cum decoct. refrigerant. emollientib., pulveres acetosi, salini, testacei cum fructu capiebantur. Victus simul tenuis, blandus, emolliens, serum lactis, cerevisia tenuis. Ingruente paroxysmo et urgente ipso, alimenta nulla concedebantur, nisi, pro siti exstinguenda, julapia etc. Paulo ante tempus accessionis exspectatae pharmacum lene, e. g. salinum exhibebatur, quod paroxysmum vel praecavendo arceret, vel, diaphoresin adjuvando, leviorem redderet. Interea tamen, quam diu insultus repetebant, aegri ita medico adjuvabantur, ut qualibet accessione materia febrilis in sanguine congesta penitus difflaretur, quare, ubi sudor aegre accedebat, medicamentis temperatis paulo excitari poterat ac regimine diaphoretico. Symptomata a cerebro et nervoso systemate laeso profecta, urgentia sedabantur vesicantibus, spiritu cornu cervi, sale c. cerv., si quidem torpebat ac oppressa jacebat facultas nervosa; quando nimis excitata et distracta eadem apparebat, ea-

dem medicamina minuta dosi exhibebantur, sanguinis missio crebrior, medicamina sedantia demulcentia, serum lactis. Opiata hac in febre caute admodum usurpari debebant; phrenitis enim, ab ipsis sedata, saepissime in lethargum et stuporem commutata est.

---

§. 102.

Haec de pestiferis constitutionibus Willisius memoratu digna notavit. At vero et aliter idem de cognitione febris nostrae commeruit. Primus enim distinxit et adumbratam prodidit peculiarem aegritudinem, quam Huxhamo, ut qui copiosius describit, auctore *febrem nervosam lentam* vocare nunc solemus; atque ita Huxhamo viam quodammodo munivit. Morbus pristino tempore haud quaquam fuit incognitus, qualis alicui existimari possit; complures enim loci, qui apud Hippocratem (in Coac. Praenot., Prorrhet. et Prognosticis) et alios leguntur, unice, vel certe commodissime ad hanc febris speciem referuntur. Etiam febrium *malignarum* apud Galenum eosque, qui hunc sectabantur, notae descriptae et indoles, quae ut melius inter se convenirent certiusque sibi constarent, optandum est, non obscure videntur affectus illius, nunc forsan frequentioris, simulacrum reddere. Willisius autem repertus est, qui primus auctorum eam *status nervosi*, in lentioribus maxime febribus conspicui, genesin ac rationem proposuerit, quam hodiedum inter viros doctos haud infrequenti usu venire cernimus, etiamsi leniter inflexa passim appareat. Etenim in febribus malignis [41]), nec non in vulgaribus benignis, male judicatis uti deliria et reliqua symptomata cerebri facultatis laesae a materia quadam aliena oriuntur, quam sanguis congestus in cerebrum deposuerit; sic eadem in nervosam compagem se-

---

41) D. morb. convulsiv. c. 3.

cedens musculorum ac tendinum contractiones et subsultus, nec non artuum subitas succussiones ac interdum totius corporis horrores adducit, eosque ut plurimum circa fastigium morbi. Sed praeter hujusmodi spasmodicas affectiones, febribus supervenientes ac secundario excitatas, observare licet interdum in maligna aëris constitutione, etiam a contagioso pestis afflatu, telam nervorum sanguine peti prius infesto, forsan etiam seorsim ab ejus interventu causae morbificae patere, et facultatem nervosam inde laedi, delirium ac convulsiones provocari, febrilem autem turbam praeverti.

Porro saepius noster observabat, febres quasdam anomalas increbruisse, in quibus vix aliqua sanguinis ebullitio et aestus, sed prima initia febris lentae ac valde periculosae in medulla ac facultate nervosa jacta esse viderentur. Incrementis illae sensim captis affectus spasmodicos cum delirio aut mania aliisque facultatis animalis alienationibus inducebant. Aegri enim neque de calore, neque de siti conquesti, cito debiles et quasi enerves facti, vigilias protractas nec non artuum tremores, tendinum subsultus, spasmos et dolores vagos statim patiebantur. Addit, hujusmodi aegritudinem a quibusdam medicis, si quidem in solidis magis partibus, quam in sanguine sedem ac fomitem habere videretur, febrem malignam hecticam appellari, cum revera, propter nervosi liquoris laesionem, lues nervosa convulsiva melius dicatur. Denique ex constitutionibus, de quibus ante actum est, Willisio observatis, altera febris lentae, inaequalis, cephalicae hanc ideam satis certo exprimere videtur.

ISBRANDUS DE DIEMERBROEK [42]).

§. 103.

Morbus, cujus ipse noster certissimus testis est, Noviomagi grassabatur ab a. 1635—1637. Ver anni 1635 tepidum et mediocriter humidum fuerat, aestas secuta est admodum calida ac sicca, eaque tempestate frequentes morbi populares putridi plurimis in locis excitabantur; inde pestis gravissima Lugdunenses, et febris aliqua pestilens Noviomagum totamque Geldriam cum funeribus plurimis invasit. Circa auctumnum, adhuc permanente adeoque aucto aëris fervore siccissimo, undique majora putredinis indicia, morbique maligni apparuerunt: variolae, morbilli, alvi fluxus fatales; sed omnium maxime febris dicta pestilens, petechialis invaluit, magis magisque in pejus ruens; donec mense Novembri in ipsam pestem exacerbaretur. Hiemis autem non magna frigora, siccitas et humiditas mediocris. Mense Januario anni insequentis (1636) incrementa morbus sumsit, ac longe majora circa Martium, summo tandem acumine exarsit exeunte mense Aprili, furore exinde ad Octobris finem continuato, quo tempore fere nulla per totam urbem domus immunis a peste fuerit. Aestas etiam illa et auctumnus, ut superioris anni, fervidissimi cum maximis squaloribus, a vere ad hiemem fere semper austri vel zephyri perflantes. Plures tunc moriebantur quam evadebant, et singularis morbi malignitas omnium fere medicaminum efficaciam illudere videbatur. Postea lues paulatim remisit, ut tandem mense Decembri multo pauciores aegri et funera rariora existerent. Hiems illa praeter consuetudinem tepida, pestem diutius alere visa est. Anno sequenti 1637 circa med. Februar. acerrimo frigore praeter exspectationem repente exorto, etsi brevissimo, tamen vires morbi adeo

---

42) De peste Noviomagensi. Amst. 1656. 4.

infringebantur, ut ineunte Martio reliquiae apud Noviomagenses penitus erutae essent, quamvis multis aliis in locis funesta constitutio dominium continuaret.

Pestis haec, intactis fere animalibus, hominum neque sexui, neque temperamento pepercit; nec praestitit immunitatem humorum sinceritas, nec morbum intemperies citius advocabat, ac saepe cacochyma corpora intacta relinquens optime temperata lues inficiebat. Sola senectus maxime immunis; alioquin infantes atque adulti perinde correpti sunt. Primum a contagio plurimi inficiebantur; postea vero adeo immanis evasit morbus, et aëris eatenus grassata est perversio, ut nullus fere in tota civitate locus non infectus inveniretur, et aeque tunc lui implicarentur, qui infecta loca fugissent, atque alii, qui indiscriminatim aegros et sanos adirent. Praeterea non raro, latente consortii causa, integrae familiae eodem tempore inficiebantur, etsi longissime inter sese per urbem singuli dissiderent.

Duobus tribusve diebus ante et post novilunium ac plenilunium semper exacerbata lues est, ut ante nostrum observaverant; plurimos tunc corripuit, eosque fere omnes citissime e medio sustulit; praecipue quibus mensibus in vigore illa fuit. Febris quibusdam plane nulla, pluribus sero per morbum accessoria; plurimis ab initio parvus rigor, sed protinus febris modo ardens, modo mitis; ut plurimum mediocris. Neogami ac veneri antea minus assueti, jam impensius indulgentes brevi post lethaliter decumbebant, ac si quis alio morbo corriperetur, intra viginti quatuor horas pestis eidem adjungebatur; ita ut toto anno vix ullus morbus a pestis societate vacuus comparuerit.

Qui in ipso morbi principio sudoriferum pharmacum capiebant, multi sanabantur; principio praetermisso grave periculum ex tali medicatione imminebat.

Plurimi ante septimum diem occubuere. Multi primo die repentina morte exstincti; multi quoque inter-

jectis diebus. Qui diem septimum vel etiam nonum superaverant, iis salutis spes aliqua erat; aliqui tamen et longe serius exstincti. Febres enim lentae pestilentes valde fallaces erant, apparente symptomatum mediocritate, tandem saepe ex improviso trucidabant.

Ante pestem conspecta fuerant multa in aëre meteora et ignes coelestes, carnium citiores putredines, mulierum frequentes abortus, et alia ejusmodi, quorum jam apud Forestum accuratissima mentio fit [43]). Pestis erat eruptura, in quibus aedibus aviculae caveis etc. detentae moriebantur. Morbi autem praecipua signa conspiciebantur praeter febrem, de qua supra: jactationes corporis, anxietas summa, aestus saepe internus, magnus, dolores capitis, rarius acres, saepius gravativi, deliria, tendinum subsultus, et convulsiones leves; in aliis vigiliae, in aliis sopores graves, sensuum hallucinatio, interdum surditas, linguae siccitas, rarius nigredo, halitus et sudoris foetor, syncope, pulsus saepe validus, sani similis, interdum debilis, frequens, inaequalis, intermittens, multis parvus, frequens, mutabilis. Cruciabat, aegros dolor cardiae, nausea, vomitus, singultus, alvi dejectiones tetrae, perniciosae. Urina multis naturalis, multis ignea; aliis tenuis, cruda, turbida, variabilis. In aliis repentina virium dejectio, inde ab ipso principio; in aliis vires integrae ad mortem usque. Calor acer modo et vehemens, modo naturali non major. Color faciei, aliis pallidus, aliis erysipelaceus, plurimis sani non multum absimilis. Maculae purpureae, nigrae, violaceae vel rubrae, paucae vel multae, angustae vel latae, utplurimum rotundae, inde a tertio ad septimum usque diem erumpentes, omnes funestae in plurimis; nigrae, violaceae in omnibus. Bubones, carbunculi. Haec signa non pleraque in singulis, sed modo haec in uno, illa in al-

43) Obs. L. VI. obs. 9, 10, schol.

tero comparuerunt; postremo loco dicta, neutiquam necessaria et pathognomonica.

In signis prognosticis, quibus generatim quidem non multum fiduciae noster tribuit, nonnulla tamen in descripta constitutione certiora comperit. Pars in superioribus passim inspersa est, de reliquis notatu digniora subjungimus.

Mutationes qualescunque criticae apparentes, quippe diebus decretoriis factae, nihil certi promittebant; omnes enim fallaces erant, neque cum his, etiam optimis, pauciores moriebantur, quam evadebant. At sexti diei crisis omnibus certo lethalis exstitit.

Pulsus sanorum similis, fallax et periculosus; intermittens vero semper lethalis. Sopores a principiis morbi supervenientes grave periculum indicabant.

Sternutationes crebrae mortem praesagiebant. Eundem exitum certo portendit: dolor in gutture sine tumore ullo, sine aphthis, oris siccitate aliave manifesta causa, similiter raucedo, narium haemorrhagia die non decretorio; valde periculosa, die critico incidens.

Alvus suppressa in morbi principio et augmento, imo usque ad vigoris declinationem persistens, spem salutis dabat. Alvi fluxus fere omnibus lethalis, prae ceteris dejectiones cruentae, pessimi ominis.

Cum urinis sanorum similibus multi praeter expectationem subito moriebantur, iique non raro sine gravibus, ut videbatur, symptomatibus.

Urinae pingues nigricantes, livescentes, vel sedimentum lividum nigrumve dejicientes, fere semper lethales.

Catameniorum fluxus pesti superveniens, etiam die critico erumpens, valde exitialis; die non critico certissimam mortem secum trahens.

Si fonticuli, quos ad praeservationem multi gerebant, in morbi principio arescerent, certa mors sequebatur.

Bubones boni et citius apparentes, tanto meliores; iidem, si sine febre vel ante febrem prodirent, citae sanationis magnam spem faciebant; contra, si post febrem, imprimis majorem, erumperent. Cito ac multum increscentes bubones, ac molles, semper lethales; boni autem, in principio ac diutius duri, oblongi, paulatim increscentes, cum dolore mediocri. Circulus diversicolor bubonem durum ambiens, perniciei praenuntius.

A cadaveribus contagium emanans efficacius laedit, praecipue a calidis adhucdum, et tamdiu exstinctis, ut jam putrescant. Minus autem, quae jam refrigerata sunt corpora mortua, inquinant, quam aegrorum exhalationes.

---

§. 104.

Ut sanus a peste se tueretur, conducebat prae ceteris exquisita victus ratio et mediocris sobrietas. Famem noster jussit ac sitim ut majores insolitas inanitiones et repletiones evitari, multum tamen cedebat consuetudini. Exitus matutinus jejuno stomacho maxime improbandus. Laudat noster cerevisiam tenuem, rejicit crassiorem, prohibet etiam spiritum vini, exiguum concedit senibus solummodo stomacho infirmis, pessime nocuit usus immoderatus. Vini parcus haustus profuit ad hilaritatem restituendam, si forte animus contristatus esset. Venae sectionem prophylacticam damnat ut valde periculosam; cauteria vero, vel fonticulos inde excitatos, magnopere commendat; his praemunitos aliquos vidit, qui pestis invasionem sentientes, statim in principio sudoriferum remedium assumserunt, atque ita citissime liberati sunt, natura expellente per fonticulos atrum quendam ac venenatum ichorem. Abstinet noster a catharticis, ut pestem potius advocantibus; sed clementer cacochymiam corrigere studebat et paulatim subducere, admixtis alexipharmacis mediocribus; in corpore firmo alvum liberam, nec tamen fluidam servabat. Lau-

dat etiam in prophylacticis ut praestantissimum, tabaci fumum, qui ipsi nostro insigniter profuerit, nec non radicem helenii masticatam, vel angelicae, vel cortices aurantiorum conditos, nec non composita multa pharmaca aromatica, acria, acidis temperata. Amuleta spernit, venenata scilicet ut periculosa, non venenata vero ut superstitiosa, vel inefficacia; fragrantia commendat, aromatico-acida.

In cura aegrotorum munditiem servari jubebat, et aërem emendari fumigationibus acidis, resinosis, suaveolentibus. Somnum ante promotos sudores in totum prohibuit, et postea tantum moderatum vel breviorem concessit. Animi tranquillitatem tueri studebat, alvi excretiones non promovit medicamentis ante morbi declinationem. Ceteroquin victus simpliciter humectans, ut qui febribus generatim maxime conducit, nostro non adeo placuit, quum malignitatis urgentis potior ratio habenda esset. Quapropter omnibus cibis ac potibus calefaciens seu alexipharmaci aliquid admiscuit, prohibitis piscibus omnibus, salsis, acribus, multum calidis; praescripsit autem juscula avicularum et carnis bonae cum herbis acidulis, subaromaticis etc., condimenta acida, cibosque paulo copiosiores, quam vulgo in acutis; exceptis primis diebus, quibus a cibo assumto pejus habere aegri profitebantur, nam natura, quae in principio ad sudores impellenda erat, cibis coquendis ab opere perficiendo avocabatur. Sequentibus autem diebus, etiam nolentibus parum cibi liquidi obtulit, ut vires promtius reficerentur, largiter nutrientis. Sitim diu perferre aegros vetabat; dedit cerevisiam tenuem, quasi decoctum hordei fermentatum, vel solam vel admixtis aliquot guttulis spiritus vitrioli, aliis julapia refrigerantia, acidulo-subaromatica.

Venae sectioni noster constanter aversatur; etenim moriebantur omnes, quibus instituta illa esset; si aliis vero morbis idem auxilium intendebatur, statim inde

in pestem abierunt; neque etiam scarificationes, neque hirudines adhibuit. Similiter purgantium usum et emeticorum fugiebat experientia doctus. Ante septimum diem nullis, neque cacochymis, aut cathartica, aut lenitiva, aut clysmata, aut aliud quidquam, quod alvum citare posset, praescribebat; neque, etiamsi totis septem diebus alvum non deponerent aegri, quidquam ausus est movere; nam fere omnibus, etiam a lenissimis medicaminibus ut syrup. ros. solut., manna etc., mali materia intus revocata diarrhoeam concitabat insanabilem, et brevi lethiferam. Quo pejor autem corporum temperies, eo citior fluxus, et majus erat periculum. Post septimum diem autem parca manu purgantia admiscuit alexipharmacis, aliter autem purgatione vix usus est ante diem vicesimum. Etenim etiam in declinatione morbi non sine periculo alvus medicamentis citabatur; imo non paucis jam convalescentibus perquam noxia illa evaserunt, virium recuperationem plurimum impediendo. Alvi autem constipatio nemini nocuit. Ab emeticis multum aegri laedebantur, citiusque exstincti sunt. Sed magnopere adjutus noster in praxi est alexipharmacorum usu, convenientibus modo his, modo illis, pro vario gradu malignitatis morbi, et febris adjunctae intensione, aegrorum temperamento, aetate etc. Adhibuit rad. valerian., helenii, angelic., hb. scordii, rutae, card. bened., fructus et baccas acidulas, acid. sulphuric., acet. aromat., camphoram, aromata, myrrham, theriacam et alia permulta [44]), et miscelas eorum admodum fusas et multiplices. Lapis bezoardicus, etiam electissimus, in pestilenti aëris constitutione nihil profuit, in malignitate, quae ex interna humorum corruptione nasceretur, non inutilis; similiter moschus aegerrime ferebatur, theriaca autem egregium adjumentum praestabat.

Hisce vero auxiliis instructus hac fere ratione aegros

---

44) Vid. L. III. c. 5.

curabat. Primis tribus quatuorve diebus cubicula diligenter clausa tenebantur, ne ab aëris frigidioris perflatu transpiratio laederetur. Tempore frigido, hiberno, ignis continuus in cubiculo alebatur, aestivo autem herbae et rami arborum refrigerantes circumspergebantur, hisce et fumigationibus crebris aër emendandus erat. Interea, quocunque die medicus advocatus esset, statim potiunculam sudoriferam dedit, et stragulis bene obtectum aegrum per horas aliquot sudori commisit. Peracto sudore sub ipso tegmine mappa calefacta sudores aliquantum abstergi, sed lintea vix ante diem septimum renovari permisit. Si vero foetor sudorum aegris moleste ferebatur, qui tamen eorum nemini nocuit, indusia sordida, quae ab aliis, vel sanis vel ipsis aegris, ante morbum gestata fuissent, induebantur, prohibitis linteaminibus recenter lotis. Si a primo sudore non levaretur aeger, sed febris et reliqua symptomata potius increscerent, post paucas horas repetito alexipharmaco medicamine, sudor denuo concitabatur. Interea vires grata mixtura acidulo-aromatica reficiebantur. Si nunc etiam febris increbesceret, pessimum erat indicium; ubi ex sudore allevabantur aegri, magna salutis erat spes. Post decem vel duodecim horas et sequentibus diebus etiam quater vel quinquies (prout necessitas exigere videretur) sudorifera medicus reiterabat, interpositis antidotis ad vim materiae pestilentis exstinguendam, corroborantibus, diaphoreticis.

Symptomatum atrocium saepe non minor quam primarii morbi habenda erat ratio. Capitis dolores sudoriferis et antidotis paulatim cesserunt; interdum frontale necessarium erat, ex unguento populi cum lenibus aromaticis et roborantibus. Eadem delirantibus conveniebant, nocebant autem omnia amygdalata, nec non oxyrrhodina aliaque frigida; quibus causa mali tunicis cerebri firmius videretur impingi. In vigiliis molestis tempora inungebantur oleo nucis moschatae, vel ungt. po-

puleo etc.; nunquam soporifera intus capiebantur. A soporibus in principio aegros studiose noster prohibuit, allocutionibus etc., usque dum alexipharmaco sumto bene sudassent. Sequentibus autem diebus 3—4, parciori tantum somno aliquot horas indulgebat.

MICH. ETTMÜLLERUS [45]).

§. 105.

Sylvianae scholae in theoreticis quidem obsequio nonnihil infamatus, tamen in praxi laudem praestantissimi viri obtinuit. Is etiam si in Baglivo tantum laudatorem non invenisset, ipse coram aequo lectoris judicio observationibus suis et arte curandi justa satis comprobaretur.

Febres typhodes secundum priorum auctoritatem, pro varietate speciei, periculi etc. putridas, malignas, pestilentes vocat, eadem fere discrimina sistens, quae ex illis modo subindicavimus [46]). Statum vero per se typhodem phrenitidem dicit, ut vulgo usui erat, eandemque signorum causarumque remotiorum rationem reddit, sane vero scholae ratiocinia largiter admiscens, ceteroquin lectione librorum versatissimus, in rebus exponendis compositus, concinnus.

Febris malignae suspicio existit, quoties subito et inexspectato vires aegri prosternuntur aut symptomata occurrunt majora, longe graviora, insolentiora, quam quae alias in pathemate simili aut ex causa vulgari ac benigna oriuntur. Latet morbus subinde in principio et levioris mali speciem prae se fert, interdum vel exercitatioribus pro leviori imponit, viribus tamen et vitae nimis quantum insidiatur, seroque proditur ma-

---

45) Opp. T. II. p. 1. p. 317.

46) Cf. quae supr. de Sennerto, Riverio referebamus.

lignitas. Cognoscitur inprimis ex pulsu vel mox circa principium debiliori, vel subito admodum depresso et parvo; reliquorum vero symptomatum tam multiplex est congregatio, ut nullum fere non subinde in una alterave febre maligna observatum fuerit. Frequentiora autem existunt, nausea, appetitus prostratus, calor magis interna urens, extus mediocris, utplurimum cum visceribus inflammatis, sitis acerrima, ardor faucium, lingua arida, scabra, potu vix madefiens. Etiam insignis calor cum deficiente siti concurrens. Agrypnia, anxietas, deliria, convulsiones; rarius somnolentia vel coma vigil. Pulsus ab initio naturali saepe simillimus, postmodum subito deficiens, parvus, celer, debilis, frequens, passim formicans. Vomitus interdum proficuus turbasque componens. Urinae variae, subinde sani similes ad mortem usque. Facies quibusdam tetra, alienata, livida. Sudoris odor dulcis, qualis spiratur cadaveribus, dum putrescere incipiunt. Respiratio non raro difficilis, praesertim quibus cutanea excretio imminet. Maculae variae, bubones, carbunculi, sphacelus passim internus et externarum partium.

Invadit modo privatim ob causam singularem internam, modo populariter, causis saepius memoratis; contagium interdum accedit, ut in febre petechiali, hungarica; alias deficit, ut in simplici ardente vel intermittente, quae ex degeneratione maligna evasit. A contagio suscepto proficiscitur nausea, quia stomachus refragatur; hinc conducit vomitus, salivam, quae aura pestilenti infecta deglutiebatur, projiciendo. Itaque ventriculus (quae sententia Helmontium redolet) primario loco infestatus habetur, inde ardor internus, inde in mortuis inflammatio et sphacelus illius partis observata sunt.

Circa causas et praesagium morbi fere vulgaria noster exponit. Varii colores ante oculos apparentes, et corpora peregrino colore vestita, e. g. si quod nigrum est, caeruleum apparet, convulsiones et deliria

portendunt. Haemorrhagia narium interdum critica; parotidum tumores in augmento et statu morbi lethales, eodem vero vel tantillum inclinante, salutares. Urinae coctionis signa saepe adsunt, sed recrudescit lethaliter; laudatur, quod enaeorema per aliquot dies continuetur et in sedimentum sensim abeat.

Alvi fluxus quocunque tempore pessimi, quo magis foetent et colliquativi sunt; post excretionem cutaneam oborti, prae ceteris periculosi.

Terminus morbi die 7—14 diem. Iudicatur sudore et aliis excretionibus cutaneis, pustulis, petechiis, per metastasin bubonibus, die ut plurimum undecimo.

Arcetur morbi contages acidis blandis, aceto, bezoardico, alexipharmacis, camphora, angelica, vino largiore, quotidie mane ante egressum hausto.

Suscepto contagio vomitus provocetur, dein ad sudorem movendum bezoardicum pharmacum conducit.

Fomes morbi jam manifesti per convenientes vias expellendus est, speciatim per sudores, alexipharmacis ingestis; simul facultas vitalis corroboranda.

Ob alexipharmacam virtutem plurimum Ettmüllerus laudat sulphur, quo ad suffitus etiam utebatur, terras pingues, quippe malignum fomitem absorbentes, camphoram, aceta quaelibet, aut succos vegetabiles, ut citri etc., confectiones theriacales. Veruntamen ne sudorifera, utpote quae praemissis emeticis principatum in cura tenent, nimius sudor expellatur; itaque ubi minor malignitas terret, in febre ardente, in principio potius absorbentia dentur et mitiora sudorifera, progresso morbo, fortiora. Tutissima sunt salia volatilia, saltem in principio; in statu morbi fixa, ut antimonialia, magis prosunt; sed propter exaestuationem nimiam circumspectius usurpanda. Interponantur analeptica blande acida, e vegetabilibus, spiritu nitri dulci, quibus ad sudorem simul corpus leniter disponitur. Opiata alexipharmacis mixta sudorem promovent, imprimis quando

nimia inquietudine prohibetur, dumne in vigore mali aeger versetur, vel vires deficiant. Praecaventur inde deliria, coërcentur vigiliae, haemorrhagia narium; post sudorem vires iisdem reficiuntur. Theriaca autem nonnisi acido temperata conceditur. Instante crisi opiata omnino removeantur, ne conturbent. Camphoratis caute agendum, ubi caput debile est; prosunt in vigiliis, et metu delirii, velut sudorifera optima et alexipharmaca. Sic fere medendum est febri ex contagio oriundae. Cui vero interna aliqua causa est, huic absorbentia conveniunt, alterantia, leniter diaphoretica. Ubi nervosum systema plurimum laborat, volatilia et penetrantia opiatis mixta prosunt. Pro more seculi medicamenta varia noster in multiplicem congeriem commiscet.

Nocet quaelibet purgatio, praecipue si morbus a contagio nascebatur vel cutanea excretio futura est; solummodo clysmata permittuntur blanda, et caute alvum subluentia. Declinante morbo post 14 dies blande laxantia non sunt incommoda; serum lactis, citratum, decoct. tamarind. Venae sectio plus nocet, quam prodest, inprimis quae post principium morbi fuerit instituta; motum enim naturae ad cutem praevertit, praesertim ubi a contagio febris. Raro in plethoricis petechiarum eruptio matura sanguinis missione juvatur. Sed ubi minor malignitas, aetas juvenilis et plethora, febris intensa, potest cauta et parca sanguinis detractio fieri. Vesicantia in vigore mali carpis et cruribus utiliter applicantur, nec non in incremento, ubi graviora a cerebro laeso symptomata immineant, vel ubi excretio aliqua promovenda vel restituenda est, ubi abscessus et bubones speràndi in externis. Conveniunt praeterea, ubi extrema frigent, interiora vero uruntur, quando sopor urget, et capitis prehensio. Hic in cruribus, brachiis et cervici imponantur. Conclamatum est, si vesicae inde minime excitantur.

Diaeta tenuis sit, nec, ubi fastidium est, ad alimenta

aegri cogantur. Potus cerevisia secundaria, vel aqua simplex decocta, adjecto vini pauxillo, vel acidi sulphurici; gelatina corn. cerv., c. pom. citri dissectis, serum lactis citratum.

---

§. 106.

In petechiali febre, praeter symptomata febris malignae communis, dolor infestat contundens, lancinans, dorsi, capitis. In principio facile, in fastigio morbi non sudant, vel sponte vel medicaminum ope. Raro die quarto, plerumque circa septimum maculae erumpunt, circa pectus et scapulas abdomen et crura, tandem in brachiis, adeoque ad internas partes, facie ut plurimum libera. In acme morbi saepissime superveniunt deliria, et convulsiones; in declinatione ptyalismus, saluber.

Distinguendae maculae sunt a pulicum morsibus. Hi quidem, praeterquam quod punctionis vestigio conspicui sunt, farina lupinorum cum acteo vel oxymelite subacta celeriter delentur; petechiae vero minime. Eaedem si subito disparuerint, pessimum est, bona autem eruptio est, quae critica fiat, die 7, 10, 11, 12 etc.; nam quae ante coctionis signa efflorescunt, aut paucae sunt, et ordine destitutae nec bene coloratae, eae periculosae sunt. Haemorrhagia parca, suspecta; larga in decremento, die critico, bona; post maculas vero efflorescentes, anceps. Febris minus quam aliae malignae acuta evadit et in vigore 6 — 8 dies persistit. Qui statim sub initio remediis commodis utuntur, facile interdum liberantur, undecimo, duodecimo aut decimo quarto die, si quidem omnia recte procedunt, nec vires adeo prostratae sunt. Observavit noster, ut plurimum per diaphoresin auctam paulatim morbum evanescere. Metastases non defuerunt.

Cura morbi vix habet quidquam singulare, quod non de vulgari febre maligna supra praeceptum fuerit. Melius autem hic, quam in illa, emetica conducunt,

tamquam anxietatem levantia. Iisdem aegris et vesicatoria quam maxime sunt utilia, potissimum ubi maculae intempestive retrocesserint. — Febri castrensi s. Hungaricae non alia symptomata ac medela solemnia sunt, quam quae malignis vulgaribus. Vomitorium, sectio venae raninae vel frontalis ob cephalaeam dirissimam et ventriculi gravem affectionem. — — —

Vocatur pestis, quando in morbis extrema adest malignitas. Ea, quoniam quibuslibet fere morbis conjungi, adeoque varia symptomata inferre potest, non peculiarem morbum constituere, sed conditionem tantummodo morbi pessimam designare a nonnullis creditur. Unde febris pestilens dicitur maligna vehementior; proinde ac alii quoque morbi pestilentes vocantur; qui, praeterquam quod peracuti sint, malignitate etiam adjuncta terreant. Etenim pestis conjungitur cum omnibus aliis morbis, particularibus quidem, populariter tamen grassantibus, quibus multi interficiuntur; unde diverso tempore diversae pestes observatae sunt. Sic Mercurialis meminit pestis, quae pedes, tibias et ossa infestaret [47]), ut intra triduum correpti plerumque interirent. — Ge. Agricola, quae totum fere corpus in putredinem vermiculosam resolveret; Zacutus Lusitanus similem describit, in qua de naribus atque aliunde vermiculorum ingens progenies erumperet etc. — —

Sed utut febris pestilens variis sese associare aliis affectibus possit, pestis tamen bubonaria tamquam peculiare genus constitui posse videtur, et in specie dici morbus quam maxime contagiosus epidemicus, oriundus ex miasmate venenato, quod ab aëre primo susceptum, ac per contagium ulterius propagatum, occulte homines plures aggrediatur, in summum vitae periculum conjiciat et fere bubones, carbunculos, interdum et petechias comites secum trahat.

---

47) Cf. Hipp. Epid. III. s. 3.

Naturam miasmatis contagiosi, ut nemini cognitam aut exacte explicatam, in medio noster relinquit. Ad suscipiendum contagium disponunt imprimis animi affectus, ut terror, metus etc. In remotioribus causis praeterea consensum quendam affinitatis consanguineae refert, quam mumialem conspirationem dicit et confermentationem, qua fiat, ut inter consanguineos facilius et potentius, ceteris paribus, lues propagetur, unde saepius integras familias devastaverit, alios vero homines, licet frequentius cum hisce conversantes, non attigerit. De eodem contemporanei morbi consortio inter cognatos, adeoque forte longo itineris spatio inter sese disjunctos, praeter nostrum jam Forestus memoriae prodidit et alii testes minime rejiciendi.

Invadit pestis et sine febre, id quod certissimi observatores testantur, cum bubonibus, imo quosdam absque illis etiam. Et haec in genere periculosior est; febrilis enim motus, ut molimen naturae irritatae, oppressus torpet, ut quasi siderati intereant. Symptomata eadem, quae in malignis sunt, cum insigni oculorum rubore et capitis dolore. Pulsus ad primum attactum specie magnus, digito paulo fortius admoto parvus et debilis comperitur.

Contagii admissi in populari constitutione certum signum est nausea et lancinans dolor, quasi ab acu candente, in locis, qui bubonibus familiares sunt, vel in priore quadam peste afflicti fuerant.

Prognosis pro varietate constitutionum differt, valde ambigua. Neque criticae mutationes diebus decretoriis incidentes, neque urina, neque pulsus laudabiles certi quidquam promittunt. Scabies in pestifero statu salutaris est; etiam qui syphilide, aut atrabilariis affectibus laborant, rarius inficiuntur, vel minus periclitantur afflicti.

Bubonaria pestis quocunque loco erumpat, tutior est ista, quae cum anthracibus; pessima, quae cum petechiis,

utpote hic fere symptomaticis, incedat. Pustulae vel vesiculae pisi vel fabae magnitudine erumpentes, cum dolore lancinante, et humore seroso, omnium mitissimam fovent pestem. Stigmata certissima mortis habentur signa, suntque nihil aliud nisi minutissimae siderationes, quarum radices intimae latiores quasi in pyramides assurgant, et vitalem corporis compagem in consortium trahant sphacelismi. Miasma recens corpore exceptum potenti sudorifero medicamine excluditur, natura ipsa praeeunte. Id quod alexipharmacis noster assequitur saepe repetitis (camphora), sed habita virium et malignitatis ratione. Aeger sudans a somno arcendus est odoramentis.

Ubi ardor intensus urget, antimonialia conveniunt fixa et alcalina, et electuar. diascord. Fracast.; verum ubi nulla vel mitior febris, theriacalia, aromatica adjumento sunt, ut languens fermentatio febrilis denuo restauretur. Acida nunquam omittenda, sudoriferis admixtis.

Vesicatoria imponuntur, ubi bubo non rite prorumpit, humero, carpis, cruribus, suris, interdum et bubonibus; sint vero acerrima. Ulcera excitata diu serventur aperta, pulvere cantharidum insperso, balsamicis etc. Abstinendum a vesicatoriis, ubi urinae ardor et incontinentia obtinet, ubi sphincteris vesicae inflammatio, graviditas adest, catameniorum instans fluxus, aut naturae motus ad vias urinarias inclinat, et ubi vires nimium languent. Venae sectio, quum vires labefactet, satius in tali morbo omittitur.

In principiis, ubi circa primas vias miasma adhuc residet, monente nausea et vomendi conatu, optime conducit emeticum alexipharmacis permixtum. Purgatio ubivis nocet; ne clysmata quidem semper tuta. Si vomitus effrenis fuerit, praeeunte Sydenhamo sudorem noster provocat externis auxiliis, atque ab internis partibus humores et irritationem sic revellit.

Quod unicuique pesti conveniat, alexipharmacum vix datur. Plurimum camphorae, sulphuri, adeoque bufonibus noster tribuit, etsi universim neutiquam sufficientibus. Diversis enim constitutionibus diversa est efficacia et utilitas remediorum.

Bubones quamdiu rubent, non aperiendi, et quadantenus saltem coctio exspectanda; sed lividus, niger statim, etiam crudus, cultro incidatur. Maturatio praeterea tentanda est cepis tostis, vesicatorio, bufonibus, et festinanda abscessus incisio. In suppuratione vesicatoria vitentur, prohibeatur etiam acetum.

Carbunculi similiter curantur bufonibus praeparatis. Ne latius illi serpant, apex tangi potest butyro antimonii, mox cauterio actuali. Capitis affectio cum aestu, acetum rosaceum requirit, cum nitro, vel succum semperviv. maj., fronti et temporibus superhabitum, dumne excretorius motus inde turbetur.

NATHAN. HODGES [48]).

§. 107.

Medicinam fere cum praecedente, morbum observatum cum sequente auctore communem habet. Scholae enim iatrochemicae methodum professus pestem describit Sydenhamo referente celeberrimam, Londini a. 1665 grassatam. Morbi saevitiam ipse vidit et curavit, dum ille remotus ab urbe degebat; suae vero medicationi non minorem successum vindicare studet, quam contrariae fere Sydenhamus. Igitur uterque audiendus.

Ubi morbus quempiam aggressus fuit, propter summam liquorum exagitationem et contentionem intestinam plus excernitur materiae quam sanitate intacta. Tuetur noster Sanctorium, qui observaverat, aegros contagio

---

48) Loimographia, s. d. pest. Londinens. 1672.

isto prehensos illico evadere minus ponderosos, quippe effluviis, qua data via, ubertim prodeuntibus.

In dicta constitutione, funesta evasit omnis naturalis haemorrhagia. Perierunt aliqui absque febre et omni symptomate. Maculae frequentes. Stigmata pestifera mortis praenuntia, a petechiis diversa, licet hae in illa forte transmutarentur, descripsit ante Ettmüllerum (d. q. vid.), qui nostrum ante oculos habuit. Interdum ea oriebantur, sanitate alias inviolata. Saepe vomitus aut vomituritio, delirium paene continuum, cephalalgia dirissima. Febris atypica. Sopor frequens, vigiliae; sudor saepe profusus, funestus; idem saepe foetidus, diversicolor, citrinus, purpureus, viridis, niger.

Larga interdum salivatio, praecipue in syphilitica complicatione utilis (p. 87). Scrofulosos et podagricos, etiam tabem deploratam (p. 94) pestis sanavit. Venae sectio nocuit; spes omnis in sudore moto fuit. Petechiae rarissime criticae; gangraenae exiguae etiam in orthostadiis funestae. Alvi fluxus saltem in principio plurimis exitialis, quippe diaphoresin inhibens, vires labefactans, pestilentem materiam ad intestina attrahens. Infaustum ut plurimum erat praesagium in pulmonibus teneris, imbecillis aut vitiatis; fatale non minus, sudores initio prodeuntes, absque levamine ullo, morbo tunc vegetiore et aegro languescente. Appetitus diuturna dejectio, malum. Surditas cum sopore parotides mox emersuras annuntiabat. Bubones numerosi, meliores; carbunculi plures, deteriores. Urinae et pulsui nulla fides.

Curae noster largissimam nactus fuit opportunitatem. Occlusiones aedium infectarum hactenus non male improbat, quod in ejusmodi damnatis domibus, post quadragesimum diem apertis, nemo vitalis adhucdum inventus sit. Rogi accensi nocuerunt.

Venae sectionem vehementissime rejicit. In peste sanguis plerumque cum impetu prosiliens difficulter sistitur et vulnus aegre postmodum coalescit; adnotante

jam pridem Galeno. Potest quidem sanguinis missio in febre maligna, pestilenti aliquando locum habere et re deplorata ob nimium mensium vel lochiorum fluxum revulsionis gratia consulto tentari; in peste autem vera et exquisita, in quam popularis dicta lues convaluit, quamque Sydenhamus proprie non vidit; pessime nocuit. Unicum tantum noster eumque aegre evasisse vidit ex omnibus, qui, dominante illa constitutione, sanguinis detractionem subiissent (p. 170). Laudat autem emetica, in saburris, initio morbi, scilicet quae sine catharsi evacuent. Statim ab hisce, quo melius alexipharmaca retineantur, ventriculi tonus firmandus est alexiteriis, admixtis stomachicis. Ubi symptomatica emesis, absint emetica, ne vires prosternantur, morbi focus ad ventriculum convertatur, et vomitus effrenis evadat.

Purgationem debitis et usitatis cautionibus noster instituit, scilicet in principio morbi, celeri usus commotione atque mediocriter.

Cardinem vero medelae ponit in citissima materiae incongruae disjectione per alexipharmaca sudorifera. Laudat serpentariam, contrajervam et multa alia aromatico-amara et acria, radicem zingiberis, baccas hederae, spirit. baccarum juniperi, vel cornu cervi, theriacam, aquas aromaticas etc. Lapidem bezoardicum spernit, pariter ac bufonum pulverem et unicornu, licet tunc multis usitatissima.

Sudantibus lintea non mutabantur. Ubi emeticum vel lenitivum indicatum non fuit, statim ab introitu lecti alexipharmaca dabantur; ubi magna siccitas, potiones diluentes. Somnus procul arcebatur. Alimenta suppeditabantur acidula, analeptica. Lecto affixi tenebantur per integrum morbi curriculum. Alvum justo diutius tardantem movebant clysmata aromatica.

Bubo, sicubi materia incerta loci et vaga esset, figebatur cucurbitulis; ubi durus ac dolens, linimento emolliente curandus, cataplasmate. Suppuratio non exspecta-

batur ad ruptionem usque spontaneam, sed ubi dolor aut virium magna prostratio moneret, vel cultro vel cauterio humor crudus emittebatur, cataplasmatibus superimpositis irritantibus. Carbunculis applicata sunt cataplasmata acria, dum ne dolor inde nimium augeretur; cucurbitulae, scarificatio, cauterium, incisiones altae ad escharam separandam. Ulcus tarde consolidandum.

Ad praecavendam pestem Hodges aëris expurgationem commendat, tormentis explosis, conventibus hominum prohibitis, odoramentis gratis et ingratis, gravibus, ut cloacis etc. tentandam; antehac autem comprobatis novi nihil adjecit. Corpus mundum servat evacuationibus cautis; vinum generosum laudat, Hispanicum, quo ipse feliciter usus quotidie est. Nicotianae incerta utilitas. Periapta forsan per imaginationis vim et animo additam constantiam sunt efficacia, interdum ne medicata quidem, sed characteribus solum inscripta. Carbunculus lethalis eo loco fuit genitus, ubi amuletum arsenicale ad attrahendum et figendum miasma gerebatur. Efficaciora erant ulcera artificialia, quibus ipse munitus auctor; quoties in loca contagiosissima se conferret, toties fonticuli acerbum sentiebat dolorem, lancinantem, effluente mox sanie, ut plurimum tenui, cruda, sanguinolenta. Hoc facto statim ad alexipharmaca utiliter confugit.

Qui praeservationis causa medicamenta praecalida in ore gerebant, myrrham, rad. zedoariae, angelicae etc. pluries tonsillarum inflammationes patiebantur, non sine magno pulmonum malo.

THOMAS SYDENHAMUS [49]).

§. 108.

Non doctrinae splendens apparatus, vel ubertas lectionis, non operum frequens pompa magnum hunc red-

---

49) Opp. ed. Lugdun. 1726. 8.

diderunt et seculi decus fecerunt; sed ingenii admiranda felicitas, scopum feriendi, tramitem justum eligendi etiam in obscuris et difficilibus rebus solertia et animadversionis subtilitas, in rebus suscipiendis ingenua consilii audacia, in exsequendis prudens constantia, contra opinionem dominantem candor generosus et fortis resistentia, in ratiociniis serendis temperantia et circumspectio non minus quam sagacitas, perspicuitas et eloquentia. Cujus de virtutibus toties et a tam multis laudatoribus judicium latum est, ut uberiore commendatione indigere apud neminem videatur. Nostram vero propterea etiam speciatim meritus est, quod tam sapienter, quid epidemicis constitutionibus singulare inesset, et quidquid conjunctim ipsis, quasi perenne et constans, competeret, tamque accurate observaveri.

In dijudicandis et sanandis aegritudinibus, eidem quo Hippocrates sententiae fundamento et cardini noster innitebatur, qui a ratione et observatione dictatum haberet, morbum, quantumlibet ejus causae humano corpori adversentur, nihil esse aliud, nisi naturae conamen materiae morbificae exterminationem in aegri salutem omni ope molientis. Etiam pestis nil aliud nisi complexus symptomatum est, quibus utitur natura ad inspiratam una cum aëre materiem pestiferam per emunctoria, apostematum specie vel aliarum eruptionum opera, excutiendam. Similis ratio in arthritide agnoscitur et in aliis (p. 37).

Quae vero natura sit popularium constitutionum, quomodo sibi invicem singulae sint affines, quaenam ratio obtineat inter speciem morbi et curam convenientem, id noster si non primus omnium perspexerit, tamen disertis verbis inter omnes observatores constantissimus declaravit. Quantocunque, dicit, ab invicem, quoad typum et formam specificam, intervallo distent singuli morborum casus, constitutio tamen, universim imperium tenens, materiem, quae singulis in

causa est, ad ejusmodi conditionem atque statum effingit formatque, ut praecipua symptomata, quae ad particularem evacuationis modum nihil attinent, omnibus paria sint; singulis etiam in hoc conspirantibus, ut eodem pariter omnes tempore et intendant saevitiem et remittant [50]). Porro, quod sedulo observandum, cum complures aliquot horum morborum eundem obsideant annum, unus eorum aliquis reliquorum praedominio potitur, ceteris in ejus quasi ditionem redactis et parcius id tempus infestantibus, minus atrociter saevientibus; ita ut illo increbrescente imminuantur hi, ipsoque rursus defatigato ac remittente recrudescant. Epidemicorum enim alter ab altero, ut clavus a clavo pellitur quidem; non tamen statim, qui pellitur ac decedit, in solidum evanescit, sed rarius solummodo invadit, donec tandem penitus diffugiat, vel vertente constitutione denuo vires sumat et reliquis morbis dominetur iterum. Quod si contigerit, hos morbos jam non simpliciter epidemicos, sed stationarios vocabat Sydenhamus, utpote febres, quae, quum a particulari quadam, at nondum satis cognita, hujus aut illius anni constitutione pendeant, singulae suo ordine invalescant, grassentur admodum et quasi ceteris dominentur per continuam illam annorum seriem. Fatetur autem, se nondum satis compertum habere, num tales morbi exacto quodam annorum curriculo se mutuo excipiant, nec ne. Est autem ad comperiendam febris

---

50) Sic variolosa dominante constitutione febris haud infrequens est, quae, exceptis ab exanthemate prodeuntibus notis, morbi regnantis indolem tam luculenter prae se ferat, ut non immerito variolosa febris nuncupetur; sic igitur intercurrentes morbi de genio regnantis affectus nonnihil accipiunt, licet ab illo propria ex indole omnino diversi fuerint. Magno vero, ait, ingenii acumine et intentissima observatione opus est ad hanc diagnosin; ut medicus, ubi eos inspexerit, statim norit distinguere, licet differentiarum characteristicarum aliae ita sint fortasse subtiles et delicatae, ut easdem alteri verbis nequeat exprimere (S. VI. c. 1).

stationariae praesentiam certum tempus anni prae aliis opportunum. Aestate scilicet atque Julio potissimum mense febrem ejusmodi gravissime saevire, asserit noster. Constitutio vero ista, ut sensim magis magisque invalescebat, tali modo quum ad statum pervenit, iisdem gradibus mitescit tandemque fatiscit. Nova tunc succedit stationaria febris, ita quidem, ut, quae dimittit, versus finem imperii rarius primo invadat. Verum quod ultra est, quaenam accuratius definita harum febrium indoles sit, quaenam illarum genera, quam late regionibus dominentur, uti nobismet ipsis adhuc reconditum est, sic etiam Sydenhamo perspicere concessum non fuit. Certissimum autem habetur ipsius longaevis, et Stollii aliorumque repetitis observationibus, ejusmodi stationariae imperio subesse omnes febres permanente eadem generali constitutione exortas. Sic e. g. dysenteriae evacuantibus aut antiphlogistica methodo curandae veniunt, prout bilis principatum teneat, aut inflammatoria diathesis, aut mixta corporis conditio stationariae febris character fuerit.

Inter plures autem morbos forte populariter circumvagantes, qui circa aequinoctium auctumnale maximopere grassatur et plurima edit funera, totius anni constitutioni nomen impertit suum, cujus ingenio, quotquot id aetatis sunt et comites accedunt affectus, se accommodant, quantum quidem eorum fert natura. Tali modo e. g. quum variolae eo tempore latissime depopulantur, febris toto anno sparsim oberrans ejusdem plane inflammationis est particeps, quae variolas parit, et ad eandem normam adoritur, ut ex ingenti ad salivam excernendam propensione, in qua utraque conveniat, abunde cognoscitur. Talis autem princeps morbus ingruente hiemis frigore mitescit, quum ex adverso epidemici inferioris ordinis, qui quasi ab illo dirigerentur, tunc temporis praesertim ingravescant, donec dictus anni princeps eorum vires denuo frangat.

§. 109.

Singularem genii regnantis potentiam noster agnovit in medela morbis facienda. Adeoque inter sese discrepare illas constitutiones vidit, licet eodem plane nomine comprehensas, ut, qua methodo currente anno aegrotos liberaveris, eadem ipsa, anno jam vertente, specie eosdem e medio forsan tollas. Quam ob rem pro more ipsi erat, quando novae febres grassari inciperent, cunctari paulisper, et ad magna praesertim remedia non nisi suspenso pede ac tardius procedere, diligenter interim ingenium earum atque morem observare, quibusque praesidiorum generibus aegri juvarentur vel laederentur, ut quam primum his dimissis illis uteretur. Tali pacto, ingenue fatetur [51]), saepius dubium se haesisse, dum novus morbus caput extolleret, et nisi ingenti adhibita cautela, vix ac ne vix quidem potuisse efficere, ne unus alterve illorum, qui suae curae primi essent traditi, vita periclitaretur, donec, investigato jugiter tandemque perspecto morbi genio ad eundem perdomandum recto pede et intrepidus denuo procederet. Sic, quando semel in genuinam medendi rationem, quam haec vel illa febris species sibi vindicaret, auspicato inciderat, semitam quasi semper attingebat, temperamentum simul, aetatem et reliqua ejusmodi usque quaque respiciens: donec exstincta illa specie, novoque gliscente malo, anceps rursum haereret, qua via aegris rite subveniret, et novam methodum meditaretur.

Morbi supra dicti intercurrentes non quidem eandem omnino curationem postulant, quam morbus ipse epidemicus tunc praedominans, attamen peculiaris hujus ipsius indoles nunquam in tali negotio despicienda est. Si e. g. morbus principatum tenens venae sectionem largam vel repetitam non ferat absque noxa, tali tempore etiam in pleuritide curanda parcius sanguis mittatur. In

51) S. I. c. 2.

primis vero attendendum, per quas corporis vias natura materiem morbi concoctam eliminet; solet enim tunc feliciter idem fieri in intercurrentibus, licet ab epidemico circa habitum diversis. Itaque si hicce sudoribus criticis terminari soleat, feliciter idem in pleuritide expectare licet, cum et ille morbus ex propria natura eadem evacuatione quandoque solvatur. Sic ad dominantis mali normam intercurrentium ceteroquin peculiaris cura leviter inflectetur.

Quapropter nonnisi difficulter febris cujusdam genus et natura cum certitudine aliqua ex signis comitantibus definitur. Luculenter autem cognoscimus, si sedulo ad morbos eodem tempore obortos et symptomata animum attendimus, quae populari febri ut priva sint adjuncta, quatenus quidem haec a certo aliquo evacuationis genere prodierint. Permultum dein confert ad hanc detectionem, probe comparasse, quae methodus morbo curando maxime proficua sit. — Nova symptomata, quae diversis annis accessoria forte cernantur, febribus specie ceteroquin non mutatis, cito evanida sunt, nec morbus propterea novus habetur, siquidem propria indicia, quae ab indole publicae constitutionis prodeant, supersunt ac per totum producuntur [52]).

§. 110.

Talia circa popularem genium in morbis promiscue noster observabat. Percunctandum venit, quo modo in singulis constitutionibus, quae huc referri debeant, tum observando tum medendo rem gesserit.

Quae primo loco describitur febris *), ab anno 1661 ad 1664 Londini in stationariae morem grassata, ab initio continens exstitit, maligna, post quatuordecim dies judicata; postmodum intermittens auctumnalis

52) S. IV. c. 4. *) P. 69.

evasit. Natura in illa diarrhoeam utplurimum concitabat, eam vero aegro molestam et ancipitem. Noster itaque vomitum procurabat, a quo certum levamen observatum. Irritationem et turbam ventriculi ex vomitu obortam paregorico medicamine componebat, id quod ubivis dare solebat eodem die, quo alvum moverat, novo utique consilio. Deinceps clysmata exhibuit, eaque saepe repetita [53]). Morbo autem ad finem vergente, ac secretione jam conspicua, circiter duodecimo die jamjam calidiora audebat propinare, ut concoctio materiae febrilis et excretio critica, quae decimo quarto fieri soleret blando sudore, eo celerius et certius absolveretur. (Praeeunte Hippocrate in l. de locis in homin.) Monet simul, in morbi principio, si cardiacis opus fuerit, semper moderatioribus se usum esse et gradatim ad calidiora accessisse, secundum morbi progressum. Minus autem discrimen se observasse a cardiacis fortioribus, ubi larga sanguinis detractione debilitatus aeger fuisset, vel senex, quam si nulla facta evacuatio esset, aut aetate aeger floreret.

Malam instare crisin sicubi noster videret, omni artis molimine praecavebat. Sic, dum observaverat nauseam et vomendi conatum perpetuum adesse, deinde vero malignum humorem subigi quidem utcunque et versus intestina depelli, tuncque, quam supra memoravimus, diarrhoeam sequi tantam, ut fractis jam morbi decursu viribus mortem adduceret: dato emetico in ipso morbi initio funestam hanc crisin prohibebat. Ceteroquin in

---

53) Testatur clysmatum solo usu nimiam sanguinis exaestuationem pro lubitu compescere potuisse, raroque indiguisse repetita venae sectione in febribus continuis, nisi apud illos, qui sanguineae admodum temperiei, et in flore aetatis constituti essent, aut nimio vino indulsissent; in reliquis sufficiebat singulis vel alternis diebus, prout major minorve erat impetus febrilis, clysma injicere, donec morbi intensio satis remitteret, plerumque ad 10 usque diem. Composuit autem clysmata ex saccharo cum decocto emolliente vel lacte,

hoc totus erat noster, ut febrilem motum in moderamine servaret, restinguendo nimis impetuosum, nimis languidum stimulando. Quo prudenti medicinae usu crisis et ordo dierum minime sunt turbati. Quando vero debita mediocritas in naturali molimine obtineret, vel nulla indicatio sese offerret, remediorum usu medicus supersedebat, tum in hoc morbo tum alias etiam in febribus, nisi forte, adstantium precibus nonnihil concedens, praescriberet quae nocere non possent. Tali cautione aegrorum saluti non minus quam famae suae consulebat, neque spectator tantummodo otiosus, sed diligens naturae minister assidebat. Scilicet dum sedulo observabatur febris, vel sponte deferbuit, vel paulatim ita mutata est, ut jam manifestum evaderet, quibus remediis morbus deberet impugnari.

Quodsi aeger vel calidiorum medicaminum intempestivo haustu, vel calido nimis temperamento sua natura fretus in phrenitidem incidit, vel, quod juxta fere putabatur, si non omnino dormiebat, saepe exclamabat, aut inconditis vocibus usus, vultu ac loquela ferociebat, si medicamenta potumve communem avide et quasi raptim bibebat, vel denique urinam habebat suppressam: in hoc casu liberaliore manu, quam forte circa initium morbi indulserat, sanguinem ex vena misit, clysmata ac medicamenta refrigerantia in usum vocabat, eaque praesertim verno tempore. Atque talibus remediis utens eo usque hominem sustinere conabatur, donec in diuturnitatem aliquam affectus excurreret; quo tempore vidit, non admodum difficile fore, eum et a morbo et a symptomate, phrenitide, s. statu nervoso, una eademque opera liberare, id quod tentabat narcoticum aliquod medicamentum paulo largius exhibendo. Quamvis enim febre vigente narcotica non omnino prosint, tamen opportune et in declinatione morbi propinata praeclaros effectus edunt; antea vero prodesse non possunt, partim quia febrilem impetum sistere nequeunt,

etiam largissima manu exhibita; partim materiae morbificae, tunc temporis massae sanguinis admixtae neque ad excretionem adhucdum vergenti a remedio ejusmodi hausto via obstruitur, adeoque depuratio illa tantopere exoptata impeditur. Hoc intuens laudani sui mediocrem dosin declinante morbo porrigebat, non sine successu, neque ante diem duodecimum, vel potius decimum quartum, critica excretione tunc absoluta. Minimeque ab hac mora, tametsi forsan adstantibus terrorem injicerent phrenitica symptomata, mortem vidit subinferri; potius saepe observavit, malum illud plerumque inducias ferre posse ac solere, donec narcoticorum accesserit opportunitas. Cavebatur solummodo, ne cardiacis, calidisque medicamentis adhibitis intemperies coepta uberius accenderetur, quo casu aegros subito viderat periisse.

Quando febris adeo protrahebatur, ut aeger ante narcoticum assumtum commode posset purgari, medicamenti illius tanto felicior erat effectus. Imperabatur autem purgans medicina 10—12 horis ante narcotici constitutam opportunitatem. Neque metuendum quidquam erat a tumultu, quem stimulo suo pharmacum (dedit pilulas Cocchii) alias excitare solebant; subsequentis enim narcotici virtus compensatura erat illas turbas.

Quodsi vigiliae ultra febrem excurrerent, cessantibus aliis symptomatibus, linteum, aqua rosarum madefactum et frigide sincipiti ac temporibus applicatum, plus reperit noster, quam narcotica quaevis prodesse. —

Constitutio (II) pestilens, ann. 1665 et 1666 [54]).

§. 111.

Praegressa hieme frigidissima et sicco gelu in veris usque tempore perseverante, cum ex improviso tempe-

54) P. 105.

statis intentio solveretur, exeunte Martio a. 1665, peripneumoniae, pleuritides, anginae aliique id genus morbi inflammatorii magnam derepente stragem edebant. Quo ipso tempore caput etiam extulit febris continua popularis, a febrium praecedentis constitutionis genio longe diversa; quippe quarum vix ullae etiam tum tempestatis solebant invadere. Dolor capitis, quam in priore illa, intensior et vomituritiones atrociores ad hanc febrem accedebant: in plerisque diarrhoea, quae antehac emetico praeverteretur, jam ab eodem ipso medicamine provocata est, minime tamen cessante vomituritione. Externa sicca, sicut in febre prioris constitutionis; attamen praemissa maxime venae sectione aeger in sudorem solvi poterat, eoque provocato symptomatum ferocia mox remittebatur. Atque hoc nullo non morbi tempore fieri potuit, quum in febre praegressa nec tuto ante diem 13 vel 14 id tentatum fuisset, nec facile cum pleno successu. Sanguis colore saepe pleuriticorum, ac rheumatismo laborantium similis, gelatina vero non adeo albescente praetextus.

Anno vero adulto morbus in ipsam pestem exacerbatus est, carbunculis, bubonibus et aliis signis pathognomonicis stipatam. Quae in dies magis invalescens circa aequinoctium auctumnale acmen attigit, mox vero, urgente brumali frigore, propemodum evanuit, denique sub exordium veris omnino deleta est. Superstes tamen febris aliqua pestilens fuit, quamvis non ita late saeviens, excurrente integro anno insequente, imo ad ver usque incipiens a. 1667 producta.

De peste ipsa noster referens, quum complurium milliarium intervallo ab urbe pleramque partem esset remotus (aufugerat enim ob domum incendio absumtam, redux demum cum a summa atrocitate morbus magnopere remisisset) [55]), paucis quidem, sed propriis

55) v. p. 114.

observationibus fatetur se instructum esse. Plenam morbi saevitiem Hodges viderat (q. v.).

Annus autem ipse tot millium strage funestus, alioquin mitissimus ac saluberrimus exstitit; omnesque, quibus a peste immunibus esse contigit, nusquam meliori valetudine fuerant usi. Quin etiam ii, qui ab eadem convaluerunt, cachexiae et aliis affectibus, a residua priorum morborum labe provenire solitis, non amplius obnoxii deinceps vivebant. Facile etiam sanata sunt apostemata quantaecunque latitudinis fuerint, itemque carbunculi, postquam particulae inflammatae una cum sanie discesserunt, neque admodum exquisitis chirurgi auxiliis opus habebant.

Primo autem morbi insultui rigor, qualis in febre intermittente, fere perpetuus erat; mox vomitus enormes, dolor in regione cordis et oppressio, febris ardens cum symptomatum familiari comitatu, assidue aegrum excruciabant, donec aut mors ipsa aut bubonis vel parotidis benigna eruptio contigit, quae materiam morbi salutari eventu foras excluderet. Rarius absque omni febre malum ingruit, hominesque ex improviso sustulit, maculis purpureis praesentanei interitus nuntiis, etiam dum in foro versabantur, erumpentibus. Quae repentina exanimatio, nisi in pestis admodum funestae exordio, vix accidit, neque observatur remittente et infracta jam lue, aut iis annis, quibus non existit popularis. Verum non pestis tantum, sed epidemici omnes, ubi primum e naturae gremio emergunt, quantum ex eorum phaenomenis licet conjicere, fomite magis subtili ac spirituoso videntur inhaerescere, quam ubi adoleverunt; quoque magis ad occasum vergunt, eo magis in dies crassi fiunt ac putridam habent humorum intemperiem [56]). Fuerunt etiam, quibus tumores prorumperent, nec febre nec graviore aliquo symptomate praegresso, saltem animadverso.

56) S. IV. c. 3.

Quibus hoc contigit, ii periculo vacabant, spreta adeo omni regiminis cura.

Causam illius pestis internam Sydenhamus reperire sibi videbatur in inflammatoria diathesi particularum sanguinis spirituosiorum, quam opinionem confirmatam sibi habebat colore sanguinis pleuritico, adusta anthracum facie et anni tempore, quo epidemica pestis ut plurimum exoritur; eo nimirum, quod inter vernum et aestivum intermedium est, pleuritides, anginae etc., populariter invadere consueverunt, eaeque tunc etiam paulo ante pestem Londinensem frequentissimae. Calidiorum medicaminum et alexipharmacorum in ejusmodi lue auxilium per accidens duntaxat praestari arbitratus noster est, quippe diaphoreseos, quam suscitarent, beneficio. Quodsi forte exhibita illa sudores commovere non valerent (ut persaepe accidit), mox sanguinis fervor male concitatus noxam eorum palam fecit. Quo emolumento eadem pharmaca in prophylaxi sint, probandum adhuc restat. Imo vini largior usus, aliaque fortiora praeservativa compluribus, qui alias intacti et incolumes haud dubie permansissent, morbum reapse induxerunt.

---

§. 112.

Curandi indicationes eo in universum dirigendae, aut ut naturam ducem in exterminando morbo sedulo sequentes adjuvemus; aut ut ipsius conatui in evincendo fomite minime confidentes diversam et tutiorem viam ex arte nostra et experientia, vice illius, substituamus. Alexipharmacorum praestantia potius ad sudoriferam manifestam facultatem quam ad occultam quandam virtutem pesti adversam referenda. Etiam reliqua alexiteria, evacuatione potius solicitata quam specifica indole efficacia esse videntur. Specificum pestis remedium experientia nondum suppeditavit.

In vera quidem peste fausta naturae molimina cer-

nuntur abscessu bubonum; in febre pestilenti idem efficitur sudore universali. Prior sudoribus arte motis neutiquam abstergitur, altera alias ac per cutaneam exhalationem non dispellitur, quamquam haud diffitetur Sydenhamus, post magnos sudores, ad trium quatuorve horarum spatium productos ac deinde abruptos, in peste tumorem se in conspectum dare. Bubonem a sudore proferri minime arbitratur, quoniam vigente hoc nullum appareat eruptionis indicium, sed finito demum veluti per accidens consequatur. Verum fallacissima haec est materiae exclusio per abscessus sudoribus foras evocatos, et multi pereunt inde, dum brevi sanitatem multi recuperarunt, quibus spontaneo ritu, etiam dum negotiis intenti versarentur, eruperant; sudor vi extricatus iisdem pessime nocuit. Interdum enim bubo, qui primum auspicato ac cum symptomatum remissione protuberaverat, postea ex inopinato disparuit, et in ejus locum maculae purpureae, certissimi mortis indices, successerunt. Causa retrocessionis in sudoribus propulsis fuit quaerenda. Itaque ratio materiae morbi amoliendae admodum versatilis et lubrica est, et licet in aliorum morborum medicatione naturae propensionem presso pede medicus sequatur, hic ejusdem auspiciis renuntiare debet. Scilicet haec ratio est malignitatis.

Quae quum ita sint, dispiciendum venit, qua demum arte alteri, quam statuit noster, intentioni satisfiat: nimirum, aliam, atque a natura diversam, morbi solutionem aggrediendi. Fieri autem posse existimat vel per sanguinis missionem, vel per sudores.

Circa venae sectionis utilitatem provocat ad experientiam medicorum in urbe, etsi vehementer repugnantem habeat Hodgesium. Damnat autem parcam, nec non tumore jam conspicuo institutam, ut quae vires naturae medicanti eripiat, nec satis materiae evacuet, erumpente vero bubone motum illius ab ambitu introrsum detrahat. Frequentissime nihilominus noxam venae sectionis

perperam sic factae, adversus sanguinis in hoc morbo detractionem generatim, validissimi argumenti loco torqueri, etsi permulti auctores eandem ut remedium morbi defenderint, Septalius, Forestus etc. Copiosae autem detractionis, tamquam principis adjumenti, unicum habet, eum vero acerrimum commendatorem, Botallum [57]).

Nihilo minus ipse diaphoresi materiae pestiferae sanguinis missionem postponit; quia vires haec prosternat, medicumque infamiae periculo objiciat. Verum et illa difficultates suas habet. Nam multis, praesertim juvenibus temperamento calidioribus, aegre sudores proliciuntur, a fortioribus autem adminiculis phrenitis facile excitatur, vel tandem pro sudoribus exanthemata fatalia, triste omen, extorquentur. Deinde licet satis promte corpora in sudorem solverentur, si excretio justo maturius, quippe tota materia nondum penitus dissipata, abrumperetur, bubones sub finem sudoris fausto omine prodeuntes postea intro remeabant, aut saltem non rite abscedebant. In sanguine autem ex recepto fomite maligno commotio fit, et ecthymata, mortis imminentis indicia, foras propelluntur.

Haec itaque et plura ejusmodi animo revolvens Sydenhamus, etiamsi nullus dolor vel dyspnoea adesset, eo adductus est, ut rationem haberet inflammationis cujusdam circa respirationis instrumenta delitescentis; eoque

---

57) Cur. per v. s. c. 7. Confirmabatur venae secandae consilium exemplo chirurgi militaris, quem refert noster peste, aliquot annis ante Londinensem stragem, grassante, militibus cum eruptione macularum infectis statim a primo insultu, nulloque adhuc viso tumore, sanguinem ingenti copia detraxisse, stantibus quidem et sub dio, donec pedes deficere inciperent, mensura cruoris mittendi non definita. Quo facto aegros in tuguria sua ad decumbendum dimisit. Et licet a venae sectione nullum plane remedium adhibuerit, tamen ex compluribus, quos hoc modo tractasset, ne unus quidem desideratus est. — Denique quibus aegris Sydenhamus utiliter venam secuit, in illis inflammatoriam sanguinis cognovit spissitudinem, manifesto missionis cohortamento.

ratiocinio usus prospere processit, curam scilicet instituendo antipleuriticam, venae sectionibus repetitis, ptisana et diaeta refrigerante.

Sed quum a venae sectionibus repetitis medicus saepe prohiberetur adstantium importunitate, methodum reperit, quae pariter quidem efficax, tamen hominum offensionem non aeque incurreret, eamque saevitia morbi jam declinante ut optime convenientem retinuit.

Primo, siquidem bubo nondum appareret, sanguinem pro aegri viribus ac temperamento mediocriter detraxit; quo facto expedita erat diaphoresis, eaque jacturam factam abunde compensavit. Post venae sectionem in lecto institutam omni mora relegata stragulis aegrum obruebat, laciniam laneam sincipiti alligabat, cujus utilitatem in sudore ciendo bene cognoverat. Dein, si vomitus non adesset, theriacam et similia sudorifera et cardiaca exhibuit. Quodsi vero, ut saepius fiebat, vomitus interpellaret, medicamentum sudoriferum tantisper distulit, donec solo ex stragulorum pondere sudor promanare inciperet, facie subinde leviter obvelata. Quo facto alvi profluvium et vomitio illico ultro sedabantur, adeo ut assumta deinceps diaphoretica probe retinerentur et effectus quaesitos praestarent. Inceptam diaphoresin potionibus diluentibus, subaromaticis ad nychthemeri spatium continuari jussit, ab omni interim abstersione strenue abstineri; neque infra quatuor ac viginti horas, a sudoribus finitis, indusium, utcunque madidum et immundum, mutari permisit. Quae quidem noster cautissime observabat. A restricto sudore, saevitia morbi illico recrudescebat.

Nec interpolanda transspiratio erat virium curatione. Nam primo, aeger sudore diffluens viribus melius, quam antea constabat, excretis, quae incongrua essent; circa horas autem aliquot posteriores, saepe sudorem vidit erumpere, priore illo, quem medicaminum vis provocaverat, magis naturalem, genuinum, copiosum, symptomata

allevantem et vere criticum. Dein in summo sudoris vigore victu lauto, cardiaco, sorbili aeger commode reficiebatur, diaphoresi simul optime sic sustentata.

Per horas a finito sudore viginti quatuor monebat, ut frigus caute vitaretur, indusium sponte sua in corpore aresceret, potulenta omnia subcalida haurirentur. Quae inter sudandum capiebantur, etiam nunc continuanda. Zythogala, salvia alterata etc. Insequente die lenitivum medicamen sibi familiare praescripsit, ex tamarindis, senna et rheo cum syr. mannae et rosarum solutiv. compositum. Atque ita anno a peste proximo permultis febre pestilente correptis sanitatem noster restituit.

At vero tumore jam enato venam non aperuit, etiam in corpore ad sudandum quantumvis inhabili, veritus, ne materie morbi remeante subitaneus aegri interitus destinatam diaphoresin anteverteret. Nihilominus, addit, fortasse satis tuto venam sectum iri, modo confestim, absque omni mora eliciantur sudores, qui ad spatium dictum continuati omnem tumoris molem paulatim absumere et dissipare valeant; idque longe minore salutis periculo, quam si plena suppuratio, quae in praecipite affectu incerta et fallax existit, serius exspectetur. —

---

§. 113.

De morbis hujus notae generatim sequentia noster addidit: — Febris vere maligna, sporadica, a peculiari, occulto, quasi venenato fomite oriunda, quae ab aliis febribus ob symptomatum anomaliam toto ingenio discordet, minime frequens morbus est. Circa speciem profecto cum ipsissima peste utplurimum convenit, nec nisi gradu remissiore discedit. Cura igitur utrique, sicuti causa, communis. Complures autem in malignarum censum vulgo referuntur, ob indomitam quidem symptomatum saevitiam, quae mere ex curatione perperam in-

stituta proficiscantur. Naturae enim conaminibus perturbatis et omnibus susque deque conversis, tristissima rerum facies ultra consuetum morbi morem inducitur. Haecce igitur febrium anomalia melius praevertitur, quam praesens corrigitur, medico prudenter naturam intuente. Febres plurimae decurrunt legitimae, salutares; longe rarius occurrunt atroces, insidiosae, anomalae. —

Ad pestem conflandam, praeter aëris faventem constitutionem, ceu communiorem causam, accedat oportet miasmatis, a pestifero aliquo corpore susceptio, sive proprio consortio fiat, sive per fomitem aliunde transmissum, materiae cuidam adhaerentem. Quod ubi juvante aëris diathesi fieri contingit, ab exiguo seminario mox lata pernicies diffunditur, ac densatis undique funeribus, universo aëri per istum tractum a peste, tum laborantium tum defunctorum exhalationibus, labes et contagium inducitur, adeo ut ad propagandam luem jam non amplius vel fomite vel aegrorum consortio opus sit; verum quemcunque hominem, vel summa cura a pestiferis hominibus semotum, ipse aër per se inficere valeat, modo ille corpus habeat refertum humoribus ad afflatum excipiendum paratis [58]).

Exoritur maxime, siquidem epidemica constitutio favet, inter ver et aestatem ambigente tempore, utpote quod inflammatoriae diathesi per se provocandae accommodatum est. Morbus cum anno adolescit, vergente collabascit, donec tandem aërem in integrum restituit bruma glacialis. Aliis anni temporibus rarius pestis enascitur, nec tam immanis desaevit. Interim aëris dispositionem, quantumvis incongruam, pestis suscitandae per se esse imparem noster existimat; sed fomitem hujus morbi alicubi usque superstitem esse, et inde aliorsum deferri, donec aëris constitutionem nactus fuerit popularem morbo idoneam. Alias enim, addit, se non intelli-

58) Cf Diemerbroekii hist. pestis Noviomagensis, supr. §. 103.

gere, qui fiat, ut in eodem coeli tractu, dum unum aliquod oppidum peste gravissima affligitur, aliud non longe dissitum, sublato omni commercio, prorsus immune perstiterit [59]).

Febris continua constitutionis epidemicae (V.) a. 1673—1675.

§. 114.

Exeunte Octobre [60]) ann. 1673 tempestas hactenus tepida et aestatis instar placida derepente in frigidam et humidam est mutata; unde catarrhi et tusses plures quam alio ullo tempore. Tussibus hisce supervenire solebat febris constitutionis stationaria, hinc magis magisque grassata, symptomatibus variata. Quum enim paulo ante, ex praecedentis constitutionis (dysentericae) ingenio, in viscera morbi impetus factus fuisset, jam in pulmones et pleuram prae ceteris convertebatur, unde symptomata pneumonica et pleuritica edebantur, febris indole ceteroquin non mutata.

Diathesin in hac etiam febre primitus inflammatoriam noster agnoscebat, sanguis, saltem prima et secunda vice emissus, quasi pleuriticus; morbo vero provectiore cessabat phlogosis.

Symptomata, praeter communia febribus, in plurimis erant dolor capitis et dorsi satis atrox, stupor dolorque artuum tensivus, imo totius corporis, rheumaticis tamen mitiores, nonnullis ineunte morbo in sudatiunculam propensio. Lingua, ubi sibi permissa febris erat, naturalis fere, non sicca, paululum albescens, sitis mediocris. Quodsi calor ultra febris consuetudinem intendebatur, lingua siccissima, subfusca, sitis magna, urina,

59) Fama erat, pestem Londinensem a Batavorum ditione fuisse illatam. 60) P. 218.

alias fere naturalis, jam intense rubra. His tantum febris symptomatibus stipata, si perite curabatur, die 14 dimittebat, pertinacissima post transactos viginti.

Eminebat autem inter symptomata affectus soporosus, cum stupore ac delirio, imo ad septimanas aliquot nonnunquam sopore protracto et difficili expergefactione nec completa, stupore mox iterum obruente, interdum in absolutissimam aphoniam abeunte.

Qui sic aegrotavit, ubi ad conscientiam sui rediit, die 28—30 coepit convalescere. Bonae conversionis primum signum erat, cibi aut potus cujusdam insueti aut absurdi appetitio. Caput hisce per aliquot dies debile atque vaccillans; verum quo passu vires restituebantur, eodem ipso et hoc symptoma discessit.

Nonnullos coma vigil detinebat, cum deliriis placidis, passim mente emota; nec tamen in eam usque excandescentiam et furorem, quo solent agitari, qui a variolis et aliis febribus in phrenitidem incidunt. Somnus enim aderat, etsi crebro interruptus, stertor etiam profundior. Decursus mali tardior. Pueris etiam plerumque haec phrenitidis species accidebat, illa affectio adultis maxime. Utrisque enim, si calidioribus medicamentis sudores solicitarentur, malum in caput facile transferebatur et dicta symptomata provocabat.

Curam morbo convenientem noster, quum eodem tempore nullus alius epidemice regnaret, cujus perspecto genio de hujus natura verisimile aliquid conjectari posset, reperit juvantibus et laedentibus quam diligentissime intentus. Inflammationem subesse, diathesis pleuritica et sanguis missus et capitis dolor innuebant, nec tamen ferebant largiorem evacuationem, quae pleuritidi conveniret. Sanguis enim post primam secundamve vicem detractus crustae colorem protinus amisit, nec repetita etiam tum venae sectione aeger levabatur, nisi forte in veram pleuritidem morbus abiisset; id quod a regimine justo calidiore praesertim vere 1674

accidebat. Domabat autem Sydenhamus, quem repetita venae sectione restinguere non licebat, calorem inflammatorium enemate postero die a venae sectione injecto, lenitivo, dein singulis diebus repetito, et medicamentis refrigerantibus. Ubi imminuta apparebat morbi vis, omissa sunt clysmata, imo et maturius, si quidem febris diem 14 excessisset, jamque inveterasceret. Morbum enim, acie retusa, suo uti genio ac quasi sensim deflagrare noster sinebat. A violenta evacuatione tuno abstinebat. Iisdem praesidiis a capite stuporem morbo familiarem devertit, causam morbi eliminavit et sic omnino venae sectionem alioqui repetendam compensabat. Praeterea epispastica satis ampla cervici statim a venae sectione cum fructu applicuit. His et regimini refrigeranti morbus tandem naturali quasi via cessit; saevus, si diversa methodo quis eum aggrederetur.

Aeger quotidie lecto debebat abstinere, saltem ad horas aliquot, vel, si vetaret major debilitas, vestibus saltem indutis supra lectum cubare, capite elatiori. Si icterus vel dolores vagi, rheumatici inde forte excitabantur, lectus unum alterumve diem servandus erat, sudore non provocato. Declinante morbo aeger tutius in lecto assidue decumbebat, quam in principio ejusdem vel vigore.

Sic nulla evacuatio hac methodo tentabatur. Nonnullas enim febres natura methodo peculiari sine conspicua aliqua excretione depellit, reducendo in sanguinis massam eique assimilando materiam morbificam. Qua noster nisus ratione saepenumero, tam in hac febrium specie, quam in aliis, modo non intermitterent, mox a primo insultn, totoque sanguine nondum inquinato, prospere rem gessit, imperato tantum cerevisiae tenuissimae quoties et quantum desiderarent, potu esuque tam jusculorum, quam aliorum, cujuscunque generis sint, aegris denegato, permissis interim exercitii consueti usu et aura liberiore, nullaque prorsus evacuatione tentata. Ve-

rum tali medela, adjicit, non nisi in junioribus ac temperamento sanguineo gaudentibus utendum.

Dum vero concedit, naturam non alia methodo, quam per diaphoresin morbum devincere, eos sudores, qui morbo jam fatiscente prorumpant, et praevia coctione edantur, istis longe praefert, qui primis morbi diebus protrusi, ab interrupto exagitatae naturae opere nascantur. Hujus notae sudores non erunt promovendi, sed compescendus potius tumultus, cui ortum debeant. Multas autem febrium species iidem solent comitari. Etiam in febre modo descripta, stupor et delirium, licet nonnunquam sponte enascerentur, utplurimum cum ingenti discrimine invitata fuerant regimine nimis exaestuante, sudores scilicet praeter naturae propensionem extorquente. —

In morbis depellendis lente satis debemus festinare; tardius procedendum erit, et plus naturae saepenumero committendum, quam vulgo mos est. Natura enim artis adminiculo non ubivis indiget, alioquin non bene prospectum fuisset humani generis conservationi, quum nec minima sit proportio inter morborum infestantium frequentiam et facultates, quibus pollent homines ad eosdem fugandos. —

Ubi ex stupore vel aphonia convalescentes in febre dicta incongruum aliquid cibi vel potionis importune flagitabant, lubens medicus concessit, etiam quae minus convenire viderentur, modo palato magis arriderent, quandoquidem vires jam exhaustae refectione omnino indigerent.

Quamvis stupor comatosus aliis symptomatibus frequentior erat, nonnullos tamen, at rarius, phrenitis absque stupore invadebat. Talis vero affectus non, uti comatosus, digestionis exspectationem ferebat, utpote intra paucos dies lethalis eveniens, nisi inflammatio cohiberetur. Hic prae ceteris vitrioli spiritum, praemissa venae sectione et enemate uno alterove, cerevisiae tenui instil-

latum noster pro potu ordinario exhibebat, unde intra paucos dies et somnus accedebat et sanitas restituta est, quod quidem alia methodus nulla praestabat.

Febris stationaria, ann. 1685—1690 [61]).

§. 115.

Calor in hac febre et frigus sese invicem excipiebant, artus pariter et caput dolebant; pulsus fere sanus, nonnunquam tussis et symptomata mitis pneumoniae, dolor circa collum et fauces, exacerbatio vespertina: inquietudo, sitis, lingua vel humida et alba et scabra, vel sicca, fusca in medio, utrobique cum fimbria albescente. A jugi in lecto decubitu, coma superveniebat et phrenitis; a calido regimine petechiae, maculae purpureae, eruptiones miliares, rubentes; pulsus inaequalis; tendinum subsultus atque ita tandem mors ipsa.

Sudores circa initium febris symptomatici divexabant, qui si ab arte provocarentur, viscosi a capite erumpebant et materiam morbi in caput aut in artus transferebant.

Noster sanguinem mittebat e brachio, repetita quidem vice, dummodo respirationis difficultas, dolor capitis inter tussiendum lancinans et alia signa pneumonicam diathesin arguerent.

Vesperi epispasticum imponebat, et sequente mane potione lenitiva (de qua supra §. 112) alvum exturbare solebat, eamque ad tertiam usque vicem alternis diebus repetebat. Hora somni post purgationem haustum dedit pacificum ex aq. paralys., syrup. de mecon. et succ. limon. rec.

Aphthae et singultus sponte sua a curatione febris supervenientis evanuerunt. Si in longum morbus de-

---

61) Sched. monit. de novae febr. ingress. Opp. p. 517.

curreret, facile fugabatur cortice peruv. (℥ı c. syrup. rhoead. q. s. ad. form. electuar.), superbibendo haustum lactis deflorati. Atque certissimum hoc remedium comperiebatur, nisi frustrarentur ejus vires ex jugi in lecto decubitu, qui vitandus ita erat, ut aeger in sedili, vel supra lectum decumberet vestitus. Diebus a purgatione vacuis julapiis acidulis recreabat leniter aperientibus, refrigerantibus.

Quando ventriculus potionem respuebat, hypnoticum noster concessit, e. g. laudan. liquid. gtt. VIII in aq. cinnamom. hord. ℥ı.

Pro potu decoctum sibi familiare album commendabat, paratum ex c. c. ust. cum aqua communi cocto et postea saccharo albo ad gratum saporem condito; etiam cerevisiam tenuem pro lubitu permisit. A spiritu vitrioli hic abstinebat, utpote minus conveniente morbis illis, quorum curatio purgantibus indigeret.

Post catharsin repetitam pullorum carnibus aeger vescebatur et post ultimam purgationem, modo febris aliquantulum deferbuisset, vini Canariensis haustulus mane et sero, etiam post prandium, per dies aliquot utiliter capiebatur.

In phrenitide et comate, quippe quae facillime supervenirent, nihil perinde conferebat, atque caput radere nullo admoto emplastro, sed pileolo tantum leviter obtegere. Neque tutum fuit, repetita ultra limites praescriptos venae sectione vel purgatione curationem aggredi, sed tempore et sponte sua malum cedere solebat, modo regimen adhiberetur frigidiusculum. —

---

§. 116.

Hisce praeceptis tota Sydenhami methodus curandarum febrium quasi nuce comprehensa vel potius subindicata habeatur. Quae enim omisimus, ut ad rem nostram laxius pertinentia, penitus analoga iis,

quae reddita modo sunt, et congrua docentur, ut sibi constantissimus auctor semper fuit. Methodum scilicet refrigerantem, antiphlogisticam perinde genio morborum, qualis sibi obviam factus esset, reperit apprime accommodatam, et admiranda venit ipsius in curationibus institutis (supponimus simul relationis veracitatem) practici ingenii felicitas, ingenua audacia et libertas a sententiis scholarum animos tunc, si unquam, infelicissime regentibus, ratiociniorum in simplicitate perspicuitas, evidentia, constantia. Nihilominus suasor medicis non exstiterim, ut morbis pestilentibus, vel aliis, quos describit, curandis medicinam ipsius pro unica et universali norma, scilicet materiam artis spectantes, habeant. Minime enim noxam praetervidere licet, quae ex medendi ratione, quantumvis alioquin et suo loco praestantissima, proficisceretur, quoties absque naturae indicio vel consensu coeca imitatio importunius rem gereret. Ex iis, qui inde a Sydenhamo medicinam fecerunt, permulti ejusdem praecepta coluerunt, in his principes viri, Baglivus, Boerhaavius, Grantius, Haenius, Stollius et al., virtute fere non inferiores, dignissimi, ingenui sectatores, seculi sui quisque ornamentum. Sed quum tantum sit ingenii praecellentis in vulgares hominum animos imperium ac potentia ineluctabilis, factum est, ut multi jam illum, sicuti priores quondam Galenum vel serius Sylvium, occupata mente, admirarentur, proprii judicii immemores vel cogitandi inertes, et ita promiscue medicamenta ipsius jactabant manu, ingenii Sydenhamiani expertes. At vero non venae sectio, non refrigerans methodus, nec laudani usus, ad symptomata dicta exhibitus, medicum aliquem dignum per se reddit Sydenhami discipulum; sed observandi sincera patientia, naturalium indicationum perspicacia et ingenua perceptio, circumspectio in agendo, constantia in persequendo, curae simplicitas ad apparentem morbi varietatem, ingenii habilitas et artificium in opportunitate animad-

vertenda, et mutatione curae commode et convenienter usurpanda, subtilitas in distinguendo, non scholae placita, sed naturae dictata, amplitudo conspectus et cogitationis prompta energia ad reperienda et intelligenda, quae communia pluribus, qualia, quando et quamdiu auxilia juvent, aut noceant. Hae enim et aliae plures facultates nostrum omni aetati, viris etiam praestantioribus, constans reddiderunt justae imitationis exemplar. Tali pacto vestigiis Sydenhami institerunt Baglivus, tali Boerhaavius, Stollius. Utcunque medicamentis usurpatis discrepaverint, ingenium magistri i. e. cogitandi et agendi modum servarunt. Etsi neutiquam, ut hoc in discessu moneamus, Sydenhami medela nos juvaverit in nervosis nostris et vere malignis febribus, id quod Mortonus et Huxhamus commode jam adnotarunt, etenim non nervosum ille, sed inflammatorium morbi characterem in praxi coram et solennem habuisse videtur; docemur tamen ab eo, quomodo in morbis quibuscunque curandis decenter et prospere rem geramus. Medicaminum apparatus et auxilia, quibus ad scopum curae promovemur, permutantur cum seculis decurrentibus, cum genio morborum et doctrinae, cum coelo mutato; sed virtus medici stabilis est, quasque a natura positas semel accepit leges, inconcussae manent, ut naturae ipsius ordo et facultas aeterna.

RAMAZZINIUS [62]).

§. 117.

Hiems anni 1692 satis legitima fuit, non incongrua, moderata. Morbi itaque hiemales observabantur, ut tussis, pleuritis, erysipelas, apoplexia, iis quidem praecipue

---

62) De constitutione petechiali stationaria in Mutinensi civitate 1692—1694, dissert. — Opp. T. II.

infesti, qui anno praecedente gravi aliquo morbo conflictati fuerant; sed plurimi evaserunt, paucis, senioribus absumtis.

Neque ver a familiari sibi temperie multum descivit; pluviae satis modicae, interpolatae; similiter aestas haudquaquam, qualis praecedente anno fuerat, admodum fervida, nec nimis sicca, sed pluviis identidem cadentibus, etesiis suo tempore flantibus, bene congrua, quare messis non improbanda habebatur. Haud secus auctumnus regularis. Sic totus annus sat placidus, subaustrinus.

Non ea moderatio sequentis anni fuit. Ille enim totus intemperatus ac prorsus insolens. Hiems tota cum perpetua coeli serenitate et mitissimis frigoribus, sine pluviis vel nivibus; neque solum in planitie, ubi sita est Mutina, sed neque in editissimis Apennini jugis, quae alias per totam hiemem nive obteguntur et vernum tempus. Flumina ad Mutinam glaciem, ut ceteris annis, non induerunt, unde annonae caritas multum levata, militibus germanis ibi habitantibus. Hiemem austrinam ver successit, hiemis naturam velut mutatis vicibus referens. Fere ad solstitium usque perpetua frigora, cum aquilone et perennes pluviae ingentes, unde passim inundationes.

Hinc praevidebatur annus insaluber, quum et alia sterilitatis praenuntia signa accederent. Eodem modo aestas usque ad caniculares dies veris speciem exhibuit; serus etiam lusciniarum cantus; imbres identidem inter mitissimam temperiem magno impetu delabentes, hinc magna frugum fertilitas. At improvisa rubigo spem repente elusit. Peribat messis velut sidereo afflatu percussa. Inopinato casu omnes, agricolae et urbani pariter perculsi, penuriam summam timebant, ob praecedentium annorum sterilitatem, simul defectum fructuum et uvarum. Unde moeror omnes prehendit, ob constitutionem frigidam et pluviosam, nam aestas sicca et fervens fruges habet largas in illis regionibus.

Auctumnus porro, aestatis vicem supplens, summis fervoribus et continua siccitate humorem novissime dejectum absumsit, nec calor remisit, nisi circa primam partem hiemis, quippe quae et ipsa anomala, satis placida quidem et mitis, annum claudebat. Omnes igitur anni partes a consuetudine deflectebantur.

Pars altera vero hiemis, annum 1694 aperiens, asperrima et rigidissima, borealis; coelum serenum. Appropinquante aequinoctio largi imbres, ad Aprilem usque ineuntem; posthac flante austro ingens caliditas, qualis vix Junio. Reliquum veris ac tota aestas cum pertinacissima siccitate et calore immoderato; auctumnus pariter siccus. Frugum et uvarum messis sat larga.

Tempestatis rationem paulo hic accuratius, quam alibi circa constitutiones reddidimus; partim quia re vera paucis ab auctoribus, praesertim aetate prioribus, anni indoles tam diligentius notata fuit, quae tamen notitia ad constitutionem rite perspiciendam tanti adjumenti est, partim quia, ut statim intelligetur, non minor quidem insolentia morbi quam tempestatis fuit, verumtamen manifestis coeli mutationibus et erroribus neutiquam inflexio vel alteratio popularis constitutionis respondebat. Conjiciendum hinc de occultis epidemicorum momentis, forte superne influentibus, quemadmodum Hippocrates rem antiquitus (*τὸ θεῖον*) perceperat.

---

§. 118.

Morbus autem, qui tribus illis annis, quippe tempestatum ratione tantopere inter se discrepantibus, tum per urbem tum per villas et oppida vicina multis funestus grassatus est, fuit febris petechialis. Prima initia edidit circa aequinoctium vernale 1692. Tunc autem exanthema febri minime accessit comes, neque prius apparuit, quam calor aestivus coeperat remitti, quem morem annis sequentibus morbus rite servavit, febris

quidem genio haud quaquam mutato. Ante eruptionem petechiarum aegri conquerebantur de ingente lassitudine dorsi et lumborum, quidquod certissimum popularis morbi instantis praesagium habebatur; apparuit simul stupor, capitis dolor, surditas, faucium ardor, anxietas a praecordiis male habentibus, segnities corporis. Pulsus parvi, valde compressi, cum magna virium prostratione, eaque primis etiam diebus, ut statuarum instar aegri in lecto decumbentes jacerent, integro fere carnium et totius corporis habitu; quin etiam qui succumbebant, pleni et carnosi efferebantur. Infestati sunt fortiores, cum viri tum feminae, non ita seniores et mala valetudine infirmi. In coenobiis valetudo incolumis perstabat. Urina sub initium plus minus perturbata, talisque per totam febrem apparens, non nisi in fine morbi evasuris aegris ad naturalem statum rediit. Effloruerunt petechiae utplurimum die quarto et septimo, quibus inter primos dies ipsae apparuerant, ii omnes fere sublati sunt. Nemo sanatus est, nisi cui tandem ad extremos pedum ungues maculae se expandissent, in superioribus partibus paulatim evanidae; quibus vero pectoris et dorsi fines non transiissent, mors certa erat. Color illis varius, pro varietate habitus aegrorum. Occurrebant rubrae, pallidae, fuscae, parvae, latae, in summo, in profundo apparentes. Pessimae, non nisi transversa intuentibus oculis conspiciendae.

Fauces permultis inflammabantur; in vigore morbi in crustam albam, ulcerosam degenerantes medicis plurimum negotii facessebant; quippe sic aegrotantes omnem cibum et medicaminum haustum aversabantur, unde multi, alioquin evicto morbo evasuri, vita defungebantur. Sitis non adeo ingens, nec multae querelae, sive non sitirent, sive mens obscure aegrotaret. —

Evadentes quocunque modo, absque omni evacuatione sanitatem recuperabant, sed solummodo petechiarum justo loco et tempore factae eruptioni, earumque

supra totum corpus dispersioni, lentoque discessui salutem debebant. Alvi fluxus superveniens, funestus, anno praecipue 1693 per auctumnum frequens; quo tempore dysenteriae graves Judaeos potissimum vexarunt. Culpa tribuebatur fructuum horraeorum usui immodico, etsi aliae causae altiores subesse poterant.

Parva erat febris, sed satis frequens singultus, non minus molestus, quam exitiosus; quibusque is adfuerat, his post mortem ventriculus reperiebatur nigris notis compunctus. Vermes, passim comparentes, quibus initio morbi ore prodierant, aegri omnes fere exstincti sunt. Nonnullis urinae secretio plane suppressa, vesica vacua, praecipue quibus pulsus parvi erant et fere exstincti. Non pauci post exantlatum morbum stupidi jacebant et veternosi, rerumque peractarum prorsus immemores, nec nisi post multos dies mente compotes reddebantur; etiam surditas aliquanto fuit superstes. —

Intercurrentes morbi occurrebant multifarii, non ab epidemico immunes. Frequentiora funera in urbe, quam in proximis agris; et felicius plebs rustica sine ullo utplurimum remediorum genere morbum superabat, sive quod aëre salubriore uterentur, sive quod medicis carerent. Nobiles plures occubuere.

Toto tempore morbi grassantis in vicinis collibus nulli fere aegrotantes; tantum in editioribus locis et ipsis Apennini jugis, veluti humiliora transsiliens, morbus vim suam pariter atque in planitie urbis exercuit.

Sanguis vena secta vel cucurbitulis detractus in universum bonus apparebat, quantum quidem oculis assequi liceret, satisque floridus et rubicundus, multoque magis qui a natura de naribus effundebatur, nec in ullo temperamento crustam aliquam prae se ferebat.

Tam improspere vero venae sectio cessit, ut omnes vulgo exhorrescerent, quoties proponeretur. Magna populo et medicis fides in cucurbitulis cruentis et siccis, quibus praemissis nihil timebatur de exanthematis re-

trocessione, tunc etiam sinebant venam secari, ob plethoricam dispositionem forte obtinentem.

Quae reliqua praescribebantur remedia, ad humores versus ambitum corporis promovendos, quibusque sal volatile et alcali inerat, diaphoretica vix quidquam proficere videbantur. Nihilo enim felicius maculae prodibant; potius augebatur febris excandescentia, et distrahebatur naturae facultas medicatrix intus jam quidquam moliens. Acidorum non improbandus fuit usus, humorum orgasmum aliquantisper sufflaminando. Nec plus seniores et longo usu experti medici profecerunt in morbo novo, quam juniores, quippe utrique in tenebris versabantur.

Frictiones Aëtii, ad petechias provocandas, et vesicatoria adhibita sunt, sed incassum; intendebatur febris, neque expediebatur eruptio. Quin etiam forte haec retardabatur, facta materiae serosae per urinas praepostera evacuatione. Sic omnibus remediis, tum internis, tum externis parum juvantibus, satius erat lente festinare, et maturationem humorum expectare, spretis querelis adstantium.

Ubi feliciter petechiae eruperant et stadium suum absolverant, blanda purgatio bene ferebatur. Ubi statim ab initio sordes in primis viis aderant, levis juvabat purgatio, unde tanto expeditior evasit eruptio.

Cortex peruvianus iis praecipue conducebat, qui evaserant ex morbo non bene, uti par fuisset, judicato per debitam eruptionem et decessionem, diuturnis febribus vexati; sed parum idem profuit in stuporem ac soporem delapsis.

Dysenteriis, quae auctumno 1693 petechiis superveniebant, egregium auxilium tulerunt opiata largius administrata, fractis quidem et fere attritis viribus.

GEORGIUS BAGLIVUS [63]).

§. 119.

De epidemico quidem febrium nostrarum imperio Baglivus nihil nostrae memoriae prodidit; tanto praestantius endemicum valetudinis statum, quippe Romanis solennem, noto ingenii acumine perscrutatus. Splendidas quidem laudes Sydenhamus commeruit epidemicarum rerum sagaci perceptione; sed non minor est virtus Romani medici, qui civium corpora ac morbos ipsis familiares, ut loco vel regioni perennes, indefesso et felici studio cognoverit.

De contagiosa quidem morbi indole nusquam apud eundem invenio relatum; neque de febribus typhodibus generatim praecepit, neque circa earundem curam seorsim, quemadmodum de permultis morbis fecit, peculiares leges promulgavit; haud dubie igitur operam iisdem sanandis navavit generalem febrium curandarum usum ac rationem secutus. Est autem haec methodus non alia quam qua Hippocrates usus fuerat et Sydenhamus, mutatis scilicet, quae ex populi coeli, aetatis, vitae, generis etc. diversitate conditiones profectae fuerint. De hac igitur nonnulla, certe quae nostro febrium generi convenire videantur, praemittantur, priusquam species morborum pervestigemus, quae dicto generi, sic ut a nobis constitutum est, vindicari possint. Ubicunque vero res et locus ferebat, Romanos incolas noster ante oculos habuit, quibus curam gereret, quare, quae universo generi humano ut communia adhiberi possint, caute sejungantur ab iis, quae Romanis istis, tum loci tum aetatis ratione privatim observata, competerent. Memorabimus autem ex hisce etiam nonnulla, ut exemplum edatur, quomodo endemica morborum natura a perspicaci medico intellecta sit et ab universali ingenio distincta. —

---

63) Praxis med. L. I.

In principiis febrium acutarum ante octavum diem cave a purgantibus, cave praeterea a remediis nimium volatilibus et vehementibus; crudo enim existente morbo vel educes quae educenda non sunt, vel augebis febrem, vel jugulabis aegrum. Morbi materies quae bonis humoribus adhucdum remixta est, non auscultabit talibus remediis, priusquam coctio peracta fuerit.

Si nimius adest vasorum turgor, impetus sanguinis ad partes nobiliores, imminetque phrenitis, et juventus, calida temperies etc. concurrunt, in acutis semper sanguinem mittas in principio, idque ante diem septimum, detractionemque repetas, prout symptomata urgeant. Nam depletis hac ratione vasis, laxataque quasi sanguinis massa, viam sternes diaphoreticis, purgantibus, aliisque hujusmodi praecipitantibus, in statu morbi exhibendis.

Si vel minima suspicio adfuerit febris malignae ex coagulatione; cave a venae sectione tamquam funestissima. Coagulatio nostro idem dicitur quod aliis, maxime recentioribus, (Stollio) putredo, aut dispositio ad putredinem, humorum prava temperies.

Vomitoria pulcherrime observavit magis aut minus prodesse vel nocere pro varietate regionum et coeli. Minus in febribus conducunt Romae, sunt enim Romani habitus strictioris; melius in septentrionalibus regionibus usurpantur. Itaque locorum haec et popularium temperies medico usque ante oculos versetur. Curam inflammatoriae febris cujusvis apud Romanos noster auspicatur a venae sectione, nusquam a purgatione, nisi quando vel nimius urget vomitus, vel repletio praecessit immoderata.

In acutis nimia atque tumultuaria medicaminum farrago, et intempestivus promiscuorum usus vitandus; alioquin multa incommoda aegris, variae et inconstantes morborum periodi et permutationes multifariae efficientur, quas rudes medici naturae morbi perperam attribuunt, minime vero ineptis imputant suis medendi methodis,

quippe a speculatione profectis. — Pauca vero sunt curandis morbis necessaria remedia, si curam morbus admittit; si vero refragatur, usu remediorum vires acquirit, aegrotumque in discrimen conjicit. Incongruis enim remediis digestionis facultas attenuatur, et in dies novus morbi fomes in detrimentum aegri comparabitur. Cum febres aliique morbi in longum protrahuntur tempus, nulla est ratio medendi melior, quam a pharmacis abstinere, adhibito tantum conveniente victu, quo foveatur natura etc. Semper tamen in morborum diuturnitate consulendum est digestioni.

Nemo curationem febrium feliciter absolvet, nisi ante quaelibet adhibita remedia certior factus fuerit de sanguinis statu, scilicet an sit nimium concitatus, tenuis, phlogisticus etc., vel contra in putredinem pronus (coagulabilis), lentus, malignus.

In lethalibus pulmonum morbis cum febre et sine febre noster fere semper, ut jam pridem Hippocrates, circa finem observavit capitis affectiones, sopores nempe, lethargum, oculorum caligines etc.

Romae familiaris est inde ex Galeni temporibus febris semitertiana, quae singulis diebus habet accessionem, sed altero die intensiorem eamque cum horrore, altero vero mitiorem: morbus longus est, periculosus, ad tabem vergens, viris maxime infestus, et auctumno potissimum adoriens. Rarus extra Italiam, teste Ballonio. Ventriculus in hoc praecipue laborat, maxime ejus partes nervosae, et hepar; interdum accedunt lethargi, vigiliae, lingua arida etc.

In aëre Romano per adhibita phreniticis vesicatoria plures vidit mortuos, quam sanatos. Mulieribus eadem magis profuerunt, quam viris delirantibus. Delirantibus enim cum febre acuta, lingua arida, et indiciis magnae viscerum inflammationis aestatis tempore, constitutioni biliosi, siccae, vesicatoria summopere nocent, plurimique inde moriuntur convulsi; iidem vero

vena frontis vel brachii secta, et largo diluentium usu facillime fuissent sanati. Juvant autem vesicatoria tantummodo in diathesi sanguinis crassa, viscida et in stagnationes prona. In febribus, quae exilissimo pulsu, extremis frigidis, anxietate, in sopores propensione aliisque putredinis indiciis stipantur, admodum proficua sunt, potissimum tempore hiemali, in temperamento aegri humido, habitu pingui etc. Solvunt stagnationes in quocunque morbo incipiente. — Similis usus fuit Oribasio, Arabibus, et recentioribus, ut Septalio et al. Falso sequentis aetatis medici ad extrahendum venenum febrium malignarum promiscue contra omnes cujuscunque naturae febres vesicantia adhibebant, magna pernicie. (Cf. d. usu et abusu vesicant.)

---

§. 120.

Malignas febres raras esse Baglivus censet, nec eas sic vocari debere, quae a viscerum phlegmone accendantur, i. e. a causa evidentiori et manifesta. Omnium autem perniciosissimas esse febres lymphaticas, mesentericas, praesertim si lympha, qualem ipse saepissime observasse vult, nimium viscida et concreta fuerit, et putris cacochylia in mesenterio haerens. Aegri bene sibi videntur valere, quia hostis in lympha est magis, quam in sanguine; sed mors supervenit citissima, inopinata, tracto demum in consortium sanguine. Adest in inundationibus epidemica, exitiosa.

Multae earum, quae malignae vulgo perhibentur, sunt factitiae, medico perperam curante, non propter naturam morbi primitivam. Itaque bonis medicis raro ipsae occurrunt, si quidem morbos soli et ab initio curaverint.

Ejusmodi febres noster pendere potissimum observavit ab inflammatione viscerum et ab apparatu pravorum, crudorumque humorum, tum in primis viis, tum

in sanguine haerentium. Quando enim fiunt in hypochondriacis, studiosis et stomacho infirmis; ab intemperie biliosa tali modo corrumpitur rerum ordo et integritas in corpore, ut statim appareant linguae ariditas, pulsus exiguus, anxietas, extremorum frigus etc., quae malignas febres indicare videntur, sed re vera maligna non sunt, et ab irritato stomacho provocata cessant, hac ipsa cessante irritatione.

Inutile est, in curandis febribus his mesentericis dies criticos spectare, sed tantummodo vehementiam et remissionem phaenomenorum. Cruditas morbi in vehementia eorum cernitur, coctio in remissione. Itaque ab hac incipiente statim purgationem noster instituit, etiam ipso die decretorio, humorumque apparatum e mesenterio quam citissime educit clysmate simul bis quotidie injecto, et totus est in evacuatione hac repetenda posthabitis diaphoreticis et inutilibus, fereque noxiis, testaceis, absorbentibus pulveribus. Solida scilicet nimium intenta, laxanda; nimium laxata, intendenda; humores magis justo inspissati, solvendi; per intervalla vero, quae secreta sunt, expurganda. Conducunt itaque fomentationes ad ventrem, balnea, juscula digerentia, aperientia e vegetabilibus, rad. cichorei, graminis etc.; educta interpositis eccoproticis omni cacochylia, serum lactis cichoriatum prodest, herbae stomachicae, leniter amarae et aperientes. Ab initio sic praeparati humores singulis diebus mox purgandi veniunt leniter. Etenim in nullo morborum genere tanta opus est patientia, exspectatione et cunctatione ad bene et feliciter curandum. Glandulae meseraicae nimium repletae non nisi lente ac paulatim crudos humores dimittunt in intestina. Communis enim omnibus glandularum morbis est diuturnitas. Hinc stomachicorum usus necessarius et repetita purgatio.

A cortice peruviano in his febribus apud cives suos noster non ita felices expertus est eventus, quam in aliis regionibus alii. Nocere eum vidit corpori impuro, in

principiis morbi, nullis praecedentibus signis coctionis, purgationibus minime praemissis. Raro eum adhibuisse fatetur; quippe se curare febres per leges coctionum ac crisium ab Hippocrate demonstratas. A corticis autem vel testaceorum usu, non prius depurgato mesenterio, ex levi febre effici gravem, continuam, longam, difficilem. Ubi febris levior, etiam leviora medicamina adhibenda.

Refert autem Baglivus ad familiam febrium mesentericarum, quippe quae tantum negotii ipsi facesserent, praecipuas febres malignas a veteribus dictas: Tritaeophyas, Hemitritaeos, Typhodes, Assodes, Elodes, Lipyriam, Epialam, graves profecto et lethales, nisi doctissimum et cautissimum medicum nactae fuerint.

Propensi in semitertianam, utpote Romanis frequentem, sunt ecclesiastici, nobiles, aulici, juvenes, otiosi, laute viventes, quibus cacochylia putris innata et ventriculi vires laesae fuerint. Lipyria cum inflammatione vel erysipelate ventriculi incedens in principio non fert venae sectionem nec purgationem. Quae vero ex fructuum intemperante esu contrahebatur, cholera superveniente solvitur, teste Hippocrate [64]). Cura optime incipietur clysmatibus emollientibus, bis de die ingestis, purgantia omittendo, sero lactis tamarindinato, vel c. succ. sonchi depur., mane hauriendo; suppeditetur gelatine corn. cerv. c. aq. violar. usque ad diem septimum, tunc demum tuto admittetur purgatio.

Typhum Baglivus dicit ardentem febrem ab inflammatione totius ventriculi, conjunctam cum vomitu, singultu, tensione et dolore praecordiorum, calore, jactatione, nulla tamen partis laesae pulsatione. Convenit venae sectio in brachio, dum necessitas urget, ut abscessus vel gangraena avertatur, eaque repetenda, si non cesserit morbus. Nitrum perlatum vel antimoniatum cum decocto hordei. Fugienda nimia copia remedio-

---

64) Coac. Praenot. — Cf. Id. d. intern. affect. de typho I et IV.

rum, praecipue saccharatorum; fuge purgantia [65]). Si sordibus copiosis morbus fovetur, clysmata, et fomentationes exhibeantur; quae si non sufficiunt, detur potio tamarindorum lenis, dumne ardor gravis refragetur. Epiala et syncopalis febris frequentes habent syncopas a sordibus ventriculum vexantibus, corde per nervos in consensum tracto. Sic laborantibus confestim primae viae blande sunt depurandae, dein stomachica suppeditanda, aqua theriacalis et similia.

Cortex peruvianus in hisce febribus non conducit, propter vitiosum mesenterii apparatum firmius inde impactum.

Qui noctem transigunt in agro Latino, austris perflato, febre maligna corripiuntur; febre sui generis, speciem putridae diatheseos prae se ferente; ideo observatur usus vesicantium et alexipharmacorum eidem summopere prodesse; contra, sanguinis missionem esse quam maxime perniciosam.

JO. MAR. LANCISIUS [66]).

§. 121.

Constitutiones epidemicas typhode statu infestas dum nobis hic reliquit descriptas, quodammodo compensavit, quod apud Baglivum desideratum fuit. Simul accuratius quam antea factum erat, de singulari aliqua causa febris typhodis epidemicae perscrutatus, animorum attentionem, quae tunc forsan impensius ad aëris superiorem naturam conversa erat, ad inferiora deflexit, terrae ipsi propiora, in morbis illius modi gignendis non minus efficacia: ad aquas scilicet stagnantes et paludum graves exhalationes, publicam non minus quam priva-

---

65) Conveniunt haec et reliqua multa, quae hic omittuntur, cum Hippocrate de victu in acutis praecipiente.

66) De noxiis paludum effluviis. L. II. ed. Rom. 4.

tam salutem tuendi studiosus. Nos autem hic morabitur succincta constitutionum, quibus febris nostra, quam castrensem sive malignam ille vocat, adumbratio.

Epidemia prima. Grassabantur Romae in Leonina dicta civitate finitimisque urbis partibus, febres castrenses perniciosae, ex corruptis fossarum coenosarum et cloacarum aquis oriundae; inde ab initio aestatis usque ad auctumnum anni 1695. Scilicet ineunte Junio prope fossas illas coeperunt tertianae febres, primum simplices, benignae, dummodo a venae sectione medici abstinerent. Alioquin in continuas et malignas statim eae convertebantur. Mox in conspectum venerunt febres natura sua perniciosae ac pestilentes, contagione simul propagatae. Species morbi duplex, aliis illico ab initio intermittens, tertiana, sed omnino exitiosa, eaque frequentissima; aliis, sic vero rarius, statim continua, non minus funesta.

Tertianae febres potissimum corripiebant, quibus, utpote victu improbo usis, antehac viscera jam obstructa essent; quinto die plerumque pessimo more in continuas versae non raro septimum inter et undecimum jugulabant, nisi in dysenteriam aut diuturnam febrem morbus concessit. Facies primum subflava iis promiscue, qui ad fossas proximi habitabant; subinde dolor capitis gravativus, rigor ingens, repente superveniens, cum vomitu bilioso, pituitoso, verminoso plerumque; mox calor et sitis. Post alterius accessionis sudorem saepe insignis remissio, valetudo fallax; urinae vero crassae, croceae, subjugales, ac die quinto novus rigor cum ingenti anxietate et jactatione, lingua arida, subfusca; nulla sitis, quippe mente non amplius constante; pulsus varius, parvus, inaequalis, subsultus tendinum, papulae in cute lividae, facies tetra, collapsa, animi deliquia crebra, meteorismus, saepe post sextum diem alvi fluor pallido-biliosus, foetens, non raro cruentus. Lumbricorum per totum morbum magna copia,

plerique mortui. Denique gravi cum sopore, sudore algido, urinis jam nunc tenuibus, parotides erumpebant, eaeque septimo vel nono die, raro undecimo, plerosque, prius quam opportuna inventa erat medendi ratio, suffocabant.

Altera febrium species, statim continua, rarior erat, in iis observata, qui paulo remotius a fossis pestiferis sedebant meliorem simul victus rationem secuti, bene colorati, humoribus gavisi integris. His levis utplurimum horripilatio accessit, magnus gravisque capitis dolor, oris amaror, anorexia, minor ad vomitum propensio; deinde excitato aestu ingente capitis dolor auctus, peticulae rubrae, subinde livescentes. Intendebatur malum quarto die cum deliriis, sopore, tendinum subsultu, convulsionibus, lingua arida, facie aliquantulum rubra, urina nunc jumentosa, nunc tenui; sanguis post sextum largus de naribus cum levamine prorupit. Per alvum circa septimum diem biliosa cum vermibus, iis vero hic paucioribus, decedebant. Tandem parotidibus utplurimum supervenientibus, auctoque sopore, multi apoplectico modo interibant nono vel undecimo die, frigidis sudoribus magna copia ab universo corpore defluentibus. Paucissimi salutem recuperarunt beneficio naturae, vel crassarum urinarum copia, vel in alium morbum conversione, in dysenteriam, aut quartanam: veruntamen posthac inventa curandi ratione multi restituebantur.

In cadaveribus tertiana defunctorum resectis viscera abdominis apparebant livida, hepar subfuscum, intestina sphacelosa, verminosa; ibidem maculae nigrae in medio quasi lumbricis perforata. Suspicanda in his erat pristina viscerum dyscrasia. Quibus ex continua febre mors apoplectica accesserat, eorum viscera sana, vermes pauci reperiebantur; cerebrum varicosum sero cruento largiter effuso.

Cura morbi prius quidem validissimis instrumentis

improspere gerebatur. Tandem conveniens methodus fuit inventa. Initium capiebatur circa primordia tertianae perniciosae a blando medicamine lenitivo, nonnullis, qui cibi multum paulo ante primum impetum ingesserant, vomitus lenissime eliciebatur, oleo amygdal. c. aqua theriacali et jure insulso, paucis vino emetico. Qui post triduum demum curam admittebant, clysmatibus potius, quam purgantibus, quantumvis lenibus, evacuandi erant; ab his enim tunc vermes irritabantur, dysenteriae et cruciatus et facile necrosis intestinorum adducebantur.

Utilissima porro se praestiterunt vesicantia et cortex peruvianus opportune adhibita. Illa primo cruribus, dein brachiis et cervici imponebantur, incipiente affectu comatoso Profuerunt maxime, quum nondum materia in visceribus decubuerat; nocebant vero in erosionibus internis vel cachecticis tumoribus, necroses facile tunc inducendo. Major copia saniei de plagis effluentis tanto tutiores aegros praestabat. Cortex genuinus, ante tertium vel quartum diem, in tertianis erat exhibendus; tardius propinatus nil is proficiebat, et superabat morbus. Forma propinandi in variis varia. Ubi vires languidae, artus frigidi, temperamentum phlegmaticum, neque coma aut delirium urgebant, ipse cortex cum vini et aquae scorzonerae unciis tribus bis singulis paroxysmorum diebus, diebus vacuis semel tantum, jejuno stomacho hauriebatur. Corpori gracili, cerebro laeso china aquis card. bened. et scorzonerae infusa proderat, addito olei Mathioli (balsamico-anthelminthico) pauxillo. Dosis chinae singulis vicibus scrupuli duo vel drachma, forma boli acceptissima. Efficacia corticis optatissima, saepe admiranda. Quosdam juvavit theriaca, quae olim locum peruviani corticis obtinuit. Conducebant et medicamina alterantia, aperientia, blanda; victus tenuis; cura ad decimum quartum erat continuanda.

Eadem noxa purgantium ab exordio datorum in continuis febribus erat; etenim gravis turba a fortioribus medicamentis excitari solebat, dum materia in sanguine adhuc resideret. Vix placidissimum eccoproticum nonnullis ante diem tertium concedebatur; interdum clysmata sola omnem paginam tutius absolverunt. Vesicantia etiam hic mature posita optime profuerunt, et cortex, quamquam hic minus praesentaneum edidit effectum. Narium haemorrhagia larga multis utilis evasit; nonnullis cucurbitularum scarificatio in scapulis et cervice, ubi coma deliriumque cerebrum occupabant. Levavit etiam venae jugularis vel frontalis incisio, et coma avertit. Ceteroquin emulsiones seminum cum stibio diaphoretico, nitro antimoniato et lapides pretiosos utiles noster invenit, nec non cardiaca fragrantia.

Parotidum utilitas infida; nocebant plerumque suffocatione, suppuratione interna, demum tabifica; convaluerunt pauci humoribus rursum ad urinas vel intestina in diarrhoeam conversis. Paucissimi usti evaserunt. Vena in hisce tumoribus nusquam aperta fuit, forsan aperire praestitisset, ut ipse noster suspicatur ingenua confessione.

Altera vice popularem febrem castrensem Lancisius vidit Romae per aliquot annos usque ad 1705 grassatam, ex pravis odoribus vicinorum stagnorum oriundam, in quibus linum et cannabis macerarentur. Morbus signis et cura modo descripto statui tam similis exstitit, ut seorsim de eo referri non opus sit. Eandem ob rationem tres sequentes constitutiones bilioso-typhodes, quippe pari fere rerum conditione, sed remotius ab urbe conflatas, silentio praeterimus, utpote quarum expositiones vix novi quidquam supra memoratis additurae sint.

---

§. 122.

Interea, ex quo Galeni auctoritatem Paracelsus, rerum opportunitate adjutus, feliciter quondam succusserat, Helmontius vero ex institutione medica jam fere in totum summoverat, paulatim apud multos obsolescebant, quae notiones rerum et distinctiones ex veteri illa disciplina ortum habuerant. Verum uti antehac tam multi medicinam fecerunt vel docuerunt citra ingenuam ratiocinationem et candidam et constantem naturae animadversionem, ita nunc etiam haud pauci, quum propriis ingenii viribus in doctrina et arte profitenda stare et incedere non possent vel non auderent, eadem coecitate vel inertia Helmontio fere ac Sylvio detulerunt, quod nuperrime Galeno, quasi ingeniis in libertatem vindicatis, abrogaverant; itaque judicii gubernatorem formulamque servitii permutaverant, at animi ipsi non magis etiamnum suae spontis degebant. Qui vero memores insitae virtutis arbitrium sententiae recuperaverant et sibimet plura confidere ac suo in doctrina genio indulgere coeperunt, dissoluto scholae communis (Galenicae) vinculo huc illuc jam ferebantur, successu studiorum usi hic majore ille minore, prouti in aliquo splendebat vel doctrinae species, vel praeceptorum in praxi admiranda probabilitas. Hinc incerta vagari et vacillare mox coepit idea febris putridae malignae, quippe in qua nostram typhodem plurimum recognovimus. Scilicet quae hucusque satis quidem constans, una et universalis dominabatur malignitatis notio, dum ad morborum fere eventum et remediorum minus promptam efficaciam spectabat, causam ponens in singulari aliqua, latente eaque pessima materiae anomalia, ea ipsa a sectatoribus Batavae medicorum scholae jam ad luculentam febrium et manifestam indolem arbitraria dispositione transferebatur; et quae morbi indoles antehac ex decursus ra-

tione sero demum pro maligna fuerat recognita, eam nuperi jam in principiis febrium perspicere sibi videbantur, certa quaedam symptomata ut maligna considerantes. Quum ita statuissent, paulatim febres promiscue exanthemate stipatas, ut contagiosas, genio variantes, multis perniciosas, in malignitatis censum prae ceteris contulerunt, quippe in quibus materies morbi naturae beneficio in ambitum corporis excluderetur, partim, quae subtilior esset, in auras exspirata, partim, quae crassior, lentior, superficiei externae inhaerens varia forma et indole. Quam viam excernendi fomitis maligni, quum natura quasi monstrante medici sedulo ingrederentur, singularem frequentiam et celebritatem nacta jam est diaphoretica methodus, neglecta fere purgante, vires roborante, quae antea usu vulgari venerant. Et reapse ista juvare videbatur sudorem movens medicatio, consentiente forte tum stationario morbi charactere, tum regimine et vitae ratione tunc temporis familiari. — Variolae tunc aetatis, morbilli, miliaria, petechiae, pemphygus pariter ac pestis ipsa bubonacea perinde tamquam soboles malignitatis perhibebantur. At vero stupenda, quae illis observatoribus obviam facta est, febrium exanthematicarum copia et varietas, ut recte mox a sapientioribus perspectum est, haud exigua ex parte curae genio regnanti debebatur; et ab arte corruptum proprie erat, quod ab illa, quasi secundum naturam, emendatum falso putabant. Itaque non multo post viri docti hanc de malignitate febrili sententiam deseruerunt, praesertim quum mites et manifesto benignas istorum affectuum constitutiones saepius observassent; operamque igitur dabant, ut certiore indicio statim in principiis morbi malignam febris indolem comperirent. Praeter leviora quaedam et minus constantia plurimi pro sufficiente malignitatis testimonio habebant virium repentinam, primariam et eminentem prostrationem; ex quibus iterum alii hanc qualemcunque de-

bilitatem, alii eam solummodo ut malignae febris notam spectabant, quae non ab humorum plenitudine obruente vel ex intemperie profecta esset, neque evacuationibus largis et crassioribus, caute quidem institutis allevaretur, sed in qua velut subtilissimo halitu, materia oculis nunquam manifesta, acerrima, tenuissima, ad solitas partes et nervos, ad intima corporis decumbente vires vitales et naturae medicatrix facultas pessundarentur. Tali pacto constituta febris maligna, lenta fere dicebatur, quia paulatim adoriretur, specie mitis, sero tamen vires natura recuperaret, et penitius inhaerens morbi fomes tardius demum et difficilius evinceretur et dirimeretur; nervosa vero eadem audiebat, quum species laborum et signa non tam humores circa vasa et viscera male temperatos, quam potius superiorem animalis vitae potentiam et nervosam facultatem male habentem arguerent, et citra evacuationem conspicuam saepe sanitas restitueretur. Omnis igitur animi attentio et cura versus nervosum systema dirigebatur, apparatu quidem medicaminum fere eodem, sed ratiocinio et scopo mutatis. Etenim quae antehac alexipharmaca compellabantur, calida antidota, jam nervina, analeptica, excitantia, roborantia audiebant. Scilicet idea mali mutata, ratio tamen curandi eadem perstitit, consideratio enim rei, non vero natura vel experientia, inversa est. Dissensio autem de malignae febris ratione, genesi et specie egregie deinceps emicuit, quum ad humores male mixtos, et sanguinem, utpote fomitem mali spectandum, nonnulli recederent, Galeno iterum annuentes, alii symptomatum vehementiam, insolentiam, contradictionem, ut necessaria indicia urgerent, alii denique unice ad acrisiam morbi respicerent, mira distinctionis subtilitate ac discordia, quam enucleare a proposito alienum est. Haec enimvero praemonita sunt ad expediendam perlustrationem auctorum et genium seculi et doctrinae adumbrandum.

Partim quidem natura ipsa, varians morborum con-

stitutiones, ansam praebebat, ut magis magisque in gradus differentes febres typhodes vel malignae discernerentur. Scilicet circa finem septimi et decimi atque initia sequentis seculi febres saepius per populum grassatae sunt symptomatibus quidem saepe memoratis, typhode statu, exanthemate maculoso etc. conspicuae, sed nihilo secius longe minus funestae, promte quidem ac rite judicatae, arti facilius cedentes, vel eadem plane non indigentes, naturae beneficio ad salutem restituendam sufficiente. Forsan eaedem aliquot febres, quas prior aetas atrociores et pluribus lethales cognovisset, jamjam mitescebant, non tantopere per se ipsas et prima genesi, quam potius per medicinam resipiscentem, magis naturae accommodatam, simpliciorem, minus violentam, jam saepe exspectativam; quippe quae instauratio artis Sydenhamo prae primis debetur. Quum vero speciem illae febres, prius horrendam, non commutassent, re ipsa tutiores factae, non statim a plurimis ex censu malignarum et pestiferarum excludebantur, sed modo ut gradu inferiores, ac leniter intensae considerabantur. Serius autem secernebantur ab illarum societate, febrisque petechialis, ut quae pluribus vicibus saevitiam deposuerat, pro ancipite fere coepit haberi, super malignam in specie dictam eminens funerum majore frequentia, lentius decurrens. Eaque ipsa rursus distinguebatur pro varietate genii epidemici, prouti quidem cutanea eruptio necessario accederet, vel abesset passim, febris more, specie et decursu minime hinc mutatis, quemadmodum Sydenhamus nuper de febre variolosa, morbillosa etc. praeceperat. Haec nova species saepius populariter grassata exanthematico-catarrhalis s. petechizans compluribus dicta est.

FRIDERIC. HOFFMANNUS [67]).

§. 123.

Observavit febrem, quam modo memoravimus, catarrhalem malignam s. petechizantem (alii dixerunt serosam continuam), epidemicam, contagiosam, febre petechiali stricte dicta mitiorem, nec tamen a periculo vitae immunem.

Febrilis motus in hac lenis erat, cum virium prostratione junctus, vigilia, inappetentia, quandoque cum eruptione macularum. Pulsus contractus celer, debilis; maculae die IV ad VII vel cum levamine vel sine eo efflorescebant roseae, purpureae, ex livido fuscae, aliquantisper evanidae a digiti compressione, in medio vestigium rubrum non relinquentes. Sub statu morbi omnia vehementiora; inquietudo maxima, deliria. Spirandi intensior angustia; quibus si accedebant tendinum subsultus, adipsia, singultus, aphthae, convulsiones, syncope, extremorum frigus, sudor copiosissimus, mors ipsa in propinquo erat. Quando vero circa diem VII, IX, XIV liberalius promanabat tepidus sudor, per aliquot dies continuatus, licet cum virium languore erumpens, vel etiam alvi fluxus non cito transiens, salutis hoc indicium habebatur; idque tanto certius, quando postea pulsus mutatus, durus mollescebat, minus celer et inaequalis, animus erigebatur, auditus hebescebat, urina cum sedimento perturbata prodibat circa dies decretorios. Quo facto paulatim somnus et vires et cibi appetitus restituta sunt, nec tamen facile ante diem XIV.

Popularis morbi constitutio genita nostro habetur ex anomalis, inconvenientibus anni temporibus, unde multi in corpore gignantur excrementitii humores ac retineantur propter impeditam transpirationem; aëre hu-

---

67) Med. rational. syst. T. IV. Pars 1. Francof. 1738. Cap. X. P. 226.

mido, calido, nebuloso, ventis non permoto, accedentibus postea frigidioribus aquilonibus. Etiam si aestas diutius siccior fuerit, auctumno, boreali vento spirante, emergit epidemica haec et petechizans febris; similiter vere et aestate fit, in subita et vehementi vicissitudine, frigida tempestate in calidam, humida in siccam mutata et vice versa. Sed infestat etiam morbus ex privatis causis, in corpore impuro, a nimio et frequenti refrigerio. Symptomatum nascitur varietas a varia ratione intemperiei; vera petechialis pluribus exitiosa est et cum intensiori contagio et anomalia quam simplex petechizans.

Quibus naturae virium robur adfuit et corpus bene constitutum, homines de plebe et rustici, solo saepe externo convenienti regimine, artis auxilio destituti, patienter exspectando tempus, melius et felicius evadebant, quam imbecilliores, meticulosi, intemperantes, animo perturbati. Mali ominis habebantur effusae ab initio excretiones, praeter dies criticos. Qui occumbebant, perierunt ex meninge inflammata s. phrenitide, vel angina, aphthis, ventriculi inflammatione. Medela maxime nitebatur robore naturae virium, minus in arte curantis, quantumvis periti et sagacis. Quando vigor adhuc motuum vitalium, animus erectus, corpus nervosum gracile et cutis perspirabilis erat; feliciter vel levi artificio vel sponte plane succedebant omnia. Alias nec optima medendi methodus profuit. Cavendum igitur, ne motus et excretiones, quibus etiam spontanea salus restitueretur, turbarentur et praeverterentur; placide medico incedendum fuit sepositis omnibus fortiter commoventibus et evacuantibus, sedantibus et sistentibus; naturae opus perite ac leniter juvandum. Quem in finem completa humorum dissolutio mediocriter compescebatur et leniebatur, intemperies diluebatur, emendabatur, motus humorum expediebatur, crassiores solvebantur, excretiones alvinae, cutaneae, sputorum et urinae mediocriter promovebantur, denique vires forte attenuatae fovebantur.

Conducebant ad haec assequenda: temperata acidula vegetabilia, spiritus vitrioli, salis, nitri, hi praecipue dulcificati; blande diaphoretica, et terrea fixiora alcalina, bolus Armena, terra sigillata, pulveres bezoardici complures etc. Laudat pulverem ex antimonio diaphoretico, lapid. cancror. et nitr. dep. compositum, vel solum, vel cum citri succo permixtum. Pro potu humectantia et diluentia: dec. hordei, scorzonerae, cum ras. corn. cerv., syrup. acidul., aqua pura, Wildungensis, cum saccharo, ptisana decocta cum cerasis siccis contusis, juscula tenuia gallinarum, c. succis acidulis, cerevisiae leves, diureticae. Cutaneam perspirationem commode alebant, praeter dicta bezoardica terrea, aqua scabiosae, cardui bened., scordii, florum sambuci, mixtura simplex, acetum aromaticis herbis infusum, tinctura medicaminum aromaticorum, angelicae, pimpinellae, dictamni, valerianae, corticis cascarillae, herbae card. bened., scordii, mediocriter spirituosae, etiam cum spiritu salis dulci paratae. Alvina evacuatio clysmate fiebat emollienti simplici, decocto mannae cum cremor. tart., aq. scorzonerae. Vires optime reficiebat vinum temperanter haustum cum aliis diluentibus, aquis aromaticis, gelatina corn. cerv. c. succ. limon. et saccharo.

Calor per totum morbum moderatus servabatur et aequalis, aër purus. Juvanda erat perspiratio cutis continua; fugienda mutatio indusiorum, certe recens lotorum, non satis siccatorum, nec non stragulorum, lectorum; vitanda crebra surrectio, neque sterni lectus debebat admodum debilibus. Vitandus erectus corporis situs tum in lecto tum extra eum, idque tanto magis, ubi pulsus debilis et magna debilitas et morbi vigor obtinebat. Facile enim animi deliquium subveniebat, exanthemata repellebantur, eaque ad nervos delata convulsiones et resolutiones funestas efficiebant [68]).

---

68) Diss. de situ erecto in morbis periculosis noxio.

Animum noster servabat tranquillum et erectum, vitata periculi denunciatione. Alimenta suppeditabat mediocriter; lauta enim in virium defectu et humorum intemperie nocebant debilitate et fomite morbi auctis (teste Hippocrate). Nihil vi et impetu hic agebatur, naturae opere quam maxime vigente.

Tempora exacerbati et remissi morbi et medendi opportunitas medicus bene observabat. Aestu quidem et symptomatibus gravius intensis humectantia, diluentia, pulveres absorbentes nitrosi, acidula et regimen moderatum reliquis praeferenda erant. Finito vero paroxysmo quando cutis laxa evaserat, mollior et ad excernendum disposita, juvabant analeptica excitantia vel diaphoretica. Alvi fluxus, quum saepius morbum solveret, nunquam sistendus fuit, minime vero circa diem criticum; vitatis adstringentibus, sedativis, opiatis; potius, si natura hanc sanationis viam ingressa fuerat, nec tamen satis proficeret, tutissime laxantibus, manna, tamarindis promovebatur.

Discernendi aegroti erant pro diversa constitutionis et humorum ratione. Pro re nata igitur sedandum fuit et rursus exstimulandum; ubi temperamentum segne, phlegmaticum, meticulosum, calor mitis, pulsus debilis, languens, vires prostratae, sopor et similia obtinebant, analeptica crebrius sed parcius porrigebantur; liquor. anod. m. Hffm.

Symptomata interdum quae imminent, arcenda, quae jam praesentia periculum efficiunt, tollenda veniunt. In cephalalgia et delirio domesticum remedium, quod ante Coyttarum jam in usu fuerat, animalia quippe recenter mactata et dissecta capiti raso noster applicat; laudat etiam epithema ex pane cum sale, nitro, camphora, oleo ligni rhodii et nucl. cerasor. fronti et temporibus circumjectum. In animi deliquiis, vomitu, singultu, syncope, cardialgia et summis angustiis emplastrum ex theriaca, oleo nucistae, camphora, bals. Peru-

viano, croco, oleo de cedro cum pauxillo spiritus vini ad praecordia admovebat. Contra faucium ardorem et siccitatem dedit gelatinam corn. cerv. cum succ. limon. et saccharo, collutoria acidula, demulcentia cum nitro. Soporem compescebant frictiones surae et plantarum pedis cum aceto rutaceo, vel vesicatoria temperata. Si a purpurae retrocessu anxietates etc. ortae essent, conducebant liquores bezoardici, liqu. corn. cerv. succ. cum spir. nitri dulci, vel liq. anod. min. nostri. Contra tussem, oleum amygdalarum dulcium cum extracto croci.

Narium epistaxis, nata ex congesto ad caput infirmum sanguine, ex spasmo inferiorum, si copia plethorae humorum responderet, non adeo timebatur, quippe quae potius graviora averteret, quamvis hoc rarius. Paucae guttulae nihil levaminis ferebant, sed delirium et anginam praesagiebant. Nonnullis fusius sanguis manabat, vires inde prosternebantur, excreta a cute ad interiora restringebantur; talis fluxus forte imminens prohibebatur pedum calore mediocri et madore usque servato, vesicatoriis temperatis, nec nimis dolentibus ad suras, vel alvi justa et blanda solutione continuata, vel nitrosorum moderato et crebro usu. Eadem juvabant in profluvio ipso justo largiore. Ubi vero parcius stillabat sanguis, impetus autem ad caput magnus erat, praeter dicta derivantia et cucurbitas ad nucham, culmo naribus immisso sanguinem prolicere expediebat, vel scarificationibus. Ubi alvi fluxus periculum minabatur, pulveres bezoardici, cum pauxillo corticis cascarillae praescribebantur, unctiones balsamico-oleosae aromaticae. Si quando sudoris nimia profusio exstiterit, calor stragulorum et infusa aromatica prohibebantur; laudat noster species de hyacintho cum nitro.

Venae sectio in hisce febribus summa cum cautione fuit administranda. Magis ad praeservationem faciebat quam ad curationem; gravidis scilicet conducebat et feminis uterino profluvio obnoxiis, tempore verno, vel

hieme praecedente nimis rigida. Sed ubi jam virium enormis lapsus, ex cacochymia obortus morbus jam urgebat, complicatio catarrhosa, febresque ab aëris prava constitutione malignae et putridae grassabantur, ab hoc conamine noster prorsus abstinebat.

Laxantia juvabant in principio, si ventriculus cibis repletus erat; optime evacuabat tartarus emeticus in infuso mannae solutus, idque medicamentum familiare fuit auctori. Vesicatoriis locus fuit in retrocessionis periculo, naturae ad excernendum tarditate, in sopore ac torpore. Brachiis vel cruribus admota mox toto corpore purpuram rubram vel albam proliciebant. Usus eorundem utiliter temperabatur.

---

§. 124.

Constitutionem hujusmodi petechizantem anno 1699 noster observavit [69]) circa vernale aequinoctium accidentem, praegressa hieme valde placida, humida, austrina, vere insequente ejusdem notae participe, postquam variolae modo per populum regnaverant. Morbus invasit juvenes maxime et viros, feminis minus gravis; fuit quidem, quam priores dixerant febrem putridam, cum petechiis et variis exanthematibus, malignus et non paucis lethalis. Amabat praeterea constitutiones sanguineas, sanguineo-phlegmaticas, homines plethoricos, obesos, laxiores, venis plurimis sed angustis et minimis instructos; rarius cholericos petiit vel graciles, quippe quibus venae ampliores essent, infensissimus vero cibi et vini intemperantibus, et morbo vel quocunque modo debilitatis. Contagii vis non pariter in omnibus efficax; maxime quidem in vicinis et dispositis; peregrini accedentes raro infecti. Non raro morbus sine contagio subnatus est.

---

69) Hist. febr. malignae epid. petechizantis, hactenus Halae grass. 1699, resp. Sanfftleben.

Symptomata pro diversitate aetatis, sexus, temperamenti, mire dissimilia. Communia: virium repentinus languor, protinus a motione vertigo subnata vel animi deliquium, eaque in omnibus continua. In singulis fere pulsus debilis, parvus, frequens, interdum magis minusve celer et inaequalis; calor fere omnibus remissior, sitis parva, urina sanis simillima [70]), vigiliae assiduae aut somnolentia.

In sanguineis symptomatum maxima confusio et inconstantia; dolor plerumque in dorso major, anxietas circa praecordia gravior, cephalalgia cum faciei et oculorum rubore, vigiliis et delirio: maculae rubrae. Quibus temperies magis biliosa et habitus strictior fuit, iis ardor externus vehementior erat, vigiliae cum aestu, et jactatione, sitis, loquacitas, fauces inflammatae, delirium cum oculis splendentibus, ferocibus. Laxo habitu, obeso conspicui, sanguine copioso et sero viscido scatentes neque calorem ardentem, neque sitim, neque inquietudinem magnam offerebant, sed somnolentiam, debilitatem, taciturnitatem, somnum plerumque turbulentum, a quo male haberent, expergefacti nonnihil delirantes. Melancholico temperamento similia acciderunt.

Diarrhoea nonnullos per totum morbum detinuit spumosa, variegata, moderata tamen nec insalutaris; plurimis circa diem criticum IX, XI, XIV, cum copioso sudore valde proficua. Melior alvus lubrica, quam stricta; hanc enim major anxietas, cephalalgia vel etiam purpura alba etc. comitabantur.

Sudores continui per totum morbum protracti, infausti; perspiratio vero vaporosa continua, optimum signum. A sudore copioso, criticis diebus prodeunte, praecedente vel comitante diarrhoea, symptomatum remissio contigit et maxima spes salutis.

Narium haemorrhagia largior, non adeo opportuna;

---

70) Cf. MANNINGHAM, the sympt. of the little fever.

praesertim damnabatur repetita, quia vires auferebat. In principio tamen copiosa, cum diarrhoea simul prodiens, periculo vacabat. Mensium fluxus sat largus die III, IV innoxius. Haemorrhoides non observatae fuerunt.

Urina saepe sani similis, passim tenuis, turbida, pallida, circa XIV vel XX sedimentum habebat in evasuris. Quibusdam die III urina largissima, cui mox gravativus capitis dolor, torpor, stupor, turbatio succedebat; ii, quando die VII sudor copiosus accessit, felicissime sanabantur.

Vomitus cum singultu fere per totum morbum evenit lethalis; vomituritio frequens. Nonnullis regurgitatio humoris limpidis a potu vel levi commotione corporis oborta est, eaque funesta.

Petechiae desiderabantur in nonnullis, alii scatebant iisdem; tempus eruptionis in variis varium. Prodierunt modo inter initia morbi, extra lectum, sine symptomate aliquo, praeter languorem, id quod minus salutare. Aliis circa diem VII, IX ortae, quod non infaustum. In facie rarius effloruerunt. Meliores rubrae, parvae; pejores magnae, lividae, virides etc. Miliaria alba, petechiis succedens, multis lethalis. Invasit praecipue, si cui alvus dura esset, et arida cutis, utplurimum die IX, X, ubi petechiae disparere incipiebant, prodibant cum anxietate, virium defectu, frigore extremorum.

Raro evadebant meticulosi et desperantes, remedia respuentes, obesi. Funesta plerumque sudor frigidus, cum pulsu exili, intermittente, respiratio crebra, parva, tendinum subsultus, convulsiones. Delirium praenunciabatur oculis rubris ferocibus, lacrimatione, adipsia, inquietudine, pulsu celere, capite inflato. Pessimum erat macularum retrocessio ex refrigerio, vel detento corpore diu erecto, terrore gravi; mox irruebant summa debilitas, extremorum frigus, anxietas vehementissima etc.

Bona signa habebantur quies corporis, mentis con-

stantia, sitis, somnolentia, macularum eruptio die VII, IX contingens, alvus liquida, surditas circa diem criticum eaque perseverans, habitus gracilis, tenuis, strictus.

Convalescentia tarda. Aegris diutius erectis, vel surgendo vel sedendo, morbi vehementia mox mirifice augebatur, adeoque ad mortem brevi subsecutam. Nascebatur mox debilitas maxima, animi deliquium, anxietas, extremorum algor, quin etiam macularum infaustissima retrocessio. Neque talia a frigore aegris inducebantur.

Alexipharmaca et volatilia salia potentissima potius nocuerunt, quam juverunt, praesertim larga manu et cum regimine calido usurpata. Conducebant autem analepticis nupta, et caute ac temperanter propinata, si ex macularum receptu graviter aegroti languebant. Venae sectio praeservationis causa interdum utilis; minus proficiebat, ubi debilitas insignis. Emetica lenia dabantur tuto, si quando sordes primis viis inerant; etiam ad avertendum morbum vel in principio curationis eadem perquam proficua erant. Interdum circa initia quidem sumta profuerunt, verum circa morbi incrementum ac statum vomituritionibus continuis nauseae, anxietati cardialgicae ansam praebebant. Vesicatoria in statu morbi, delirio, sopore, convulsione urgente, cervici imposita sunt cum fructu. Opiata omniaque soporifera noster omisit ut noxia. —

Optime haec cessit medenti methodus. Ab initio nitrum cum camphora aliquoties porrigebatur; per incrementum morbi et vigorem mixtura ex aquis temperatis, alexipharmacis, diaphoreticis, analepticis, antispasmodicis constanter exhibita. Potui admixtum est nitrum vel vitrioli spiritus, decoctum cornu cerv. citrat., rad. scorzonerae. Circa diem criticum lenia alexipharmaca ad sudorem corpus disponebant, pauxillo camphorae adjecto. Accesserunt clysmata lenientia, oleosa; usus analepticorum, spirituosorum, aromaticorum externus ad

ventriculi regionem, vel ad odoramenta. Aër purus, temperate calidus. Cibi solidi offerebantur nulli, sed in declinatione et postea tantum liquidi et facillimae solutionis. Nocuit enim liberalis pastus nutrientium et lautorum, praecipue circa dies decretorios, aut in evacuationibus criticis.

Patientia ante omnia et tempore opus erat ad salutem restituendam, nec cura praecipitanda. Symptomata in hac constitutione cedebant iisdem fere remediis, quae supra de symptomatica hujus febris medela generatim dicta sunt. Ad sitim fallendam electuarium ex saccharo Canariensi cum spiritu nitri eximium se praestabat. In frigore extremorum cum anxietate et horrore alexipharmaco-analeptica perutilia: spiritus formicarum volat., balsam. vit. Hoffm.

Altera petechizans constitutio exstitit sub finem anni 1728, post tempestatem, quae praeter naturam maxime a legitimo statu declinaret. Febris cum petechiis descripto more prodiit in spurcis hominibus, contagiosa. Crisis, sudor largus, vel alvi fluxus, vel copiosa sputa; signa catarrhi manifesta. Cura benignioris casus diluentibus et temperantibus perficiebatur; alvum die VI — VII manna noster laxabat sine molestia; deinceps pulveres diaphoreticos dedit cum pauxillo extract. croci et infus. subaromaticis. In minus benignis cura, quemadmodum supra docebatur. Petechiae modo cum levamine eruperunt, modo sine eo.

De tertia quadam epidemia [71]) febris exanthematicae catarrhalis malignae symptomata Hoffmannus ex alio auctore refert eadem fere, quae ipse morbi testis notaverat. Primis diebus plerosque somnolentos decubuisse. Die quarto graviores motus febriles, mox san-

71) Med. rat. syst. l. c. p. 252.

guinis stillicidium plurimis accidisse, pauloque post cum leni madore petechias effloruisse. Permultis circa hoc tempus alvi lene profluvium supervenit ad VII—XI diem usque, unde morbus magis minuebatur, quam increscebat. Absoluta eruptione in junioribus praecipue, de vita minus solicitis, febris sub levi mentis turbatione placide decurrit. Exitus his circa diem XIV faustus. Ubi vero post exanthematis eruptionem febris impetus cum delirio potius intendebatur, die XI vel XIV certo exspectanda erat miliaris alba. Praecedebant hancce summa anxietas a praecordiis, insomnia, colli constrictiones. Quibus ita quidem cum angore purpura erupit, et delirium cum reliquis symptomatibus posthac cessavit, ii evaserunt. Sed quibus nono subsultus tendinum, tremores, respiratio anhelans, excretiones involuntariae supervenerunt, licet etiam demum purpura proreperet, die X, XI, XIII convulsi moriebantur.

Curam medicus adultis et venae sectioni assuetis, simul ac conqueri coeperunt, aperuit sanguinis missione (℥VI—VIII) ex pede facta, quiete, calore moderato et abstinentia injunctis. Cibus nulli nisi poscenti datus, serius cerevisia tenuis, tepida, parvis haustibus, pro lubitu. Rejectis pellentibus, alexipharmacis, ternis horis pulvis temperans datus est ex absorbentibus simplicibus vel acido saturatis, cum antimonio diaphoretico et nitro, vel potio temperata ex aquis destillatis, acido impraegnatis. Progressi exanthematis receptus iisdem pulveribus praecavebatur, interposita tinctura aliqua bezoardica, regimine diaphoretico, infuso theiformi. Alvus, si, quod raro, adstricta esset, clysmate solvebatur. Praeter analeptica temperata contra symptomata graviora datum nihil. Qui medico rite obtemperabant, fere omnes restituebantur, alioquin in morbos lentos inciderunt.

Ubi diathesis corporis favet humoribus diversimode incongruis circa primas vias vel venas alendis, a solo

perfrigerio intensiore variae febres, eaeque magis vel minus mali moris, gigni possunt: intermittens, catarrhalis, rheumatica, petechialis, purpurata. — Febris aliqua epidemicae in morem contagio suo militibus tantummodo infesta erat, qui similem omnes refrigerationem eodem tempore passi fuerant. Immunes erant a contagio, qui eadem domo habitabant et cum aegris conversabantur, quippe fomitis morbifici minime participes. Venae sectio, etiam in principio instituta, nocuit magis quam juvabat, quae alias non tam facile in robustis hominibus, ut militibus, noceret. At quum, pergit noster, a transpiratione prohibita, originem morbus traxisset, et aliquot jam septimanis languor et ciborum fastidium ante febris invasionem adesset, facile constat, venae sectione imbecillitatem adauctam, perspirationem vero minutam fuisse, utrumque cum damno. —

---

§. 125.

Hisce catarrhalibus petechizantibus graviores febres discernebantur petechiales verae [72]), valde malignae, contagiosae, capiti et viribus quam maxime infensae, maculis conspicuae varii coloris, ortae ab humorum vitalium mala temperie et subsequente putrida dissolutione, accedente plerumque miasmate ex corpore decumbentis exhalato; morbus brevi saepe pluribus lethalis. Prima quidem facie mitem is exhibet indolem, imponit catarrhalium specie, sed postea ex insidiis prorumpit cum signis tanto atrocioribus.

Statim ab initio terrere debet summa virum dejectio, animique defectus, ac desperatio, metus. Vigiliae assiduae, nullus reficiens somnus, pulsus languens, parvus, inaequalis, decubitus insolitus, jactatio, tendinum saltus, tussis sicca. Complures neque de siti, neque de

---

72) Med. rat. syst. l. c. p. 257.

aestu, neque dolore vel anxietate queruntur, nilque sentiunt mali praeter languorem et somni defectum. Die IV, V, VII maculae in dorso potissimum et lumbis emergunt, varii coloris, plerumque nullo levamine inde subnato; symptomaticae potius, quam criticae. Quarum quo major copia; tanto pejor diathesis morbosa. Ex morbo etiam qui evadunt non cutaneae huic eruptioni, sed vel sudoribus largis, foetentibus, vel alvi fluxui critico salutem debent, nec tamen hoc nisi naturae beneficio, ubi non adeo insignis adfuerit humorum perversitas, sed temperata adhuc indoles. Plurimi vero occumbunt vel sphacelosa ventriculi aliorumve viscerum laesione, vel phrenitide, angina faucium et oesophagi. Cadavera cito foetent. Praesagiunt hunc exitum: sitis vel nulla vel insatiabilis etiam, lingua arida, nigra, faucium inflammatio, ab exanthematis eruptione superstes anhelitus et anxietas adeoque forsan exacerbata, vel a sudore vel alvi fluxu delirium cum aliis pathematibus ingravescens, urina nec turbida, nec sedimentosa; mens plane delira, floccilegium, involuntariae excretiones, convulsio etc.

Contagium vel miasma morbi non solummodo humoribus intemperiem pravam nostro inducere videtur, sed statim etiam ad interiora cerebri et ad nervos pervadere, quo suscepto illico facultates naturae omnes languescant, quasi corrupto liquore nervoso. Subit autem morbi seminarium per nares, fauces et bronchia, ubi nervi decurrunt maxime aperti, inde ad cerebrum et ventriculum proserpit; salivae et succo gastrico admiscetur.

Propterea fomes morbi arcetur vitando halitum aegri, salivam crebrius rejiciendo, acribus radicibus masticatis, vel fumo nicotianae. Ventriculum iste sordibus repletum gravius infestat. Inde lene emeticum alexipharmacis junctum recenter infectis optime morbum praescindit.

Oboritur febris ex aëris calida humiditate diuturna,

unde corporum excretiones turbantur, vis vitalis obtunditur et vegetabilia alienam naturam, corpori inimicam, contrahunt, ut videre licet in secali cornuto. Porro ex putridis effluviis, in diathesi corporis phlegmatico-sanguinea, habitu laxo, spongioso, animo meticuloso, corpore qualicunque modo exhausto; in feminis cachecticis, catameniorum suppressione laborantibus, facillime in syphiliticis, quippe qui aegerrime evadunt. Conveniunt plurimae harum causarum in castris et hibernis militum impuris, corporibus quiete relaxatis, cibo repletis. Hinc castrensis origo frequens.

Quae cura petechizanti febri commendabatur, etiam huic convenire dicitur. Ut a morbo immunes homines praestentur, caveant ab omnibus, quibus corpora enerventur; tabaci fumus hauriatur, potus arabicus largior. Egregium praesidium in vino bono, Rhenano, quo jam pridem Isbrandus de Diemerbroek et Hodges feliciter usi fuerunt ad animum componendum, exhilarandum; optime huic jungitur mediocris exercitatio, diluens potus, victus exquisitus.

Ipsi morbo statim in principio acida cum diluente potione, et medicamenta diaphoretica fixa conveniunt. Pessime tunc nocet volatilium sudoriferorum usus cum regimine calido. Sputa expectorantibus promoveantur.

Declinante morbo maxime conducit alvina excretio, utpote convenienti tempore, circa diem VII — XIV, sine damno juvanda; rarius sufficit solus sudor et haemorrhagia. Vetari debent acria purgantia, sed blande alvus subducenda est, manna, cremore tartari, syrup. rosar. solut. cum salino quodam stimulo, tamarindis, rheo.

Venae sectionis usus in tanta malignarum febrium differentia ab expertissimis etiam experiundo demum ediscitur. Verum tamen quum plethorici, vel male temperatis humoribus pleni in morbum incidunt, commode sanguis mittitur; nec non ubi assuetus aliquis fuerit, victui lauto, vinoso, vitae sedentariae indulserit, prae-

servandi causa vena tunditur. Venae sectione instituta vel plane non vel levius illi corripiebantur et facilius evadebant.

Stomachus, quum languescat, ne declinante quidem febre cibis obruatur, praecipue carnosis, ne morbus recrudescat. —

In castrensi febre petechiali noster venam secabat plethoricis, quibus ad caput impetus rueret. Ubi stomachi ingluvies aderat, statim in principio vomitus conducebat ex tart. emetico cum manna permixto. Dein subministrabantur leniter diaphoretica. Frigidus sudor copiosus cum reliquis signis bonis ac viribus rite constitutis, in calido corpore passim non funestus observabatur. Succurrendum vero hic est ob caloris dispendium, frictionibus, analepticis praesidiis et diaeteticis. Purgantia praepostere data nocebant, serius blanda profuerunt. Petechias comparente miliaria rubra disparuisse, saepe observatum est in febre anni 1728, sed declinante morbo miliaris alba peticulis superveniens utplurimum lethalis fuit.

Vinum temperatum non nocet, facta eruptione et cute aperta, egregie potius vires juvat, excretiones sustinet. Cavendum vero ab eo, ubi indicia inflammationis in visceribus sunt, ubi phrenitis metuenda est, ubi cutis arida et sicca.

In sporadica febre petechiali, maligna, contagiosa, noster venae sectionem vidit perutilem et necessariam in pede faciendam. Circa usum hujus auxilii absolute nil potest definiri, sed consideranda omnia, quae ad indolem, symptomata et tempus morbi, ad corpus aegrotans etc. spectant. Si sanguinis magna plethora adest, vasa ampla, consuetudo venae sectionis, corpus antea sanum fuit, nec a communi, ad putredinem inclinante aëris vitio morbus obortus est; si vehementer statim caput petit, tum utique ante invasionem: tam ad arcendum morbum, quam etiam mox in principio ejusdem,

nunquam nocere potest mediocris pede facta detractio; quin sub hac rerum conditione in morbo Hungarico ipsaque peste utilissima est. Humorum ad exteriora motus liberior inde redditur, pulsus a cerebro compresso et irritato saepe irregularis hoc auxilio saepe cito in melius mutatur. At vero summa cum prudentia et discretione medico incedendum hic est.

Alias emetico ac sudorifero deinceps dato morbum noster modo invadentem statim jugulavit, praesertim a contagio natum, corpore alioquin bene valente, nec adeo impuro, vel infirmo. Serius autem ab alexipharmacis hoc consilio usurpatis cavendum fuit.

Qui ad arcendum morbum contagiosum purgans assumserunt, praesertim ex domesticis electum, saepius paulo post infecti potius sunt. Etenim ad praecavendam luem nihil efficacius est integra perspiratione, quae vero maxime in imbecillioribus minuitur catharticorum intempestivo usu.

Convalescentibus ciborum deficiens appetitus citiore usu stomachicorum non bene excitatur; facile enim a nimia repletione ventriculi adhuc languentis recidivus morbus fit, vel status cachecticus et tardissima restauratio.

Contagium diu, adeo per septimanas, latere potest in corpore susceptum, quod ubi suspicandum est, succurritur congruis diaeteticis et leniter diaphoreticis adjumentis, sanguinis circuitum placide juvantibus, alterantibus, temperiem humorum emendantibus.

---

§. 126.

Ipsam pestem bubonaceam, ut extrema malignitatis morbum Hoffmannus non videtur observasse; haec enim tunc temporis ad remotiores fere terras a patria nostra se receperat. Exponit igitur noster circa hunc morbum aliorum, partim veterum usus experien-

tia [73]). Dicit pestilentem febrem, acutissimam, oriundam ex miasmate venenato ex plagis orientalibus advecto, ac nisi vigore virium vitalium exsuperante per bubones et carbunculos morbi materies cito propulsa fuerit, lethalem. Nostris regionibus, ait auctor, nec popularis amplius est, nec sporadica, ne insalubri quidem ex coelo vel victus ratione; sed sub aëre saluberrimo a solo contagio ex dictis locis adlato enascitur. Etenim illud miasma per multa milliaria transferri potest, virulentia manente integra; exstinguitur tamen intenso frigore. Laedit corpus eadem via, qua cetera contagia, modoque caput petit, et nervosum systema, modo ventriculum. Differunt etiam symptomata pro corporis indole diversa.

Curam pestilentis febris ad auctoritatem Fabr. Hildani, Jo. Langii, Laz. Riverii et aliorum edocet, consentientem vero cum ea, quam febribus modo descriptis adhibendam praecepit. Laudat regimen temperatum, medicaminum mediocrem apparatum; nitrum cum camphora junctum; damnat calida alexipharmaca; saltem ut acidis temperentur, praescribit. —

Circa curationem universi generis harum febrium Hoffmannus plurimum meruit, vim naturae medicatricem bene animadvertendo, spontaneis ejusdem molimini-bus convenienter administratis, rejecta multifariam compositorum, pretiosorum, validorum, exaestuantium pharmacorum pompa. Sive enim febres huc usque malignae dictae sponte sua genium mutaverint, a pristina atrocitate remittentes, sive medicatio violenta, incongrua, illas prius exacerbaverit, certe mitiorem jam indolem constitutiones epidemicae adsciverunt, quippe salute pluribus quam antea restituta. Quare moderati regiminis et exspectativae methodi commendatio quam maxime opportuna et necessaria reperiebatur.

---

73) Ibid. p. 284.

Conamini nimirum naturae salutari intentus plurimum noster vidit noxae in pestilenti statu accedere a gravibus animi perturbationibus, quae morbum praecederent, vel ei sociarentur, inde perverso scilicet naturae motu. Optimum autem in tali tempestate esse animum tranquillum, constantem, fortem, tum ad arcendam infectionem, tum ad superandam ipsam aegritudinem [74]). Cardinem totius prophylaxeos et curationis verti in viribus naturae bene regendis, temperandis, sustentandis; vitatis omnibus, quibus haec infringi vel perverti possint. His praesidiis instructam naturam utique vincendo etiam pernaligno morbo solam saepe sufficere. Evacuationes omnes admitti considerato in naturae virtutem effectu. Naturam medentibus viam monstrare, non saltu, nec repente, sed pedetentim, suo tempore, maxime per lenem diaphoresin. Unde pateat, quam imprudens sit usus calidorum, acriter sudoriferorum, a quibus vires debilitentur, materia retineatur, delirium inducatur. Nam quo gravior et malignior morbus est, eo leniori et tranquilliori modo vult tractari [75]).

GEORG. ERN. STAHLIUS.

§. 127.

Utut in reliquis ab Hoffmanno Stahlius dissentiret, in eo tamen conveniebat, quod naturae facultati in curandis morbis sua jura vindicabat, quod rejecta scholae tunc grassantis medendi consuetudine violenta,

---

74) Jam ante nostrum Qu. Rivinus (de peste Lipsiensi. 1680) plurimum tribuit terrori, a quo multi in pestem, dominante constitutione, inciderint, saepe absque suspicione contagii, solo metu. Curationem ait versari potissimum in dissipato terrore etc. Amuletorum vim esse in confirmando adversus metum animo.

75) Diss. de natura optima febr. pestilent. medicatrice. 1713.

calefaciente, sudorem pellente, medicos admonebat ad reverenda et prosequenda, ministrorum instar, vestigia spontaneae virtutis medicatricis, ad molimina ejusdem placide et caute promovenda, ubi modo quidem convenirent, sed robore non sufficerent, ad temperanda eadem, componenda, conducenda, ubi vel impetu, vel perversa intentione peccarent.

Quam virtutem vitalem Hippocrates naturam, vel calorem innatum, Helmontius archaeum vocaverat, eam noster mentem sive animam dixit. Ea vero immortalis est, corpus sibi struxit, idque ergo per intima cognitum habet, sensu quidem vitali, actu conscientiae experte. Dissolutionem corporis anima abhorret, omnes hinc motus vitales eo dirigit, ut ista dissolutio, vel quaecunque inconveniens adfectio, quantum fieri possit, prohibeatur, corruptae particulae per congrua instrumenta rejiciantur. Motus illi animae vitales plerumque quidem salutares; interdum vero inutiles sunt, ubi ob errorem, vel gravius perceptis impedimentis quasi desperabunda mens in alienos noxiosque conatus temere erumpit, medico tunc prudenter ad ordinem reducendos, sedandos.

Quando satis validus et constans (proportionatum auctor dicit) motus febrilis cum causa morbifica colluctatur, felici successu usa anima curatrix absque omni festinatione et impetu evincit et excernit. Gravissimae febres ipsaque pestis sic non solum non lethales sed etiam minus molestae evadunt. Perniciem autem contagiosi morbi intendunt, si miasmati illapso non satis valida humorum intentio opponitur, qua illud disjici possit et propelli, sed gliscenti spatium datur nocendi, et virulentiam longe lateque in corpore divulgandi; quo facto anguntur aegri, et animum despondent, vires dejiciuntur, mens perturbatur, et mors cita supervenit.

Plures vero e febribus acutis, contagiosis, pestilen-

tibus evadunt [76]) absque omni medicaminum auxilio, quam qui emeticis, purgantibus, sudoriferis, venae sectionibus, opio etc. ex more seculi curantur. Verior et commodior et omni modo securior methodus universim inveniri plane nulla potest, quam ipsa illa, quam natura insitam sibi sequitur. Nihilominus, uti modo innuebatur, est ubi conamen hoc naturae a scopo salutis aberrat. Modo enim nimio cum impetu fit ac turba, modo ineptam viam ingreditur, materiam exterminandi, modo retardat, modo praecipitat morbum; hinc necessitas adjumenti medici. Sequitur autem praestantia facultatis salutaris 1) energiam animae et temperamentum; tardius enim agit in pigris, praeceps in alacribus, temperata et valida est in constantibus naturis: 2) humorum motum in vasis expeditum: 3) aetatem vel omnino robur virium vitalium, prout integrum adhuc sit vel morbis, perversa vitae ratione, animi affectibus attenuatum, vel multifariam distractum: 4) denique certissimum est, eos, qui meditationibus et studiis assueti sunt, multo violentius morbis infestari, quam quibus minus exercetur mens. Hinc gravissima et praesens noxa omnium intempestivarum cogitationum in iis morbis est, in quibus integra et expedita naturae efficacia requiritur. —

§. 128.

Materia febrilis maligna, praecipue contagiosa, tenuissimo halitu de corpore in corpus transfertur, et subtilissimas mox inflammationes internas, sphacelismos praecipites, et a morte citam putredinem efficit, quemadmodum in peste cernere licet. Pleraeque hae febres excretiones insignes ad ambitum conciliant, intra primos quidem IV vel VII dies; brevi enim absolvuntur, nec ferunt alias commotiones vel evacuationes, quales

76) De autocratia naturae diss. Hal. 1696. 4.

crassorum humorum sunt. Mature igitur fomes morbi ex corpore via convenienti proscribatur. Est autem hic vaporosae potius, quam simpliciter fluidae naturae, neque ideo vehementes sanguinis agitationes requirit, uti nec vomitoriis, catharticis, haemorrhagicis et similibus evacuationibus abstergitur. Assidua enim et parum aucta secretione, quantocyus fieri potest, apte diffugatur. Cum vero extrorsum vergens motus naturae unice securus in hisce febribus sit, opportuna est alvi modica retentio, praesertim circa tempus criticae eruptionis, bene etiam cum hoc naturae molimine anorexia convenit et sitis parca; corpora enim impura, quod Hippocrates jam monuit, nutriendo potius laeduntur.

Perversa autem est methodus tum regimine coacto, alexipharmacis, sudoriferis, exaestuantibus, catharticis acribus, tum maxime praematuro tempore arte factos sudores extorquendi et exanthemata; abstinendum pariter a medicamentis, quorum efficaciae ex ratiociniis magis quam experientiae testimoniis fides habeatur.

Illa vero halituosa fomitis diffiatio locum diutius non invenit, quam donec materia haec incongrua libera adhuc in corpore vagatur, neque humores nec solidas partes virulentia sua jam infecit et corrupit. Etiamsi quadantenus haec noxa jam suborta fuerit, salutaris tamen adhucdum ille motus instauratur, materia ad minimum a nobilioribus partibus atque ampliori ab inquinatione revocata.

Theriacae, mithridatici confusam farraginem noster improbat ut damnosam et inutilem. Suspectum etiam habet indirectum usum emeticorum, nisi admodum tempestivum pericliteris. Conducit vomitio, ubi insignis propensio, eaque mox a principio, se ostenderit; tenuis vero et mole exigua contagii materia non potest crassa intestinorum excretione dispelli, potius revocabitur ad interiora corporis.

Nuda vero evacuatio neutiquam prospere cedit, nisi

alteratio quaedam praetentata fuerit, scilicet demulcentibus, lubricantibus, absorbentibus; acris enim materia diluatur potius, quam concitetur.

Sanguinis missio ad solam prophylaxin morbi relegatur, plethora quidem urgente, rebus adhucdum integerrimis; in cura ipsius morbi non facile locum habet.

Urina cocta non tantopere pro excremento fomitis morbifici habeatur, quam potius pro fausto indicio materiae ex arctiore humorum connubio secedentis, quare haec minus quam alia aptiorque evacuatio adjuvetur, neque intempestivo usu diureticorum acriorum ad urinarias vias et nobiliores partes morbus contrahatur. Nitri quidem prudens usus ut alterantis potius quam evacuantis conceditur.

Proprie autem conveniunt diaphoretica mediocria, pedetentim quidem eventuro successu, vitata importuna ad excernendum concitatione, praecipite ad absolvendum opus festinatione et irrita virium defatigatione; aquae destillatae, placide penetrantes et simil.

In petechizantibus febribus manifesta est noxa regiminis calidioris. Copia inde macularum et color augetur, simul prolicitur miliaris alba; inducuntur aestus ingens, sitis, siccitas faucium, delirium convulsio, mors. In ipsa etiam peste regimen et medicamenta nimium calida Stahlii aetate plus damni quam commodi exhibebant.

Interim, quae simul diaphoretica sunt alexipharmaca, exigua dosi et paucarum horarum intervallo repetita, egregie prosunt, sedulo simul vitata refrigeratione, vestitis artubus.

Petechiae serius prodeuntes, meliores quam praematurae, copiosae et saturatiores; etiam carbunculi nimis cito et largi prorumpentes, deteriores.

Considerandus est usus absorbentium; isque cautus, parcus, assiduus sit. Occupantur inde humores bilioso-acidi, qui febrili motu gignuntur. In petechiali

constitutione a. 1693 manifesto noster cum fructu conchas laborantibus porrigebat. Cum hisce non inepte nitrum conjungitur, quippe quo tenuitas acrium humorum emendetur, pro dosi gr. IV ad VI.

Acidorum egregia virtus cernitur praecipue in sanguineis temperamentis. Acetum bene additur alexipharmacis; spiritus vitrioli caute subministratus, praestantissimus. —

Salutare consilium est, per primos dies vel plane nihil medicaminum efficaciorum exhibendi, acquiescendi igitur in absorbentibus et placide alterantibus, tranquillitatem aegro et continentiam quantamcunque injungendo. Remotis quidem sudoriferis tamen a refrigerio cavendum, ne in nobiliores partes venenum, quod per halitum discessurum est, irruat. Circa incrementum et acmen mali eadem fere conveniunt, acida absorbentibus interponendo [77]). — —

Hist. febr. petechizantis a. 1694. Stationaria haec febris dominabatur sub finem illius et initio insequentis seculi. Catarrhi speciem prae se ferebat, contagiosa, remittens, cum longa apositia, et agrypnia, aegri in diarrhoeam proni. Venae sectio in hac constitutione evasit funesta, nec juvabat calidis medicaminibus sudores urgere. Emulsiones conferebant pingues, cum saccharo et subacida citrata; deinceps essentiam suam alexipharmacam noster dabat, nitrum et hic laudat absorbentibus junctum. Innumeros sic restituit.

Conveniunt cum Stahliana hac methodo febribus typhodibus medendi, quae a Pruthenicis medicis in constitutione pestilentiali 1708 [78]) observata sunt et cum

77) Cf. dissert. de method. malignas febres secund. ration. et experientiam recte tractandi. 1708. — De errorib. practic. circa contagiosar. malignar. febrium curationem evitandis. 1713. — De malignitatis, praecipue febrilis, indole. 1702.

78) *Kanold, einiger* Medicorum *Sendschreiben von der in Preussen* 1708 *etc. grassirten Pest.*

fructu usurpata. Valida nimirum remedia et his nocuisse videbantur omnia, etiam venae sectio; felicius evaserunt, qui vel nulla medicamenta sumerent vel certe moderata. Difficilius autem curabantur homines sanguinei temperamenti ac cholerici. Perspiratio cutis mediocriter adjuta profuit, nocebant alexipharmaca; feliciter tamen dabatur essentia alexipharmaca Stahlii, spiritu tartari, et sulphurico acido mixta. Vesicatoria et incisiones in bubones infelicissime cedebant. Perierunt, qui horrendo consilio pus de bubonibus deglutiverant, vel ossa aegrotorum peste infectorum. Ulcera in peste Rosenbergensi et fonticuli non tutos praestiterunt mortales.

HERM. BOERHAAVIUS.

§. 129.

Constans adversarius, uti priores jam fuere, praeposterae illius per salia volatilia et calida sudorifera febribus medendi rationis ad Hippocratis hic et Sydenhami medicinam rediit. Morbis acutis generatim refrigerantem methodum opposuit, viribus tuendis intentus, incitandis etiam, prouti res ipsa ferret. Leniter quidem utplurimum incedens in methodo sua morbos curandi, neutiquam posthabuit masculam medicinam, simplicia fere, sed efficacia, certiora in usum advocans. Terreorum medicaminum abusum jamjam vulgo apud medicos increbrescentem prudens compescebat.

Quamnam febris typhodis rationem Boerhaavius habuerit et quam curam instituerit, cognoscimus ex aphorismorum magni viri praestantissima collectione, assumtis simul Swietenii praestantissimis commentariis.

Febres noster fere ad Galeni exemplum distinguit putridam describit, continuam, ardentem etc. potius decursu et judicationis modo, quam symptomatum comitatu differentes. Unicuique harum febrium typhodes sta-

tus (phrenitidem antiquo more dicit) supervenire potest, hinc undique ex eorum commentariis conquirenda sunt, quae Boerhaavii et commentatoris doctrinam de nostra febre typhode exponant. —

Felicius utplurimum rem geret, qui typhodem statum avertere, quam qui praesentem dimovere studuerit. Propterea generalis febrium cura ut rite fiat, quam maxime opus est; febribus enim promiscue typhodes affectio accedit symptomatis vice, vel successionis vel metastaseos.

Curatio autem optima febrium generalis obtinetur, si 1) vitae ejusque viribus consulitur, 2) materia irritans corrigitur, expellitur. Et corrigenda quidem est, ne amplius noceat, et quo facilius naturali facultate concoquatur, quod vel diluendo fit, vel talibus ingestis, quae opposita vi causae efficaciam domant, eamque inertem reddunt, quamvis hic in plurimis ars deficiat. Incognitae causae sunt, quae faciunt, ut pestis, quantumvis late vagata fuerit, tandem desinat. Expulsio praeparatae materiae fit saepe naturae molimine, aliquando etiam per artem, quae naturae inconvenientes conatus experientia et ratione ducibus ad ordinem et salutis viam reducit, deficientes commovet, supplet. Tertius in hac cura scopus est, ut lentor [79]) dissolvatur, expellatur, sanguinis circuitus quaquaversus expediatur. Erratur saepe in curandis inflammatoriis morbis, dum per venae sectiones, clysmata, etc. sopitur quidem febris impetus, nec tamen resolvitur stagnatio inflammatoria, cui solvendae febris ipsa moderata vis utilissime inserviebat. Quartum est, ut symptomata mitigentur.

Vires vitae optime sustinentur victu conveniente. Dare autem cibum oportet eo tempore, quo abest febris, aut quo ejus impetus saltem lenior, et quidem copia

---

79) Sic dicit noster obstaculum omne circa extrema vascula natum; obstructionem (ἔμφραξιν) Galenus vocavit.

parca, saepe repetita: ne nimis exerceantur viscera et labem contrahant. Copia et virtus cibi varia sit, prout longiorem vel breviorem fore febrem praevideamus. Etenim talis debet suppeditari, quo vires instaurari queant, ut sufficiant coctioni et crisi. Quo brevior morbus, eo minus et debilius offerendum, et contra. In acme tenuissima et pauca, in incremento et declinatione eo plus et meracius dandum, quo magis a fastigio distet morbus. Concedendum tamen aliquid consuetudini. Haec omnia et alia multa Hippocrate et Celso praeeuntibus noster injungit.

Febris ipsa debet humores stagnantes, infarctos, sive ante febrem, sive inter ipsam constipati sint, dissolvere, nec propterea nimis coërcenda est, vel praepostere supprimenda, ut in intermittentibus interdum perperam fit. Cognoscitur autem, nimis torpere febrilem motum, si pulsus languidus et debilis est, vires dejectae, calor exiguus, urina pallida. Si jam simul nullum signum docuerit, malum universale vel topicum (quod febrem forte comitatur, ut ad cerebrum ruens impetus) levari; novimus, materiam morbi nondum subactam et febrilem intentionem nimis debilem esse, ut illam subigere, secernere et eliminare possit. Cessat autem sanguinis commotio fausto omine, quando illa materies vel in humorum consortium redacta fluit vel subacta et mobilis expellitur, vel aliquo loco deponitur; nec amplius tum suscitanda febris est. Sed in hoc casu semper coctionis signa apparuerunt prius, quae sunt decrementum morbi et remissio symptomatum, viribus interim vel constantibus vel et incrementa capientibus, functionum laesarum incipiens restitutio. Antequam ergo haec signa apparuerint, noxium semper erit, deprimere febris fervorem, nisi tantus fuerit, ut inde destructio partium solidarum, sphacelus, qualis toties in maligna et typhode febre, vel fluidorum nimia inspissatio metuatur. Caloris igitur et pulsuum servanda mediocritas est, quippe intentio paulo major naturali.

Apparet, nullam regulam generalem in febribus curandis locum habere posse. Nam quod in uno casu prodest, in altero nocere potest quam maxime. Aeque igitur peccant, qui venae sectionibus, clysmate etc. omnium febrium curam tentant, Sydenhami stulti imitatores, — atque illi, qui cardiacis, stimulantibus, moventibus etc. ubicunque utuntur, Sylvianae doctrinae addicti. Neque otiosum semper spectatorem hic agit medicus, quum summa prudentia opus habeat, videre an agere debeat, et quid agendum sit.

Itaque si modum intentionis impetus febrilis egredi videtur, moderamen fit abstinentia, victu tenui, potu aquae, aëre frigidiusculo, animi affectu leni, venae sectione, in permagnis quidem morbis ad animi deliquium usque, alibi tamen moderata, etsi repetita, dumne nimis deprimatur febris contentio. Porro utimur clysmate refrigerante, medicamentis blandis, aquosis, glutinosis, refrigerantibus, anodynis, opiatis.

At vero si segnior apparet naturae motus, excitabitur ope cardiacorum, desumtorum ex cibo potuque meracioribus, aëre paululum calidiore animi affectu magis concitato, medicamentis acrioribus, volatilibus, aromaticis, fermentatis, frictione, calore, motu musculari, balneis, fomentis. Omnia quidem haec in morborum initiis fere nunquam locum habent, sane vero circa finem, defervescente morbi impetu. In hisce, ut in aliis multis, Sydenhamum [80]) noster cum Swietenio secutus est.

Ad expediendas stagnationes et aperiendas obstructiones, depletis vasis, conducit talia dare, quae leni stimulo motum in vasis augere valeant, ut restituta vasorum contentione, quod viscidum est, in liquida attenuetur. Larga enim et cita sanguinis missione, quod immeabile haeret, retrogrado motu in majora vasa derivari potest, adhibitis simul leniter stimulantibus, a qui-

80) Opp. S. I. c. 4.

bus noxa timenda non sit. Liberantur autem si loca obstructa et tuto jam per patentia vasa major humorum motus conciliatur, qui antea nocuisset, nondum remotis hisce obstaculis.

Aperiunt hásce humorum obstructiones et resolvunt coagulationes diluentia, potio larga, balneum, clysmata, fomenta, frictiones. Quae quidem tanto efficaciora erunt, si calida, aquosa salita, aromatica, amara lactescentia, frigida dicta, pro aperientibus adhibita fuerint. Prosunt igitur in hunc finem salia et sapones, mel, succi fructuum, syrupi, decocta ex herbis saponaceis subamaris non incitantibus (frigidis), taraxacum, graminis radix, lactuca virosa, scorzonera, calide et largiter hausta.

Symptomata febrium singularia saepe oriuntur ex conatu vitae ad crisin intentae vel ad materiam crisi eliminandam; tum hanc praecedunt, comitantur, sequuntur, nec turbari debent, brevi enim solent dimittere, evacuatione vel metastasi facta. Si vero intempestiva sunt, e. g. alvi fluxus circa principia ortus, quo stadio fere semper nocet, nimis saeva, quam ut ferri a vitali energia possint aut ab aegri patientia, vel aliud gravius malum productura sunt; tum singula sunt lenienda suis quodque remediis, habita semper ratione causae et status morbi.

---

§. 130.

Sordes circa praecordia, sive ex materia indigesta, corrupta, sive a contagio morboso, vel a sponte secretis humoribus, nec tamen excretis, sed hic stagnantibus et corruptis, fuerint natae, turbare possunt omnia cerebri officia; deliria, furores etc. inducunt, quemadmodum venena agunt in ventriculum ingesta. Unica hoc delirium provocata emesi saepe statim discutitur. Sed quum plures etiam delirii et concurrentium symptomatum causae sint, pro harum varietate diversa remedia et me-

dendi methodus debent eligi: pediluvia, epispastica pedum et poplitum; frictiones earundem partium; clysmata diluentia, saepe applicata; victus tenuis, potus sedans, aperiens, diluens; medicamenta ad caput emollientia; uti emetica, ita quandoque purgantia; levia anodyna; sanguinis ex pede emissio; haemorrhoidum solutio; catameniorum laxatio. Alia autem longe medela fit, dum inflammatoria spissitudine sanguis cerebri vasis impactus haeret, alia, si exhausto per diuturnam febrem corpore aeger delirat; monente jam pridem Galeno.

Quum plerumque in febribus sanguis velocius circumfluens comes delirio sit, quotquot praesidia minuendo copiam humorum, impetum versus alia loca avertendo, stimulum tollendo vel infringendo agunt, vel diluendo et attenuando humores sanguinis circuitum expediunt, aut nimium impetum componunt, frequentissimum locum inveniunt. Epispastica vero et frictiones, si ex acrioribus comparata fuerint, motum humorum solummodo per inferiores partes augeant, minime vero per totum corpus. Neque etiam clysmata sine cautione subministrentur, ne, ubi deferbuit morbus, frequenti injectione vires nimium debilitentur. Emollientia capiti admovenda jam in Hippocraticis libris ad similem casum commendantur [81]). Relaxantur inde, quae a carotide externa discurrunt vasa, et sanguinis largiorem undam jam recipiunt, quo auxilio a cerebro impetus humorum avertitur. Emetica, utilia passim, quando, quod supra dicebatur, a bile aliisve sordibus delirium natum est, nocent tamen congestionem augendo, ubi ab inflammatione ortum habet. Si vero, dum sordes in causa sunt, sanguinis simul abundantia, vel diathesis inflammatoria in suspicione est, tutius sanguinis detractio praemittitur emetico. Ex purgantibus contra saburras et sanguinis impetum ceteris praeferenda sunt tamarindorum pulpa, cremor tartari,

81) De morb. L. 3. vid. supr.

folia sennae, rheum. Ex anodynis admittantur fl. papav. rhoeados; abstinendum a fortioribus, nisi longius morbus fuerit protractus. In hoc quam maxime SYDENHAMUS audiendus est [82]).

Haemorrhoidibus provocatis deliria in febribus solvere, non in potestate medici est, nec pro lubitu efficitur. Ducatur natura, quorsum sponte vergere observetur, viaeque expediantur et lubricentur, per quas tales evacuationes fieri solent; semper HIPPOCRATIS talia curantis exemplum ante oculos versetur. Similiter menstruus fluxus per emollientia expediendus, nec per emmenagoga propellendus, et illud quidem instante tempore ipsius, aut praenuntiis signis apparentibus.

Sed quando circa finem morborum acutorum, exhaustis quidem viribus, delirium manet; tunc evacuantia omnia nocent, quorum ex imprudente usu saepe stultitia, immedicabile malum, inducitur. Arguunt hanc delirii rationem comites, pulsus parvi, debiles, calor imminutus, vasa collapsa.

Ad deliria continua sedanda profuit talia offerre aegris, quae mentis attentionem figere valerent vel blande aliquorsum deducere. Quem in finem CELSUS et ARETAEUS optime praecepisse videntur. Vidit etiam SWIETENIUS ex tinnitu aquae guttatim labentis in pelvim aëneam, quietem deliranti et somnum blandum contigisse summo cum levamine. Similis virtus cantui et arti musicae est in hominibus certe assuetis vel alioquin addictis, forsan etiamnum efflagitantibus. Cavendum vero et considerandum, ne novae turbae inde excitentur. — Quae reliqua contra delirium adhibeantur, ARETAEO et CELSO auctoribus traduntur.

---

82) S. I. c. 4. vid. supr.

§. 131.

Ferox et perpetuum delirium, quod a cerebri primaria laesione cum febre continua existit, ex vulgari more, Galenum secutus, phrenitidem veram Boerhaavius dicit; paraphrosynen, phrenitidem symptomaticam, si quidem a malo aliunde, veluti per metastasin, in cerebrum delato, in febribus, inflammationibus affectus ortum habet. Cura phrenitidis verae et symptomaticae multum saepe dissimilis est.

Veram antecedunt: calor dolorque internus capitis ingens et inflammatorius; sanguinis copia nimia, diathesis inflammatoria; oculorum, faciei rubor; somnus turbulentus; desipientia levis, calidorum usus; insolatio, vigilia, ira, moeror, protervia s. ferocitas; oblivio subitanea; siccitas omnium, praecipue cerebri; collectio floccorum. Attendendum ad praenuntia signa, quum malum praesens difficulter curam admittat; dispositi sunt robusti, juvenes, graciles. Proxime instat malum, quando, una cum signis inflammatoriis et humorum impetu ad caput, coma vigil exoritur. Morbus complectitur febris typhodis speciem inflammatoriam (encephalitidem), quadantenus etiam nervosam febrem cum erethismo s. versatilem dictam, febrem auctorum apoplecticam, cephalicam.

Alteram vero, symptomaticam s. secundariam phrenitidem praecedere potest omnis fere morbus cum febre acutus; dolor lateris non pleuriticus, cum levi perturbatione animi, id quod Hippocrates jam animadvertit, inflammatio pleurae, pulmonis, diaphragmatis, eaque pessima est. Hanc praesagiunt linguae nigredo, alvi, urinae retentio, faeces albae (hae lethales ubique), urina pallida, decolor, tenuis; adipsia; ferocitas; urina cum suspenso nigro; vigiliae, signa instantis in capite inflammationis. (Status typhodes secundarius, inflammatorio-rheumatico-bilioso-nervosus).

Vera phrenitis die tertio, quarto, septimo occidit;

raro hunc transgreditur; tunc quidem, si saeva fuerit, saepe in maniam abit. Paulisper ascendens immanis fit (Hipp.). Saepe desinit in lethargum, coma, catochum (Aretaeus, Galenus, alii). — Adest vomitus aeruginosus, cujus ratio in cerebro inflammato; sputatio frequens, indecora in adstantes; tremor, convulsio, delirium studiosum; oculi pulverulenti; dentium stridor; sitis deficiens, plerumque convulsiones annuntians; permutatio symptomatum perpetua; ulceris tumentis subsidentia; haec frequentia periculi summi praesagia et mortis. Quae pneumoniae subnascitur, lethalis; quae a variolis existit, mala admodum; quae ab ileo, lethalis est. Inflammatio paulisper fixa et asperitas faucium ad superiora vergens, mortiferam creat phrenitidem, cum delirio studioso. Quae deliria versantur circa necessaria vitae, cibum, potum, somnum etc. pessima (Hipp.).

Prosunt phreniticis varices in cruribus vel haemorrhoides fluentes, auctore Coo. Alvi fluxus post coctionis signa prodiens, salutaris. Saepe malum solvit dolor ad pectus pedesque, vel et vehemens tussis, nec non haemorrhagia, et subinde sudor.

Vera phrenitis citissime suppeditata requirit validissima auxilia, quibus tollatur inflammatio circa cerebri arterias orta. Convenit venae sectio larga, amplo vulnere, aut pluribus venis simul in pede, jugulo, fronte incisis. Ne vero ad inanitionem detrahatur, nisi forte medico praesente, qui pulsum tangat, dum sanguis fluit. Juvant diluentia ex decoctionibus antiphlogisticis, nitrosis, affatim haurienda. Dein purgantia antiphlogistica cum multo potu diluente, nitroso, danda; clysmata similia, additis laxantibus. Haemorrhoides natae foveantur vel hirudinibus evacuentur. Collutoria, gargarismata lenia in crebrum usum revocanda. Nares, oculos, aures fovere prodest; caput radatur, ut perspirabilis cutis evadat. Quibus praemissis, impetu mitigato, humoribus dilutis, neque tamen cedentibus deliriis et vigi-

liis, opiatis uti opportunum est. Pediluvia, epispastica levia, cucurbitae ad inferiora applicentur, dumne motum humorum per totum corpus acriori stimulo intendant. Corpus moderato frigore reficiendum et erectum tenendum.

Plurima horum jam instituere conducit, ubi avertenda adhuc phrenitis est; difficillime enim in furore multa ex his auxiliis adhibebuntur. Si denique sedato febris impetu supersit coma, delirium, debilitas ingens, et simil.; blando victu, quiete, situ erecto haec sensim solent dimittere, neque remediis nervinis pristina integritas festinabitur, adeoque stimulantia cardiaca saepe minime feruntur. Res tunc sibi relinquenda est; vasa ab impetu distenta pristinum tonum et lumen nondum recuperarunt; paulatim robur acquiritur.

Si vero ab alio morbo inflammatorio phrenitis enascitur, spectandum ante omnia, an genius ejus mali patiatur adhiberi modo dicta; si non, tum curanda erit ex methodo, quae illi morbo convenerit, additis semper derivantibus et tonicis medicaminibus.

---

§. 132.

Typhodi statui admodum familiaris et priva quasi comes accedit cataphora s. coma. Sic dicitur nostro assidua somnolentia vel in soporem tandem abiens, vel frustra somnum captans. Ortum habet a plurimis causis diversis et saepenumero contrariis, quales sunt vehementes evacuationes aut repletiones vasorum; omnis nimia sanguinis inspissatio inflammatoria, pinguis, glutinosa; omnes causae cerebrum ipsum comprimentes, qualescunque fuerint. Diversis causis diversa conveniunt remedia; saepe contraria exiguntur, nec raro coma diu pertinax, irrito tentatis omnibus, sponte tandem cessat, concoctione materiae absoluta.

Sopori ab evacuatione oborto blanda conveniunt re-

plentia; in plethora vero vel sanguine rarefacto prosunt missio sanguinis, purgantia antiphlogistica etc. Generalis itaque nulla habetur medendi ratio, sed quidquid medicus moliatur, pendet ab indicio causae.

Etiamsi coma, sicuti delirium, a distentione vasorum provocatum fuerit, tamen a continuata detractione cruenta, clysmatibus, purgantibus etc. affectus non minuitur, quoniam in tenerrimis cerebri vasculis sanguis propter atoniam retinetur, neque ad ampliora, uti par erat, propellitur. Vires autem vitales tali medela adeo exhauriuntur, ut nequeant postea materiam morbi subigere et excernere; unde serius plurima mala insanabilia. Praestat hic, per evacuantia et alia idonea remedia sic temperare impetum febrilem, ut nullus metus sit, ne sanguis immeabilis in majores vasorum angustias depellatur; interim situ corporis erecto saepius de die, balneis pedum, epispasticis omnis impetus a capite derivetur, talique cibo et potu aegri sustineantur vires, a quibus neque ebullitio sanguinis, neque obstaculi augmentum metuatur. Sensim enim sic, calore blando et moderato corporis, diluentibus et attenuantibus adhibitis solventur illa, quae vasis impacta haerent [83]).

Ceteroquin quae delirio apta dicebantur, ea et hic conveniunt, inprimis fomenta capiti colloque applicata; anodyna tamen vix locum habebunt. Ubi magna inflammationis signa cataphoram comitantur, cura apprime conveniet, qualis in phrenitide ipsa fit. — Haec de statu typhode per se considerato praecipiunt Boerhaavius et Swietenius.

---

§. 133.

In febre putrida continua, cujus ideam ad Galeni auctoritatem uterque noster constituit, modo in spissi-

---

83) Cf. Sydenham de comatosa febre ann. 1673 etc. S. V. c. 2, quem hoc loco apprime secutus est Swietenius.

tudinem inflammatoriam tendunt humores, modo in dissolutionem. Illud vitium pulsu duro insigne est, et, certe circa initia, satis valido, calore magno, haeretque morbi causa in crassioribus humoribus et vasis, missionemque sanguinis, clysmata, diluentia, refrigerantia etc. ad sanationem requirit.

In altero autem morbi genere non crassis sed tenuioribus humoribus fomes inesse videtur; neque calor hic insignis, neque phlogisticae temperiei signa comparent, imo saepe in morbosam tenuitatem solvuntur crassiora. Interim offendere solet subita virium prostratio, et anomala subinde symptomata, quare malignae hae febres dicuntur, quae absque rapido impetu, clandestino molimine conturbant omnia. Hisce profuerunt talia remedia, quae aromatica virtute penetralibus vitae insinuarentur, languentes vires erigerent et per sudores et auctam saltem diaphoresin expellerent de corpore latens illud malignum, epidemico contagio saepe susceptum, ut in peste et febre pestilenti; unde alexipharmaca haec medicamina vocabantur. Nocebant autem venae sectio, clysmata et similia debilitantia; pariter atque inflammatoria sanguinis spissitudo ab alexipharmacorum medicatione in pejus ruit. Rara quidem est maligna febris; quod vero in omnibus fere morbis acutis, speciatim cum intensiore inflammatione junctis, malignitatem subesse medici opinabantur et cardiaca atque alexipharmaca calidissima temere ingerebant, summam aegrotantibus perniciem intulerunt. — Cura utriusque status Sydenhamo praeeunte exponitur.

---

§. 134.

Putrida febris satis crebro sub ardentis specie infestat, tunc maxime in phrenitidem propensa. Haec enim propter praecipuam intentionem symptomatum febri propriorum jam inde ab Hippocrate veluti proto-

typus febrium considerabatur. Signa morbi, praeter pathognomonica, quae vulgari ex ritu memorantur, noster recenset: linguam aridam, nigram, asperam; sitim inexplebilem, saepe subito sublatam, siquidem cerebri conturbatio supervenerit; anxietatem, inquietudinem, lassitudinem summam; tussiculam; delirium, phrenitidem, vigilias, coma, convulsionem; diebus paribus exacerbationem. Morbus tertio et quarto die saepe lethalis, septimum raro transgreditur. Si exquisita febris fuerit, solvitur saepe haemorrhagia, quae si tertio vel quarto parca apparuerit, lethalis est; solvitur etiam die decretorio vomitu, alvo, sudore, urina, sputo crasso. Accessio pari die pessima, si id ante sextum evadit; urina nigra, pauca, tenuis, huic lethalis; lethalia sanguinis sputum, sanguinis mictus, deglutitio laesa, parotis non suppurans, alvus nimis fluxa; neque etiam stricta utilis est, aestu quippe exacerbato; tutior laxa (Hipp.). Cum tremore morbus abit in delirium, inde in mortem. Transit in peripneumoniam, saepe cum delirio; post ingentia alvi tormina quae oritur, pessima; solvitur critice cum rigore (Hipp.).

Causam Boerhaavius cum prioribus quaerit in sanguine partibus blandioribus, liquidioribus orbato, statu inflammatorio universali, viribus validioribus. Occasionem malo oriundo praebent labores, exaestuatio omnis et exsiccatio, quandoque concurrit stimulus epidemicus. Subnascitur laesio cerebri functionum, dum sanguis jam minus liquidus et meabilis, rapidissime tamen pulsus, dilatata vasorum minimorum orificia ingreditur, obstruit, inflammat, simulque tenuissima pars, quae maxime mobilis est, deficit, spirituum secretio et transitus liber per cerebrum et nervos impeditur; hinc delirium, coma, convulsio etc.

Curatio exigit aërem purum, frigidum, novatum saepius; integumenta minime suffocantia vel aggravantia; situm saepe erectum, ut a cerebro impetus prohi-

beatur vel congestio compescatur; potus copiosos, gratos, blandos, demulcentes, crebro sed moderate haustos, subacidos, aqueos, tepidos; facilius enim subcalidus liquor sanguini admiscetur; aqua mulsa, lac recens, cerevisia tenuissima. Cibi conveniunt leves, farinacei, hordeati (ptisana), ex fructibus subacidis confecti. Venae sectio, si morbi initium, plethorae vel inflammationis topicae signa, calor intolerabilis, rarefactio nimia, revulsio necessaria, symptomata urgentia, neque alio remedio facile superanda hanc efflagitant; clysmata blanda, diluentia, laxantia, refrigerantia, repetita, prout vis ardoris, alvi siccitas, revulsio requisita imperat: humectatio totius corporis, hauriendo vaporem aquae calidae blandum per nares, colluendo os et guttur, lavando pedes manusque tepida, fovendo spongiis calidis loca, ubi plurima vasa contactui magis exposita; medicamenta aquosa, blanda, nitrosa, acidula, alvum lenissime laxantia, urinae materiem, sudori vehiculum copia, non irritamentum suppeditantia, emollientia, diluentia, temperantia.

Ubi inflammationis adsunt signa vel futura praespicienda, cavendum est, ne corpore aestuanti gelidus potus affatim ingeratur, etsi complures generatim nimis commendaverunt. Galenus saepe quidem vidit, non paucos a febre ardente statim liberari frigida epota; illis vero humores mediocriter jam percocti fuerant, febre remissa. Aegri momento quidem a frigida potione levamen sentiunt, citissime vero, contractis a frigore vasis, novum aestum, anxietatem etc. persentiunt. Etiam Celsus circa hunc frigidae usum audiendus est. Imo veteres fere omnes inde ab Hippocrate semper aliquid mali a frigida timuisse videntur, largis praesertim haustibus assumta [84]), propterea cautionem commendabant. Aër autem frigidus recte laudatur, quum longe rarior

84) Cf. Aëtius II, 1. 72.

quam aqua sit et illico calescat, dum inspiratur; neque etiam hic gelidissimus tuto admittetur.

Ubi calor maximus circa praecordia et frigus extremorum, anceps est venae sectio. Dum enim circa vitalia viscera immeabilis jam sanguis colligi incipit, et ingens quidem aestus et dolor ibi concitatur, unde syncope facile supervenit; saepe sanguis paucissimus adhucdum versus extrema propellitur, ac totus fere in systemate arterioso detinetur. A venae sectione in tali casu instituta tollitur tenuis unda sanguinis, quae fluida superstes erat, et qua sola cerebri virtus et vita omnis adhuc sustentabatur; hinc summum mortis periculum. Unde patet opportunitas et necessitas venae sectionis circa initium morbi faciendae, dum sanguini, nondum difflata parte tenuissima, expeditus est circuitus. Evacuatis ex parte crassis humoribus, locus erit diluentibus et simil. adminiculis, et inflammatio sic optime praecavebitur. In reliquo febris decursu semper habeatur virium ratio, aetatis, anni temporis etc. Interim etsi adsint venae sectionem dissuadentia, urgeant vero alia, quae nullo alio nisi hoc auxilio possint superari, ut ingens capitis dolor et aestus; tamen et haec tentanda, Celso ipso praeeunte, sed coram medico, praemonitis simul de discrimine aegri amicis; et vena claudatur, simul ac tale symptoma levari incipiat.

A clysmatibus abstinendum est, postquam lingua, fauces, oculi, cutis humescere coeperint, et febris impetus remiserit, aestus decreverit, ne nimis inde vires attenuentur, vel adeo supprimatur febrilis motus, ut causae evincendae impar evadat.

---

§. 135.

Singularem vero attentionem id quod epidemicum in febribus est, requirit, quam circa curationis partem praestantissima auctor uterque, Sydenhamum apprime secutus, praecepit.

Morbi fluidorum, licet nomine ac signis plerisque et aliqua specie eventus iidem appareant incauto, tamen indole tecta, phaenomenis nonnisi perito observatis, vario tempore incrementi, status, coctionis, criseos, effectu, eventu, sanandi methodo requisita, saepe immensum differunt, adeoque requirunt longe aliam medelam et vitae regimen (Aph. 1404 ss.). Hinc semper ex primo et secundo aegro discere debemus, an aliquid praeter generalem methodum requiratur, ac continuo videndum, an adhibita recte valeant.

Pestis saepe exorta est in frigidissimis regionibus, tempestate valde frigida, neque igitur ex constitutione, calore etc. aëris praedici potest; nec notatis diu et quotidie ejusdem calore et gravitate regulae ullae inveniri potuerunt tum Sydenhamo tum Swietenio nostro.

Est etiam, ubi eadem pestis sub larva aliorum morborum aliquamdiu latebat, e. g. pleuritidis, catarrhi, anginae (uti Vindobonae a. 1703); sed non multo post prodierunt bubones et carbunculi. Confirmat noster, quod Sydenhamus animadvertit, morbos intercurrentes de genio dominantis epidemici nonnihil induere, licet ab illo ex propria sua indole omnino diversi fuerint [85]). Antehac quidem plurimi jam notaverant, in graviori constitutione reliquos morbos, si qui forte intercurrerent, omnes vel permultos in popularem abiisse. Sed ubi princeps inter populares, pestis ipsa, saevissime grassabatur, consueti morbi omnes silebant, vel certe statim a primo initio, priusquam propriae ipsis notae prodibant, in dominantis speciem convertebantur.

A peste immunes perstiterunt, domibus suis inclusi, ab omni hominum commercio remoti, ut in monasteriis etc. observatum est. Spatio enim loci intercedente ita diluitur contagium, ut nocere amplius nequeat. Crescente vero aegrorum numero copia illius adeo potest

85) Syd. Sect VI. c. 1.

augeri, ut aërem amplius et intensius corrumpat, itaque ad majus interstitium pestiferi contagii efficaciam extendat. — Praeeunte haec interjicit Diemerbroekio.

Morbi interdum circumvagantur populares, qui omnino anomali nulli typo commode adstringantur, incertamque symptomatum varietatem ostendant, adeo ut idem morbus in ipsissima anni constitutione variam et dissimilem prae se ferat faciem; notante jam pridem Sydenhamo [86]).

Ad detegendum itaque characterem morbi epidemici plurimum confert, ut

1) morbus adhucdum ignotus, recens infestus, ad speciem notam determinetur, cui maxime similis sit.

2) ille observetur, qui eo tempore circa aequinoctium vernum et auctumnale frequentior fuerit (Sydenham).

3) animadvertantur symptomata spontanea, quae mortem, salutem, meliorem, pejorem morbi statum praecedant, comitentur, sequantur; speciatim

4) notetur, quomodo, quae inevitabili ritu egeruntur vel ingeruntur, juvent aut noceant. Diversa enim methodus in morbo apparenter eodem populari conduxit, solaque doctrina nocentium et juvantium potest hic tutam in praxi dare regulam.

5) comparentur plures eodem tempore aegrotantes simul, inprimis in morbi initio. Sic e. g. a manifestis remissionibus, stato tempore redeuntibus, fractum morbum in intermittentem transiturum concludimus, talesque febres, licet sub continuarum larva decurrant, cortice peruviano tollere poterimus.

6) abstineatur ab omni auxilio, quod dubium est, valde movens, mutans, tectum morbi genium obscurans, monente jam Hippocrate (de locis in homine cf. supr.). — Imitandus Sydenhamus, qui diluentia hic da-

86) S. I. c. 2.

bat, putredini adversa, sitim sedantia et simul victum tenuem ex talibus, quae vires sustinere possent, nec tamen corpus gravarent. Cavendum vero semper in hoc est, ne aeger suspicetur, quod medicus spectatorem agat tantum; crederet enim se negligi. Dandum itaque ex largo apparatu eorum, quae certe nihil noceant, et tunc inprimis locum habent, ubi nihil agendum esse ars dictat.

Ex his omnibus accuratissime observatis indicatio prodit tutissima. Etenim non causarum, sed methodi convenientis atque experientia comprobatae cognitione plurimorum affectuum curatio absolvitur. Propterea de causis epidemicorum ambigere aliquis potest, sed curare eos recte [87]). —

Omnium periculosissimae febres nascuntur, quando stimuli s. causae occasionalis summa efficacia, miasma, contagium, cum magna sanguinis spissitudine conveniunt. Tunc febris virtute densitas haec difficilius solvitur, et nascitur inflammationis metus et periculum. Hippocrates jamjam adnotaverat, exercitata corpora et densa ab acutis quibusdam morbis citius perire, quam non exercitata; quippe quorum sanguis tenuior, facilius diluitur et subigitur. Hinc variolis sanissimi et robusti juvenes, quibus sanguis est densissimus et facile concrescens, toties interimuntur; debiles et languidi emergunt longe frequentius. Hinc atrabilariae febres Hippocrati, Galeno aliisque veterum tantopere horrebantur.

Quum ergo et humorum illa diathesis et stimulus irritans vario gradu et modo in febribus inter sese concurrere et multifariam agere observentur, patet, morbi indolem, decursum, phaenomena et sanationem omnino diversa esse posse, potissimum in febribus privatis, sporadicis, quum in singulis fere hominibus a diversis causarum momentis concilientur. In febribus autem epidemicis cum causam irritantem habeant eandem, major

87) Cf. Boerh. Aph. 604. c. comm.

similitudo per totum morbi decursum observatur, quum tota varietas in his tantum a diversa temperie aegrotorum nascatur.

---

§. 136.

In petechiali febre materiam criseos vice ad cutem ablegari perhibet Swietenius. Si quidem debito tempore, quarto inprimis, septimo vel etiam, ubi remissior erat morbi impetus, decimo quarto die eruptio fieret, exanthemata vero non admodum numerosa et rubri coloris essent, felix erat eventus; pulsus antea debilis insurgebat emergentibus petechiis, et reliqua symptomata, delirium etc., jam cessabant, vel certe plurimum imminuebantur. Quando vero maculae non efflorescebant omnino, vel lividae prodibant, aut nigrae, numerosissimae, summum periculum aderat; et in illis, qui sic occumbebant, paulo ante mortem vestigia quidem eruptionis apparuerunt, sed profunde sub cute petechiae videbantur delitescere, quasi morbi atrocitate natura devicta inceptam metastasin criticam absolvere non potuisset. Pessima etiam illico prodibant symptomata, si subito iterum petechiae disparerent.

Quam ob rem sedulo pervestigandum est ingenium morbi, cui petechiae forte adjunctae sint. Subinde enim fiunt a nimio febris impetu, praesertim praepostero usu regiminis calidi vel cardiacorum stimulantium. Tunc quidem boni nihil ab hac eruptione licet sperari. Aliquando vero profuerunt in populari constitutione. In priore casu febris valida, calor ingens et inflammatorii morbi signa infestabant. In posteriore pulsus debilis, celer, vires omnes prostratae et fallax circa initium morbi lenitas apparebat; levamen autem observabatur ab exanthemate prodeunte.

Gradus malignitatis in petechiis offendit varius. Quandoque enim rubent et videntur leves tantummodo

inflammatiunculae in vasis cutaneis esse, plerumque sat cito resolvendae, vel cum levi desquammatione abeuntes. Alias cinereae, fuscae, purpureae, nigrae sunt, eaeque pejoris notae; forsan ab ecchymosi subcutanea, colorem sensim mutante, tandem evanida. Ubi autem vera necrosis, cutis nigra, livida vel plumbea talia exanthemata facit, summa adest morbi atrocitas. Tunc nunquam paulatim disparent iterum; verum si evadunt aegri, gangraenosae et emortuae cutis partes, ulcere in ambitu nato, a reliquis separantur. Memorat Swietenius constitutionem petechialem, in Gallia quondam grassatam, aegris intra biduum vel triduum e medio sublatis; illis autem, qui evaderent, totam fere cutem cecidisse; vermes decessisse iis, quibus promte succurreretur, deinde vero exanthemata prodiisse. —

Cura exanthematum febrilium omnino non difficilis est, quum raro quidquam requirant, nisi ut per satis largam levis liquidi copiam mobilis servetur materies, et vis vitae in justo moderamine contineatur assidue. Diluentia igitur proficua sunt, ad vasa laxanda, quo magis expediatur humorum circuitus (praeeunte Frid. Hoffmanno). Infusa diluta; leniter aromatica, quae ad diaphoresin praeparent absque sanguinis exagitatione. Per sudorifera aegri saepe subito necantur.

Desquamatione obtinente leviter purgare, haud absurdum est; veluti post morbillos. Sordes primarum viarum, a quibus exanthemata quandoque fiunt, emetico vel laxativo medicamine utiliter expelluntur.

JOANNES HUXHAMUS [88]).

§. 137.

Quae typhode statu plurimum infestarent febres, in duas species accuratissime discrevit sagacissimus obser-

---

88) Opp. physicor. medica. T. III. ed. Reichel. 1764.

vator, tum quoniam habitu mali et decursu nec non causarum momentis differre videret, unde sedem morbi et rationem internam statuebat diversam; tum maxime, quia valde differentem per se singulae medendi methodum requirerent, etiamsi altera cum altera nihilominus misceri possit saepiusque vere mixta fuerit. Alii quidem diu ante nostrum eandem discriminis rationem habuerant; sed quum diligentiore hic et evidentiore simulacro morbum utrumque distinctum ante oculos proposuerit, hactenus palmam prioribus videtur praeripuisse, ut ipsius maxime praeeuntis exemplum et usum describendi intuentes ex posteris permulti, adeoque nostra etiamnum memoria, febres istas effinxerint. — Dum de utroque febrium ordine seorsim atque ita dicendum est, ut discriminis constituta ratio satis eluceat, praemittantur, quae melius compertae ex suppeditatis auctorum relationibus hucusque habentur; sequuntur, quae vulgo minus expresse a veteribus descriptae negligentius habuisse viderentur, ab Huxhamo autem, quasi instaurata memoria, debitam considerationem adeoque celebritatem nactae sint.

Febres putridae dictae, malignae, petechiales [89]), quae alteram speciem febrium proprie typhosarum efficiunt, fomitem habent in sanguine male temperato, acri utplurimum vel in dissolutionem qualemcunque prono, quippe quae diathesis incongrua, latens aliquamdiu, febre ipsa accedente exagitetur. Ceteroquin et contagionis via propagatur et pestilentis in modum dominans homines jam cujuslibet constitutionis, inquinato per contagium sanguine, infestat ac propterea magnam edit symptomatum diversitatem.

Adoriuntur autem hae febres in genere majore cum vehementia, quam quae inferius describentur, nervosae, lentae; rigore fortiori, aestu utplurimum in-

89) De febrib. C. VIII. (Opp. T. II. p. 94.)

tensiore et constantiore, in principio tamen subitaneo, transeunte ac remittente. Pulsus in his modo fortior est aut durus, plerumque vero celer et debilis, quandoque lentus et aliquamdiu aequalis, mox autem tremulus, inaequalis. Concurrunt sub initio vertigo, nausea, vomitus, dolor capitis vel circa tempora, vel ad supercilia vel ad orbitas penitior; oculi magni, tristes, flavescentes, haud raro nonnihil inflammati; facies tumidula, pallescens, cum pulsatione arteriarum temporalium et aurium tinnitu valde molesto; serius carotidum vibratio magna, licet carpi pulsus mollior sit, imo lentus, utpote deliria annuntians proxima. Saepissime simul urget languor egregius et subito invadens virium prostratio, licet evacuatio minime praecesserit et pulsus adhucdum sat fortis appareat; respiratio laboriosa, anhelans, cum spiritu ipso calido, taedioso, saepius intercepto. Frequens morbi praecursor et comes est dolor gravis ad dorsum, coxam, ad artus, ad cor; aestus circa praecordia; vomitio biliosa, porracea, nigra, saepius graveolens cum singultu molesto. Lingua, in principio quidem alba, in dies nigrescit arescitque, interdum livet, splendet cum pustulis in apice obscuris, in fastigio morbi maxime arida, rigida, atro-aurantiaca vel adeo nigerrima, unde vox impedita, intellectu difficilis, obscura. Sitis crescente morbo plerumque intensa, quibusdam fere insatiabilis, sapor vero amarus, vapidus; aliis adipsia adest, ore et lingua summopere siccatis, quo facto phrenitis et coma non longe abesse solent. Dentes et labia circa statum morbi nigris et tenacibus sordibus obducta.

Urina primum quidem cruda saepius, pallida, paulatim coloratior, absque nubecula vel sedimento, serius obscurior fit, cerevisiae saturatae similis colore, graveolens, in petechiali statu passim nigra, cum foetore vel sedimento fuliginoso. Alvi dejectiones in incremento aut circa declinationem morbi haud raro foetidissimae,

virides, lividae, nigrae, cruentae, cum torminibus severis; in meliore statu rerum flavae magis et obscurae; pessimae, diversicolores, involuntariae, vel non sentiente aegroto. Pessimum item, abdomen a profusis dejectionibus durum manens ac tumidum, tensum, ob periculum inflammationis aut nascentis gangraenae. Diarrhoea mediocris, saepe valde salutaris et proprie critica.

Certissimum mali moris indicium maculae sunt si prodeunt nigrae, lividae, virides, fuscae; meliores, floridae; bonum, si nigrae aut violaceae floridiorem induunt colorem. Quae magnae sunt, lividae etc. cum haemorrhagia profusiore saepe junguntur; minoribus non levius periculum subest, ut quae ingentibus, frigidis, viscidisque sudoribus, minime levamen secum ferentibus, crebro stipantur, haud raro inde evanidae, statu non emendato. Dies eruptionis incertus, quartus, quintus, undecimus vel posterior adeo aliquis. Vibices raro prius quam versus mortem comparentes, certo fere lethales, si cum frigore et livore extremorum incedunt; quandoque etiam exanthema morbillis simile, sed profundioris et luridi coloris, unde cutis et pectus speciatim marmorae instar, variegatum est, non minus infausto omine.

Interdum circa undecimum aut decimum quartum diem a sudoribus profusis disparent petechiae, succedentibus in earum locum pustulis albis miliaribus, id quod raro proficuum noster animadvertit; rubrae autem, prurientes plerumque insigniter levabant: similiter pustulae latae, ardentes, aquosae, in genis aliquando, pectore, humeris et alibi prorumpentes. Nec non scabiosum exanthema, circa labia et nares, praecipue si ardet gravius et prurit, salutem sat certo pollicetur. Multo vero magis ancipites, imo funestae sunt aphthae subrufi obscuriorisque coloris, vel insigniter albae, largae, lardaceae, ut quas cito sequitur magna deglutiendi difficultas, dolor et exulceratio faucium, oesophagi, cum perpetuo singultu, dysenteria cruenta, sa-

niosa, nigra, foetidissima, quam sphacelus intestinorum excipit.

Aegri maximam partem tristes decumbunt, ingemiscentes, stupidi, comatosi, nonnihil delirantes; permultis phrenitis ipsa supervenit, cum pervigilio, tremoribus, convulsione, tendinum saltu, mortem annuntiantibus [90]). Passim pro ratione constitutionis popularis parotides erumpunt, catarrhalia symptomata complicantur, peripneumonica et simil.

In constitutione a. 1740 petechiali multis haemorrhagia narium salutaris evasit; paucae autem, acres, subcruentae guttulae, funestae; nocebat etiam profusio nimia; surditas diu durans, apostemata circa aures levamen ferebant, nec non pustulae largae, more variolarum, modo majores, modo minores. Levis alvi fluxus circa undecimum diem accedens faustus habebatur; optimum vero et certissimum salutis instauratae signum erat sputum liberum et copiosum cum sudore benigno. Perraro tunc sedimenti aliquid urina deposuit per totum morbum; saepe admodum mutabilis perstitit. Nocebat piscium usus, inprimis scombri, plebi (Plymuthensi) familiaris, quippe humorum intemperiem adaugens.

Gignitur enim morbus ex putridis effluviis, nutrimentis incongruis, acribus, salinis, ex sordibus et squalore, quapropter in carceribus vulgo grassatur, in nosocomiis et navibus. Augetur mala diathesis medicamentis acribus, volatilibus aromaticis, calefacientibus.

Curatio, licet debilitas subitanea dissuadere videatur, plerumque tamen aliqua sanguinis detractione recte instituitur, ut non moles solum movenda, quippe laesis instrumentis moventibus, diminuatur, et liberior vasorum contractio fiat; sed etiam ut inflammatorius aliquis in cerebrum vel pulmones, vel aliam partem nobiliorem impetus, ut qui solemnis huic sanguinis temperiei est,

---

90) Cf. hist. febr. nauticae pestilentis a. 1740. (T. I. p. 234).

prohibeatur, et aestus simul forte nimius compescatur. Postulant venae sectionem pulsus celer, tensus, aestus acrior, magna spirandi difficultas, cordis palpitatio, dolor capitis et dorsi vehemens, habitus aegri robustus. Caute tamen in contagiosis febribus mittendum est, quia a contagio ipso solidorum robur frangi solet et sanguis velut a fermento dissolvi, neque symptomatum apparenti intensioni adeo multum confidendum est. Itaque licet prima quidem sanguinis missio admodum convenire videretur, iterata tamen facile erit perniciosa, et qui sanguis prima vice haustus floridus cernebatur, altero die detractus, lividus plerumque et tenuior apparet. Pulsus etiam post alteram missionem, interdum post primam adeo, mirum in modum decrescit, qui antea fortis et tensus haberetur. Monet noster, ne, Sydenhami successui in curandis pestilentibus febribus egregio nimium confisi, ultra modum antiphlogisticam methodum extendamus. Illius rationem medendi locum habere duntaxat in lentore sanguinis inflammatorio; occurrere autem febres, quae aliquo modo plura, quam lanceolam, cerevisiam secundariam et purgans, requirant; easque sanguinis missione et purgatione intempestiva saepius valde protrahi et anomalas ac periculosas reddi.

Quum effluvia morbi cum saliva potissimum deglutiantur, vomitu excitato aliqua ex parte a natura rejiciuntur. Cujus ope quoque biliosa, acris, putridaque, quae forte adest, colluvies educitur, quae alioquin corruptione increscente morbum primarium valde adauxisset. In quo negotio natura arte utiliter adjuvatur, lenibus quidem medicamentis. Mera calida aqua ad vomitum eliciendum improbatur, ut adjumentum incertum, saepe nocens aucta ventriculi relaxatione.

Quodsi purgato stomacho non cessat vomitus, parum theriacae cum potione Riveriana porrigatur, fomentum aromaticum cum theriaca plerumque compescendo symptomati sufficiet.

Neque vero ventriculus solus, sed totus intestinorum tractus vacuandus est, mediocri medicamine, vel clysmate emolliente, pro re nata saepius repetendo; si quidem momenta vulgo purgationem indicantia exstiterint. Inde mire saepe relevatus est aeger, utpote prohibito materiae biliosae, putridae in sanguinem transitu. Pessime nocuerunt cathartica; nam leniter naturae opus promovendum est. Generatim, ut res flagitare videtur, octavo aut nono die commodissime purgabitur, nisi eruptio quaedam salutaris appareat, vel sudor bonus. Quodsi ex moderato forte purgantium usu effrenis alvi dejectio concitata fuerit, restringatur alexipharmacis, theriaca, vino rubro, quod cum cinnamomo percoctum sit, vel clysmate adstringente. Caute vero incedendum hic est; nam critica aliqua diarrhoea non nisi cum periculo compescitur; consultum itaque hic illic videtur, unam aut alteram dosin radicis rhei praemittere. At criticum esse alvi fluxum, nihil certius testatur, quam si benignus sudor mediocris vel calidus cutis mador istam comitantur.

Etiamsi vero saepius natura materiae evacuationem per vomitum vel alvum instituat; tamen constantior et solemnior via per cutis exhalationem instauratur, qua sine non videtur unquam talis febris rite judicari posse. Prodest autem sudor modicus, calidus, per totum corpus aequalis, qui circa statum morbi accedit, cum pulsu paulo ante liberiore, molliore, tranquilliore; timendus est profusus, praecox, frigidus, viscidus, inaequalis, velut circa caput vel pectus prorumpens. Utilior evadit, qui natura, quam qui arte excitatur; hinc minime extricandus est pellentibus medicamentis, vel regimine sudorifero; potius alendus uberioribus diluentibus et acidulis potionibus, cardiacis blandis et leniter diaphoreticis.

Praestat vero, evacuatis primis viis et sanguinis, ubi opus erat, instituta missione, cunctare paulisper, ut, quo natura vergat, comperiatur, neque farragine medicami-

num devia haec agatur. Quapropter diluentia quaedam subacida, velut alterantia, utilissime interponuntur, quibus crisis bona praeparetur; nisi forte virium ingens lapsus vel alius gravior casus alium agendi methodum requirant.

Ceteroquin varianda medicatio est pro varietate constitutionis aegri, temperamenti etc. Aliis igitur magis, aliis minus nocebunt calida medicamenta. Promiscue vero tonus vasorum tuendus est, putredinis progressus retardandus, avertendus; quo consilio acida plurimum conducunt, passim etiam subadstringentia alexipharmaca. Absit spirituum alcalino-volatilium usus, utpote dissolutionem sanguinis adaugens, uti ipsa miasmata pestifera maxime a putridis cadaverum exhalationibus proficiscuntur. Certe acidis alexipharmaca acriora temperentur.

Vesicatoriorum applicatio caute coërcenda, quippe qua multi abutuntur. Locum habent proprium declinante morbo; porro generatim ubi solida torpent, humorum circuitus languescit, vitalis facultas dejecta est et comate aeger occupatur, quocunque febris stadio talia comparuerint. Aliter subministrata perniciosa saepe evadunt pervigilio, delirio, urinae suppressione, tremoribus, subsultibus etc. inductis. Sequitur noster Baglivum de usu vesicatoriorum praecipientem. Temperatur acrimonia cantharidum sero lactis, emulsionibus, potu demulcente subacido.

Camphora his febribus egregie prodest, lenem sudorem promovendo, minus quam alcalino-volatilia exaestuando, irritationem potius pacando et somnum inducendo virtute sua demulcente paregorica, quando opiata quidem nihil juvant, imo tumultum accelerant. Haec enim, si unquam in his febribus opportunitas datur, parca tantum copia praeberi debent, dosi toties, quoties indicatur, repetenda; theriaca, mithridaticum, diascordium. Ubi stomachum camphora offendit, facilius feretur aceto

vini calido soluta, et optime tale connubium conducit perspirationem promovendo, recreando, pacando.

In decremento febrium putridarum, petechialium, uti alias in similibus rerum conditionibus, languente jam naturae facultate, nostro plurimum profuit tinctura propria alexipharmaca ex cortice peruviano, flavedine cort. aurant., radice serpentar. virg., croco et coccinellis parata [91]), elixirio vitrioli admixto. Commendaverunt et secundum nostrum plurimi. Solidas enim partes haec medicina videbatur roborare, majorem sanguinis dissolutionem avertere.

Quando phrenitis ingruit, quippe quae nullo non tempore potest accidere, praecedente saepe rigore ac febris exacerbatione, protinus enemate alvus ducatur, si adstricta fuerit; ubi furor urget, cucurbitulae scarificatae humeris ac cervici affigantur, posthac epispastica pone aures, ad occiput, vel etiam ad femora vel tibias, praesertim ubi vis naturae torpet et pulsus debilis est. Si vigiliae urgent, diacodii nonnihil interponitur.

Quum haud raro morbus longius trahatur, opus est, ut victu et potu aeger convenienter nutriatur, ne deficiat. Praestantissimum adjumentum in vino generoso rubro est, quo arte vix melius quidquam paratur, opportunum praecipue in statu et declinatione febrium, optimeque temperandum succo aurantiorum vel limonum. Plurimum etiam laudatur vinum album Rhenanum, Gallicum, aqua dilutum, vel pomaceum pro potu offerendum [92]).

§. 138.

In hac artis et scientiae parte, quod prioribus acceptum referebat, Huxhamus confirmavit quidem egre-

91) Vid. T. II. p. 118.

92) Cf. d. aëre et morb. epidemic. Plymuth. a. 1740, 1742. Opp. T. I. p. 237. 268.

gie, propriis usus observationibus, novi vero vix aliquantum de suo adjecit. Vere autem adauxisse disciplinam et praeceptor medicis exstitisse videtur, dum animorum attentionem cum feliciore primus successu ad febres quasdam sui generis dirigebat, quae ad nostrum usque auctorem, licet memoratae saepius *) variisque passim nominibus insignitae, nondum tamen curatius distinctae fuerant, profecto quidem medela conveniente a prioribus, utut ceteroquin affinibus, differentes.

Descriptionem harum febrium edidit [93]) ad ipsam naturam, provocatus, ut ait, et adjutus frequentia morbi tum magis quam antea divulgati. Lentas dicit in discrimen malignarum putridarum, quoniam fere paulatim adoriuntur absque impetu ferociore, attamen in longius temporis spatium protrahuntur symptomatibus conspicuae minus turbulentis; nervosas autem simul, quoniam non, uti putridarum, praecipua in sanguine, sed in tenuioribus potius humoribus, nerveis scilicet ac lymphaticis unaque in solidis partibus, nervis proprie, ingravescente debilitate sedes ac fomes morbi retineri appareat.

Aeger in principio piger est ac levem persentiscit horrorem et tremorem cum errante repentino calore et defatigationis aliquo sensu, dum obambulat interim, oscitans, pallescens, pusillanimis, capite gravatus, vel dolens, vel vertiginosus, temporibus quasi adstrictis; inquietus; modo etiam somnolentus, frustra tamen somnum aspirans. Mox sequitur nausea, omnium rerum fastidium absque insigni aliqua siti, haud raro cum vomituritionibus, quibus tamen praeter pituitam paucam insipidam vix quidquam rejicitur. Ingravescunt symptomata spatio aliquo remissionis interposito, praecipue versus noctem,

---

*) Innuit Hippocr. in Coacis passim, Celsus (d. morb. cardiaco), Galenus (d. febr. pest. hectic., febr. phlegmatica) etc.

93) Tom. I. p. 163. — T. II. cap. VI, VII. cf. p. 27, 35.

calor increscit, pulsus acceleratur, jam vero debilior, cum respirationis difficultate. Torpor vel dolor obtusus et frigoris sensus ad occiput, haud raro gravis dolor in vertice, ad suturae coronariae longitudinem, quem plerumque excipit delirium.

Talis rerum status per quinque aut sex dies protrahitur. Interea pulsus celer est, debilis, inaequalis, passim formicans, lentus, imo intermittens; atque tunc cum repentino oris rubore statim fit celerior, mox iterum quietus, omni modo variabilis. Calor et horror incerti, mediocres, inaequales, adeo ut genae interdum rubeant, dum nares et aures frigent; caput ardeat, pedibus algentibus etc.

Urina plerumque pallida est et limpida, vino ad colorem similis, absque sedimento, vel cum materia laevi, furfuracea, ad fundum inaequaliter dispersa. Lingua in principio raro aut nunquam sicca vel discolor, interdum leviter albescens; tandem vero in statu vel fine morbi saepius arescit, rubet, et fissa est, aurantiaco colore; labia simul sicca; nihilominus sitis vix ulla, neque alius rei desiderium.

Circa septimum aut octavum diem augescunt vertigo, dolor aut gravedo capitis, cum perpetuo aurium susurru vel tinnitu molesto, delirium saepe inducente. Magis urget languor, anxietas praecordiorum; anima erecto corpore delinquens, sudor frigidus in fronte et manuum dorso subito erumpens, cito evanidus, genis tamen et palmis simul aestu ardentibus. Jam si urina pallidior et limpidior redditur, simul cum tremoribus, tendinum subsultu; certissime instat delirium. Id quidem raro violentum est, potius mursitans, placidum; subito saepe ad se redeunt aegroti, sed mox in confusionem mentis relabuntur, palpant, stragula contrectant.

In hoc statu morbi lingua valde tremula est, arida in medio, margine utrinque flavescente, quae si eo tempore humidior fit et sputum accedit copiosius, optimum

habetur. Malum vero, ubi deglutitio difficilis, ructus perpetui, singultus vel pectoris constrictio fatigant.

Paulo post profusus saepius erumpit sudor, circa extrema plerumque frigidus ac viscidus; dejectiones alvi tenuiores, utraque vero colliquativa, vires valde deficientia. At vero cutis calida et humida in genere salutaris est, nec non diarrhoea mediocris, qua saepius delirium et coma prohibentur.

Sed ubi male res cedit, extrema mox frigent, pallent ungues et livent, pulsus magis obtremiscit, vermicularis, saepissime intermittens. Aeger omnibus sensibus orbatus, stupidus jacet, luce et clamore vix adhuc afficitur, licet ab initio multum inde proritaretur. Delirium comate excipitur mortem proxime praeeunte. Alvi dejectiones, urina, lacrimae defluunt inscio aegro et invito, scenam claudit convulsio, transactis per morbum circiter quatuordecim vel sedecim, interdum multo pluribus diebus.

Meliorem exitum sperare jubent quae cum aurium abscessu finitur surditas, parotis suppurans aut pustulae multae circa labia et nares.

Quandoque pustulae, papulae aut maculae cutem deturpant; tunc febris utplurimum contagiosa est; pestifera, ubi aphthae nigrae, petechiae fuscae, lividae, atrae aut vibices apparent, praesertim si accedit alvus cita, plumbea, nigra, colliquans aut sudores oleosi. Prosunt autem non raro aphthae albae, benignae; papulae rubrae, floridae, copiosae, turgidae, miliares, statu morbi erumpentes, praecipue si sputa contingunt liberalia, urinae multae, crassae, subsidentes.

Grassantur hae febres, uti putridae vulgares, quum temperies humida et crassa nebulosa aëris diutius continuaverit, potissimum adjuncto calore insolito; rarius autem quam illae contagium invehunt, minusque virulentum et praesentaneum. Gignuntur eaedem in hominibus utplurimum, qui nervis debilibus, habitu corporis

laxo et sanguine tenuiore utantur, qui magnas pertulerint evacuationes, diuturna, uti ex morbo, virium vitalium dispendia, vigilias immoderatas, anxietates, curas, lucubrationes, defatigationes etc., non minus in iis, qui alimentis diutius et largiter nutriebantur crudis, insalubribus, vapidis, glutinosis, mucilaginosis, ut cucumeribus, melonibus etc., qui in aëre insalubri diu retinebantur. Existunt etiam a febribus simplicibus, intermittentibus inflammatoriis, favente constitutione aegrorum, vel vitio curationis institutae, ut per nimias evacuationes et simil.

Manifestum hinc est, morbum a solidorum nimia relaxatione, sanguinis tenuitate (ut qui lividus emittitur, cum tenui crassamento, valde serosus) et a lentore et intemperie humorum lymphaticorum nervosorumque ortum habere. Cui rerum conditioni plurimum conveniet methodus medendi demulcens, stimulans, attenuans, roborans.

In cura igitur instituenda non conveniunt evacuationes insignes, neque sanguinis missio neque purgatio; et si unquam detrahendus sanguis est, id certe ineunte solum morbo et parca utique manu agatur. Tutius longe detrahitur cucurbitulis, potissimum delirio, comate etc. urgentibus. Effuso cruore pone aurem utramque vesicatorium utiliter applicatur, ubi dolor capitis aut vertigo plurimum infestant. Post paucas horas emeticum lene nostro familiare fuit, idque eo magis, ubi nausea, repletio et saburra ventriculi concurrebat. Videbatur inde universum systema vasculorum valide agitari et lentor inhaerens exsolvi. Quodsi alvus post vomitum satis non responderet, leni enemate ex lacte saccharato ducatur, idque in posterum tertio quoque die. In ipso principio morbi, manna, rheum et similia quandoque conveniunt. Iisdem adminiculis et urinae secretio rite sustinetur.

Nunquam non per totum morbum, etiam ab initio, juvant epispastica, jugiter admota, inprimis, ut

dictum modo fuit, capite plurimum occupato; tunc etiam occipiti deraso optime adhibentur. Neque ita cruciant adeo tales aegros; imo gravem ob stuporem vix sentiuntur; quo major autem inflammatio inde excitatur ac dolor, eo plus spei plerumque affulget.

Ad internum usum commendanda prae ceteris sunt blande nervos excitantia, leniter alexipharmaca, temperantia, diaphoretica, cephalica. Plurimum laudatur camphora, quae salutiferos excitet sudores, permeando et attenuando lentos humores, somnum opio saepe felicius conciliet, eoque potentius deliria dispellat. Optime jungitur gumm. galbanum vel silphium. Opiata autem omnia fortiora plerumque valde sunt perniciosa, licet postulare videatur inquietudo et somni defectus.

Notandum probe est, nunquam tam bene habere aegrotos, quam cum blando et mediocri sudore madescant; ita enim caloris exacerbatio, humorum celeritas etc. removentur, morbus brevi discutitur aut paulo post in remittentem vel intermittentem mutatur, et vires prompte recreantur. At vero profusus sudor nullo unquam tempore, speciatim circa initia et incrementum febris, augeri, multo minus calidis fortioribus medicamentis, volatilibus alcalinis etc. provocari debet, unde plurima damna, ut saepius animadvertebatur. Acquiescendum in mitioribus diaphoreticis, ut pulv. contrajervae comp. cum pauxillo castorei, theriacae, croci, quibus aucta perspiratione tumultus symptomatum compescitur.

Dum haec subministrantur, diluendum affatim est potione miti, sero lactis, ptisana cum pauco vino blandiore. Moderate sed crebro bibendum. Raro aqua pura frigida conducit, quippe quae difficilius sanguini videatur admisceri, quam si cum saccharo vel saponacea aliqua materia percocta fuerit. Juvat et jusculum pullorum gallinaceorum tenue tum alimenti tum medicamenti loco, inprimis morbo jam declinante; gelatina cornu

cervi et similia addito succo aurantiorum vel limonum vel vini pauxillo.

Interdum anxietas, calor singularum partium inaequalis, spirandi difficultas, grave pondus et oppressio praecordiorum etc. pro peripneumonia minus cauto observatori imponunt; cavendum hic a sanguinis missione, sed nervinis, cardiacis et vesicatoriis agendum est, adjectis temperantibus. Dicta symptomata eruptionem miliarem saepe praecedunt, quae septimo, nono, undecimo die et serius etiam supervenire amat, conspicuo saepe cum levamine, praecipue si floridum exanthema est et turgens. Quam maxime tunc cavendum a frigore et evacuationibus. Lenia subinde porrigantur cardiaca, quibus mediocriter naturalis motus juvetur. Nocet autem et in hac eruptione sudor profusus, quare moderari noster tentabat vini generosi rubri pauxillo, optimo cum eventu, uti Celsus vinum austerum, sed tenue et meraculum, suasit in morbo cardiaco, qui colliquativo insignis erat sudore. Praeterea versus decrementum morbi, quando sudores abundantes admodum debilitabant, parcam dosin Huxhamus de tinctura sua alexipharmaca (de qua vid. §. praec.) utiliter exhibebat, interposito interdum rhei pauxillo, ut putrida colluvies ex primis viis exterminaretur. Hinc si simul remissio et intermissio, ut crebro accidit in decremento febris nervosae, magis manifestae fierent, corticis peruviani exstitit opportunitas. Eum vero cum potionibus salinis, ex sale absinthii succoque limonum paratis, noster propinabat, utpote tali connubio multo efficaciorem. Etenim breviores inde has febres fieri videbat.

At vero quando fusca exanthemata, livida, nigra, pestiferum morbum indicabant, adjunctis saepe alvi dejectionibus sanguinolentis, tunc ad alexipharmaca adstringentia, acida, cum cortice peruv., elixir. vitriol. Mynsicht., radic. serpentariae et similia mox confugien-

dum est. Magni etiam in tali casu faciendus est usus vini austeri cum aromatibus cocti.

Optimi praesagii salivatio est copiosa, cum sine aphthis contingit, quippe quod signum cum cutis mediocri madore junctum, spem salutis erigit, ceteris indiciis quantumvis forte displicentibus. Aphthis supervenientibus occurritur gargarismate emolliente, detergente.

Quod ex pituita tenaci faucibus haerente interdum nascitur suffocationis periculum, emesi leniter concitata optime diffugatur, quocunque tempore morbi id acciderit.

Nec minus utilis sub morbi finem alvi lenis purgatio est, interpositis subinde cardiacis et paregoricis, ut, quae morbi materies ex arteriis meseraicis in intestina deposita est, natura duce evacuetur. Neque exinde diarrhoea aut dysenteria adeo timenda est, ut potius tutissime sic praecaveatur.

In omnibus his evacuationibus plenior, reficiens ac diluens victus necessario suppeditandus est; stupidi jacentes saepius ad cibum capiendum solicitentur. Evacuationes autem ipsas, etiamsi interdum profusae fuerint, ne tamen cito cohibeas, nisi multo periculosiorem materiae morbosae translationem in organa vitalia velis efficere; ideoque aër frigidus, linteamina frigida, liquores frigidi minime conveniunt. Quin etiam ipsorum vesicatoriorum effectus in hoc casu non nimis cito sunt intercipiendi; quo plus enim illa eliminant, eo melius in genere est. Bonum etiam plerumque, si suppurant; nam non tantum stimulo, sed humorum etiam eductione utilitatem praestant, et imitari quasi naturam videntur, dum pustulas ipsa ardentes, haud raro suppurantes largeque manantes circa statum hujus febris vel decrementum propellit. Alvi fluor nimis profusus rite coërcetur medicamine cardiaco, opiato, ut theriaca, et similibus, quae irritationem compescendo perspirationem cutaneam, ut convenientem morbo secessionem, promoveant. Ita in omni artis molimine id sedulo cavendum est, ne na-

turae conamina perturbentur, quae in tanta casuum varietate non uno eodemque semper instrumento exterminandi utitur. —

Febrem hanc nervosam lentam Rich. Manninghamus [94]) febriculam dicit, fereque eandem plane medendi normam, quam Huxhamus, commendat.

J. Pringlius [95]).

§. 139.

Febris ardens populariter grassata est per exercitum Anglorum, a. 1748 inter Batavos considentem. Aestas erat et regio insalubris, sterilis, paludosa; aër gravis, calidus, nebulosus, humidus. Morbus adoriri solebat cum repentina cephalalgia atroci, statim saepe adjuncto delirio; quibus mens constabat, querebantur insuper de diris dorsi et lumborum cruciatibus, siti vehemente, aestu gravi, nausea et oppressione epigastrii, vomituritione et vomitu ipso bilioso. Quibusdam per alvum biliosa dejiciebantur cum tenesmo et torminibus. Febris ab initio plerumque remittens erat, praesertim ubi vena secta et primae viae rite purgatae fuerant; quae si negligebantur, morbus fere continens saeviebat. Magna fuit in putridam dissolutionem propensio, adeo ut nonnullis maculae et vibices, quin etiam sphacelus extremorum supervenirent, exitu omnibus fere lethali. Boni ominis vulgo existebat remissio manifesta, protracta, nec non sudores largi, inter et ante ipsam prodeuntes, vel a delirio somnus profundior, ex quo expergefierent mente restituti. Nonnullis per alvi vel urinae evacuationes morbus judicabatur; salutaris praecipue diarrhoea verminosa. Lethaliter decumbentibus

---

94) The symptoms etc. of the little fever. 1746.
95) On the diseases of the army.

pulsus passim perstitit sani similis, vel bonus; qui perierunt, omnes gangraena vel maculis violaceis conspicui fuerunt. — Febris erat biliosa inflammatoria, quae statu putrido exitium adferebat; similis morbo Hungarico priorum, et more suo febrem auctumnalem remittentem cum nosocomiali consociatam videbatur referre, de qua utraque statim dicetur seorsim. Exorta fuerat in castris militum, contagium contrahebat ex gravitate aëris in angustis cubiculis, in quibus conferti habebantur aegrotantes. In genere noster vidit a contubernio aegrorum nimis frequenti et numeroso symptomata morborum promiscue putridorum, epidemicorum, contagiosorum atrociora reddi, uti in dysenteria, variolis, peste. In epidemia illa Batava dies plurimum graves, aestuosi noctibus excipiebantur frigidis, humidis, in regione uliginosa, utpote in qua febres auctumnales frequentiores et pejores existunt, quam alibi locorum. Favebat autem huic loci iniquitati tempestas anni per totam Europam egregie insalubris, aegrorum contubernia densa, uti memoratum, et cadavera diu jacentia insepulta, adeo ut solemnis regioni et endemica febris in pejorem hanc indolem degeneraret [96]). —

Frequentiores et magis perniciosae febres putridae nascuntur in terris australibus, paludosis, quippe aestu diutius perseverante; hinc pestilentem adeo morem assumere possunt, monente jam Celso [97]).

Dictas febres recognoscit noster etiam in Hippocratis constitutione pestilente [98]); etiamsi certum non habeatur, illas terras paludosas fuisse et inundatas; convenit tamen morbus Graecus cum Batavo ratione tempestatis et symptomatum. Similis rerum status obtinet in Aegypto. Morbi illic quotannis populariter grassantes anni tempestatibus tum humiditate tum calore enor-

96) T. I. c. 3. T. III. c. 4. Cf. Sennert, de febre hungarica.
97) L. I. c. 10. L. III. c. 8. 98) Epid. L. III. s. 3.

mibus in veram pestem exacerbantur. Ipsa igitur haec in nonnullis solennibus constitutionibus contagiosa evadit, in aliis autem minime; quippe ubi saevitia mali existit remissior. Quam ob rem non immerito pestis contagium nonnulli negaverunt, mitiorem quidem hanc morbi speciem intuentes. At vero opus est, ut pestis ipsius idea intra certos fines consentientibus omnibus coërceatur. —

In febre castrensi, auctumnali, bilioso-putrida, cum typhode statu incedente, remittente vel intermittente, quae frequens nostro occurrebat in regionibus paludosis, depressis, circa initia vena erat secanda, iterata etiam vice, si res efflagitare viderentur, praesertim in vernalibus febribus et auctumnalibus postremis, propter frigora tempestatis et adjunctos inde dolores pleuriticos et rheumaticos. Omissa venae sectione metus erat, ne cortex praepostere datus inflammatoriam febrem et continentem efficeret. Mittebatur autem sanguis vel inter remissionem vel in ipso accessionis fastigio [99]), unde tanto plenior remissio exspectanda; non detrahebatur sudanti. — Statim a prima venae sectione purgans exhibebatur lenitivum, idque tanto convenientius, quum alvus plerisque tardaret. Postridie mane, febre adhucdum remittente, noster tartarum emeticum (gr. 1) cum pulv. absorbente dedit, repetita, ubi opus videretur, vice, non ad vomitum solummodo eliciendum, sed ad alvum etiam laxandam et sudorem promovendum. Quibus excretionibus rite peractis, febris utplurimum declinabat, interdum plane dimisit. Tertio die eadem medicamina, vel potio lenis laxativa aut clysma, itaque quovis die tertio continuatum est, donec febris sublata esset, vel adeo intermitteret, ut cortice peruviano tuto dispelleretur.

---

99) Celsus, dum venae sectionem damnat in ipso febris impetu institutam, Pringlio interprete, frigoris stadium intellexit. L. II. c. 10.

Tartarus emeticus multum nostro profuit, instituta prius, ubi opus erat, venae sectione, vel febrem prorsus fugando, vel tantopere defatigando, ut cortici tuto et facile cederet. Hauriebantur paulatim grana sex cum aqua larga, subcalida, unde vomitus, sequente alvi dejectione. Kali carbonicum, cum succo citri datum, parum hic videbatur ad febrem diminuendam proficere.

Quodsi impetus morbi evacuata materia nihilosecius in pejus rueret, ut saepe fit in palustri febre, tunc cortex plurimum proficiebat; qui, ubi brevior remissio esset, jamjam inter sudorem concedi poterat, vel cum vino Rhenano, vel cum rheo aut sale ammoniaco, si prodesse videbatur, serius simplex ad recidivam praecavendam. —

Ubi circa principia cura neglecta fuerat, vel in continentem febris conversa, profuit, si pulsus consentiebat, etiamnum venae sectio; certissime vero, cephalalgia vel delirio obtinentibus, hirudines circa tempora, vesicatorium magnum inter scapulas applicatum. Ceteroquin clysmata repetita, et purgatio lenis primarum viarum caput curae constituebant. Diarrhoea superveniens, nonnisi lente et paulatim compescebatur, sudore interim promoto. Juvabat rhei mediocris usus, deinceps theriaca, cum ipecacuanhae refracta dosi et absorbentibus. Si quando ab initio alvus non satis expurgata fuit, aliter ac per diarrhoeam crisis non poterat exspectari; cavebatur itaque a supprimentibus, quamdiu vires non dejiciebantur. — Vermes reho et calomelite largiter adjuncto celeriter removebantur, quoniam aestu et humorum intemperie conturbati molestiam ciebant.

---

§. 140.

Quando in conclavibus nosodochiorum magna aegrotantium frequentia et congeries est, cum morbis potissimum putridis, vel quocunque loco, aëre nimium

fervente, angustis locis incluso, minimeque renovato, etiam effluviis animalibus putrescentibus scatente, febris enascitur vel laborantibus quocunque modo supervenit, gastrico-putrida, typhode statu et contagio terrifica, funesta, vulgo nosocomialis dicta.

Contagium interdum praesentaneum est, et efferatum, plerumque vero lentius serpens, iis maxime infestum, qui in aëre diu versantur gravi, inquinato. Rarius, vel minore cum periculo, inficiuntur, qui vapores perniciosos nonnisi breviter admiserint, vel minus venenatos. Aliis citato passu morbus instat; alios lento aggreditur, utpote diu languentes absque febre, cum anorexia, insomniis, defatigationis sensu etc. His emeticum promte haustum, vel aëris permutatio vel sudor etiam morbum interdum avertit, auctore ipso experto.

Febris prae aliis vix quidquam singulare habebat; nisi quod ubique fere manuum tremor adfuit. Eadem hic, quae alias toties animadvertebatur, animi obtinebat dejectio; pulsus crescente febre celer, circa fortitudinem et plenitudinem multum mutabilis, a larga sanguinis detractione vel importune repetita facile acceleratus ac dejectus, inde instante delirio. Verum sive facta aliqua evacuatio fuerit, sive non facta, serius ocyus pulsus diminuitur, certissime sic morbi rationem testatus. Sanguis detractus modo parum mutatus, modo crusta lardacea obductus; serius dissolutus. Urina varia, mutabilis, judicata febre non omnibus subsidens; a regimine calido alvus plerisque clausa; a frigidiore crebro liquida, fluxu non critico. Superante malo per extremos dies dejectiones colliquativae, cadaverosae, ex sphacelo intestinorum. Calor cutis mordax; ante mortem extrema per unum duosve dies algida, pulsus perceptu difficilis. Sudor arte provocatus, inutilis, praeterquam initio morbi, ubi febrem saepius pellit; neque naturalis unquam criticus, nisi declinante languore, lenis, continuus, universalis, interdum vix animadvertendus, quamvis bonus,

plerumque graveolens, adeoque ipsi aegro taediosus. Sunt, quibus nunquam delirium accedat; omnes vero stupor urget mentisve confusio. Paucis mens constat ad mortem usque, multi cito eadem destituuntur vel a sanguinis praemagna detractione, vel calidorum medicaminum intempestivo usu. Facies velut cogitabundi, serius atrox, tetra, deformis. Oculi usque turbidi, albuginea vulgo rubefacta. Delirantibus cum ferocia facies inflammata, oculi rubri, surgendi conatus, loquela praecipitata; haec tum maxime conspicua, ubi stimulantia importune fuerunt admissa. Delirium in corpore evacuationibus exhausto junctum est facie collapsa, oculis semiclausis, voce submissa, tarda, obscura. Tendinum subsultus in hac rariores, quam in aliis multis febribus, quippe manibus assidue trementibus. Quocunque morbi stadio pulsus deficere coepit, delirium et tremor invalescunt; uti vero altius emergit, ita, quae a capite symptomata proficiscuntur, decrescunt; surditas tamen promiscue in stadiis morbi existit. —

Saepe, nec tamen necessario, petechiae efflorescunt, laetius rubrae vel pallidiores, interdum coerulescentes. Maculae parvae, plerumque confertae et quasi confluentes apparent, ut color cutis parum remotius intuenti rubore paulo insolito aequaliter ubique perfusus cernatur. Exanthema tenuitate sua facile spectatorem elabitur, nisi attentius investigetur; erumpit die quarto, quinto, nonnullis demum quarto et decimo, nunquam salutare; nec tamen funestum emergit. Morbi spatium quatuordecim ad viginti dies emetitur; quibusdam septem tantummodo, aliis duodetriginta. Judicata febre multis dolor artuum superest, debilitas, aurium susurrus, vertigo. Sunt, qui contagio lenissime conturbentur, valetudine vix aliquantum laborante. —

In quacunque febre cujuslibet originis protracto labore tandem humorum temperies corrumpitur, cerebrumque ac nervi eodem fere ritu laeduntur, quo in morbis

a contagio profectis; hinc symptomatum concursus idem aliis quoque febrium speciebus familiaris. —

Quamdiu aeger erectus adhucdum languet, vomitoria conducunt, hauriendo insuper proxima, et altera vespera iterando, theriacae drachmam dimidiam cum salis corn. cerv. gr. x, superbibendo serum lactis aceticum. Subinde sudoriferum morbo avertendo per se sufficiebat. Qui munditiei non ita studuerant, artus aceto calido et aqua abluebant ad diaphoresin adjuvandam. Superato sudore, si amplius in aëre insalubri degendum erat, decoctione corticis peruv. et radicis serpent. praeservabantur a morbo.

In stadio febrili, crescente morbo, pulsu adhuc turgente, capite quadantenus jam occupato, modica in plerisque sanguinis e vena missio fiebat, non sine cautione iteranda, quum pulsus facile attenuaretur et caput inde langueret. Etiamsi crusta sanguinis alba compareret, ab altera tamen venae sectione status in pejus ruebat, nisi peripneumonia adjuncta esset. Ubi caput solummodo laborare videretur, hirudines admovebantur, omissi tamen, ubi pulsuum tenuitas delirium comitaretur. Convaluerunt multi, quibus minime vena incisa; pauci vero, quibus multum sanguinis haustum esset.

Emeticorum usus in hoc febris stadio caute jam administrabatur, ac praesentibus tantum ventriculi sordibus, et morbo cum febre auctumnali complicato, mox quidem ab initio, ut diaphoresi via muniretur; minime vero morbo jam constante. Nauseam assiduam potio Riverii exstinguebat. Proxime perspiratio leniter promovenda erat frigidioribus diaphoreticis, liquore Mindereri. Ubi cunctaretur sudor, vel sponte quidem erumpens morbum minime levaret, pulsu simul festinante, attenuato, minime sustinebatur excretio, quippe tunc potius compescenda. Repugnabat febris alexipharmacorum tentamini, usque ad solemne stadium declinationis, judicata tunc sudore benigno, leni. Ubi igitur

febris jam constabat, curata est ad modum inflammatoriae; juvabat pulvis contrajervae cum nitro et camphora, ptisana cum aceti aliquantulo. — Alvus tardior clysmate ciebatur; diarrhoeae vero propter debilitatem metuendam stimulus minime adjectus. Vesicatoriis nulla opportunitas. —

Exinde vero, pulsu jam collapso, stupore superante, delirio imminente, saepe simul petechiis emergentibus, a die febris tertio vel quarto vel serius etiam tertium morbus stadium ingreditur. Statim hoc, intermisso altero, instabat, si cui in ipso morbi initio sanguis largus una vel repetita vice detractus fuerat. Sub hoc rerum statu cardo curationis in viribus sustentandis vertebatur, potissimum febris impetu languente. Nitrum ex pulvere supra memorato removebatur, addita in ejus locum serpentaria, vel ipsa haec decocta est cum corticis peruviani modulo adjectis aquis spirituosis, nisi aestus inde exsuperaret. Profuit et sal corn. cerv. et alia cardiaca; optime vero reficiebat vinum generosum, largius assumtum, reliquis saepe longe praeferendum. Status aegri minime ferebat longiorem analepticorum intermissionem, praesertim instante crisi. Laudatur Hoffmanni cautio in vitanda aegrorum erectione.

Verum medendi hac ratione, ut quae viribus tantum consulit, non id agitur, ut pulsus prorsus insurgat, et caput penitus ab impetu morbi liberetur vel sudor extricetur, priusquam natura ipsa viam hanc instauravit, id quod raro ante diem decimum quartum. Stupor, ut inseparabilis comes febri accedebat et casus quasi familiaris, curationem nihil mutabat. Quodsi vero ex vini usu delirium exsuperabat, cum oculis ferocibus, lingua expeditiore etc. phrenitis vera urgebat. Tunc nocebant omnia medicamina interna; juvabat vero pedes fovere aqua calida, aceto permixta, et vesicatoriis uti, nec non adminiculis antiphlogisticis, potione acidula, mox pulvere contrajervae composito cum nitro sicut

antea. Deliranti cum loquela impedita, obscura, citra motum violentum, decoctio supra laudata porrigebatur cum vino, omissis ceteris medicaminibus omnibus; talia enim arte non plane superabantur, donec ad criseos solemne tempus nondum perventum fuit. Quum ex duobus maxime curae vitiis, contrariis quidem, delirium ortum haberet, prudenter administrandum erat, tum antiphlogisticum tum calefaciens medendi genus.

Etiamsi critica fuit diarrhoea, tamen aegri vires minime ferebant profusam; quae propterea cohibebatur, vitata quidem suppressione, additis ad decoctum illud alexipharmacum aliquot tinct. thebaicae guttulis, vel theriaca juncta cum ipecacuanha.

Quando in abscessum circa parotidem morbus desinebat, incisio facta est, citra fluctuationem manifestam, quae forsan frustra exspectata fuisset. Pus enim in tali congestione saepe tam tenax et spissum est, ut abscessus, licet rite maturus, haud minus durus sentiatur, quam ab initio. Maturatio emplastris calefacientibus apte promovetur.

Affectus nervosi a febre urgentes, inquietudo, vertigo etc. opiato medicamine vespertino, et roborantium diurno usu, cortice cum elixirio vitrioli impugnabantur [1]). — —

In febre nostra jam Pringlius de praecoce, cito conflata et particulari inflammatione cerebri nervorumque, ut interna symptomatum causa, conjectavit [2]); eique circa initia febris, veluti ex stationario morbi genio, antiphlogistica curatio haud minus opportuna reperiebatur, quam in recentissima aliqua constitutione typhode.

---

1) T. III. c. IV, VII. 2) Ibid. c. VII. s. 6.

ANTONIUS DE HAEN [3]).

§. 141.

Quae a prioribus, praestantissimis quidem in arte ducibus, Hippocrate prae ceteris, Sydenhamo, Boerhaavio aliisque, circa curam morbi tradita habuerat, dignus hic successor ac fidus interpres sustinuit, quaeque ut vera pernoverat, indefessus propugnator evicit et communia reddere satagebat. Meritam itaque laudem dum nactus est egregie comprobando, quae vix unquam superflue medicis injungebantur; totus et acrior in studio praeceptorum, non adeo allaboravit, ut summam inde acceptam suis additamentis augeret, magis contentus stabiliendo artem adjuvisse, quam promovendo.

In febribus curandis autem feliciter rem gerebat methodo Hippocratica usus ut familiari. In hisce igitur morbis promiscue aegros habebat in aëre puro, temperato, saepius renovato, servata simul stragulorum et linteorum quam maxima munditie, lectum quotidie semel aut iterata vice sternendo; potiones offerebat largas, temperantes, refrigerantes et medicamenta similia; animum adtendebat ad vias a natura subindicatas, ut liberas praestaret usque et apertas, cavendo denique ab omnibus, quibus vehementior quam par est sanguinis commotio cieri posset. Quae dum strenue observando perageret, praecipue ubi ab initio morbi curam gerebat, multo rariores vidit morbos malignos et pejoribus symptomatis stipatos, quam alii multi vulgo conquerebantur; praecavebat enim malignitatem servato morbo simplici, arte importuna minime turbando, quippe plurimarum febrium malignitas factitia est, culpa regiminis vel medicinae perversae. Hinc unus idemque morbus populariter grassatus a duobus saepe medicis diversimode describitur, ab altero ut moderatus, ab altero ut atrox et per-

---

3) Rat. medend. in nos. Vindob.

malignus; prouti medendi methodo adhibita differrent, alter placida usus et naturae conveniente, alter violenta, artificiali, importuna; alter imminuit malignitatem, quam alter exacerbabat. —

In acutis generatim antiphlogisticam medicinam noster tuetur, Sydenhamo et Boerhaavio maxime usus auctoribus. Sanguinis missionem commendat etiam in ipsa peste, quamvis non viso morbo; occupatus quidem opinione de falsa debilitate, a suppressis modo ex plethora viribus nata, quippe morbi nota familiari. Damnat methodum diaphoreticam, ut ancipitem vulgo, etiam in peste intempestivam; damnat petechias, et miliariam, quippe quas nusquam vidisse ait criticas, semper nocentes ac symptomatis vice ex regimine exaestuante, curatione Sylviana praeter naturam propulsas; sese vero in iis, qui statim in principio morbi suam curam subierint, optime fere semper has prohibuisse methodo modo adumbrata, subfrigida, venae sectione.

Etenim in febribus exanthematicis, quas vulgari ritu malignas noster dicit, in variolis mali moris, quibus maculae, sanguinis sputum et mictus accederent, in petechiis uti in miliari exanthemate sanguinem saepe vidit spissum, lentum, inflammatorium, praesertim calefacientibus adminiculis praemissis. Contra vero in epidemicis febribus, internis partibus acutissime simul inflammatis, sanguinem emissum ab initio ad finem usque dissolutum deprehendit. Vel etiam in iis morbis, qui ab omnibus vulgo pro inflammatoriis habentur, sanguis altero die inflammatorius, spissus, paucis vero horis post, vel insequente die summopere dissolutus exstitit, crescente nihilominus in dies inflammatione. Dari morbos acutos, qui non prius rite judicentur, quam dum sanguis ultima vice ex vena missus dissolutus prodierit. Quin etiam tum in putridis tum in inflammatoriis morbis, qui una missione sanguis aequali usque vel violentia vel tarditate fluens diversa in vasa, forma quidem

et amplitudine paria exceptus fuit, in altero vase vere phlogisticus, in altero plane dissolutus reperiebatur; idque compluribus vicibus in eodem casu morbi animadversum est. Denique etiam in sanis hominibus haud paucis, quibus, utpote assuetis, vena inciditur, sanguis semper inflammationis speciem prae se fert, nec non in feminis multis utero gerentibus. Quae quum ita sint, de natura morbi et remedii genere ex sanguinis apparente conditione non tuto decernitur. —

Circa initia febrium acutiorum vel contagiosarum ab emeticis Haenius abstinendum esse putat metu irritationis, audiendumque Hippocratem [4]), nisi peculiaris ratio genii morborum vel epidemici requirere videatur, in quo casu Sydenhami [5]) exemplum noster intuetur.

Si qua vero febris vulgari medicaminum apparatui non cedat, malignitas avertitur vel, si jam adest, deletur cauto sed audaci corticis usu, tum interno tum per clysmata externo. Plurimum noster huic favet medicamento, ut praestantissimo alexipharmaco, suadet autem, ne nimis sero exhibeatur, donec solidarum partium ac fluidarum intemperies nondum altiores radices egerit. Sequitur in hoc Mortonium [6]), usus utplurimum magna dosi extracti corticis, diutius continuanda, in febribus quidem exanthematicis malignis, ut petechialibus, statim ab eruptione facta, vel inter ipsam, partim etiam incipiente morbo, ut necessarium visum fuerit, in continentibus vero promiscue, quam primum manifesto remittant. Tuetur etiam cortex a recidivis, quippe facile funestis; arcet infelices in sphacelum extremorum metastases, denique excretiones juvat criticas, moderatur impetum justo fortiorem et solicitat deficientem. —

Febres a. 1771 Vindobonae grassantes populariter,

---

4) Aph. I, 22, 24, et IV, 17. 5) Cf. de constit. station. I.
6) L. de proteiformi febr. continentis genio.

ex victu incongruo, alios adoriebantur cum vehementia, alios leniter; alios alternis diebus, alios incerto tempore petebant. Nonnullis fauces inflammatae fuerunt, vel pleura vel pulmones vel abdominis viscera. Alii nihil eorum experti sunt. Fuerunt, qui celeriter morbo victi prosternerentur; alii diutius languebant obambulantes tamen. Multis, qui ab initio morbi lectum petere cogebantur, die tertio, quarto, quinto vel serius petechiae confertim eruperunt vel miliaris alba aut rubra, et mors accessit post aliquot dies. Aliis morbus in decimum vel quartum et decimum diem protrahebatur; delirantes tunc nonnihil tandem in violentissimum furorem exagitabantur, ac vel succubuerunt convulsi, vel evaserunt tandem dirissimos experti labores. Paucissimis exceptis, virium dejectio omnes urgebat, hos magis, illos minus; nemini vero caput non occupatum fuit cum stupore ad finem usque morbi. Haud paucis aderant indicia inflammationis intensae cerebrum, pleuram etc. obtinentis; aliis pulsus haud conspicuum edebat inflammationis signum. Quibus omnibus cura maxime conveniebat ab initio antiphlogistica, deinceps cortice peruviano opus erat, ut aegri morbo sufficerent. Qui in aëre fervente decumbebant, insalubri, impuro, stragulis obruti, et quibus cortex minime aut sero nimis suppeditatus est, moriebantur frequentes cum petechiis et convulsionibus. — Sphacelum obortum decoctio corticis potentissime sistebat et prompte dispellebat, pulvis vero et extractum frena malo non inhibuerunt.

HASENOEHRLIUS [7].

§. 142.

Constitutio petechialis epidemica, quae a. 1757—1759 per Vindobonam dominata est, bonum hunc

---

7) Hist. med. febr. petechial. Vienn. 1760.

nacta est observatorem, qui, prospere medicinam exercens, Haenii modo delineatum curandi usum hac data morbi opportunitate constans sectator tanto luculentius illustravit comprobavitque rebus gestis.

Duo scilicet petechiarum genera uno tempore diversos homines invadebant, alterum benignarum, alterum malignarum. Denunciabant morbum quibusdam catarrhalia cum obtuso capitis dolore, aliis rheumatica cum doloribus vagis, aliis gastrica signa, cum anxietate praecordiorum. Frequentissime vero iste adoriebatur cum ingenti et subita virium prostratione, artuum insolito languore absque causa manifesta, capitis gravitate, siti pauca vel nulla, oculis languidis. Mox frigora et calores sese invicem excipientes, cum pulsu accelerato. Haec utplurimum ad quartum usque diem cum insigni sed fallaci lenitate producebantur; paulo post vero aegritudine ingravescente deterius habentes lecto detinebantur affixi, accedentibus vigiliis, delirio, aurium tinnitu etc.

Jam vero quibus benignus et regularis evasurus erat morbus, die quarto vel sequentibus ad septimum usque, petechiae emergebant laeti admodum coloris, cum levamine laborum, modo minutiores, modo latius patentes, in collo, pectore, scrobiculo cordis, mox per reliquum corpus et per artus. Cutis madescebat, urina naturali haud absimilis cum nubecula suspensa, oculi exhilarati, sat vividi, animus jam constans; pulsus, antea debilis, nunc insurgens; vigiliae, delirium, sitis, aurium tinnitus et reliqua mala vel plane cessabant, vel certe plurimum imminuebantur, redeunte simul functionum alacritate. Maculae sensim pallescebant, tandem evanidae die decimo quarto vel septimo, subinde cum levi epidermidis desquamatione; ciborum appetitus inde redux, vires recuperatae. Gravitas capitis, temulentia, vertigo, visus obscuratio, auditus difficultas, oedema crurum, motionis impedimentum pedetentim discedebant, nec multum medico negotii facessebant.

Multis vero longe alia morbi nota evenit. His enim statim in principio omnia aderant vehementiora, neque ab eruptione exanthematis conspicua remissio contingebat. Lassitudo spontanea in dies aucta, dolores capitis intensi, tinnitus aurium remedio nulli auscultabant; respirationis difficultas, tussicula assidua, tendinum saltus, mentis confusio exitum funestum portendebant. Accedebant vigiliae diuturnae, subsequente delirio modo mitiore, modo ferociore, furioso, cum surrectionibus violentis. Alios quarto, quinto vel sexto die sopor occupabat, obscure delirantes, quibus die septimo vel nono sudor obortus, petechiis prodeuntibus morbum levavit. Lingua plerumque fuit humida, rarius sicca, albescens, mucosa, quandoque fusca; sitis non multa, raro intensa; oculi tristes, squalidi, minime lucidi; hypochondria inflata, quandoque dolentia; alvus utplurimum clausa, nonnullis liquida; urina ab initio cruda, tenuis, decolor, passim cruenta vel fusca, in statu morbi critice subsidens; sudores crebro spontanei, aequaliter diffusi, critici saepe boni; interdum foetentes, profusi, iique pessimi mortisque praenuntii. Pulsus in principiis morbi naturali velocior, mollis tamen; nonnullis durus; serius celer, frequens, intermittens, debilis, inaequalis. In hoc symptomatum concursu exanthemata vel omnino non erumpentia, vel purpurea, livida, nigra, vel sub cute profundius delitescentia, fatali plerumque praesagio. Funestum quoque, quibus subito maculae disparuissent: inde statim pejora superveniebant, respiratio jam frequentior, anhelans, inaequalis; pulsus debilis, celer, intermittens; sudor in fronte ac jugulo frigidus, tandem mors. Subinde, licet facta eruptione, symptomata omnia plures per dies pertinaciter perseverarunt, medicamentis quoque nihil auscultantia; his utplurimum die decimo septimo, raro serius, parotides extumuerunt, febre simul nonnihil cum symptomatibus diminuta. Parotides sibi relictae interdum fausto eventu retrocesserunt; diarrhoea

quippe superveniente, vel urina copiosa, crassa, salus recuperata est. Fuerunt, quibus scirrhosa evadens tumorum durities nullo modo resolventibus emolliretur, vel causticis admotis in ulcera maligna degeneraret; quandoque autem eo usque parotides intumuerunt, ut repente aegrum suffocarent. Optimum, si cito suppurarent vel sponte vel artis auxilio, et facta incisione materiei exitus concederetur. Ceteroquin et ad alia corporis loca, femora, crura, nasum, faciem etc. metastases factae sunt, cum salute aegrorum. —

Cura generatim a venae sectione auspicanda erat eaque repetenda, sicubi necessitas postulare videretur; fortibus enim, robustis et plethoricis vix una sufficiebat febri sufflaminandae vel ad debitum moderamen reducendae. Cruor saepe inflammatorius, etiam qui saepius fuit emissus; rarissime ab initio morbi haustus prodiit dissolutus.

Errant igitur, qui contendunt, in febre petechiali semper putrescentem et in solutionem pronum esse sanguinem; et inanis metus eorum est, qui in febre maligna dicta a venae sectionibus semper abstineri volunt propter debilitatem, quippe quae a sanguine potius spisso et immeabili ortum habet. Nullis venae sectionis administratio limitibus circumscribitur in febribus continuis, nisi conditione aegri, numero et vehementia symptomatum.

Etiam bene prostante exanthemate contra vulgarem consuetudinem, die decimo quarto noster venam secuit utiliter, propter pleuriticum dolorem, pulsum subdurum, Celso quidem et Swietenio usus suasoribus [8]).

Post sanguinis detractionem emeticum datum est, ubi bilis et saburra collecta flagitaret; unde saeva multa symptomata tollebantur. At vero ubi inflammationis

---

8) Celsus: Ubi morbus desiderat, corpus autem vix pati posse videatur, praesente medico instituatur.

suspicio subesset vel tectus adhuc epidemici morbi genius, aut indoles ejus nondum satis perspecta; abstinendum auctor putabat a tam violento medicamine, SYDENHAMI vestigia secutus [9]). In hac certe petechiali constitutione saepe emetica vidit exhibita, decursu morbi haudquaquam inde mitigato. Ipse rarissime fatetur exhibuisse, quippe perraro inventa necessitate. Concedit tamen, quandoque locum emetico esse in certa et determinata constitutione, ad fomitem petechiarum expellendum, his enim a saburra interdum materiam subministrari, eliminata vero ipsa etiam prostantes maculas prompte evanescere. Sed licet praemisso vomitorio vel et purgante aut sponte oborta diarrhoea morbum videret exanthematibus vacuum, non tamen mitiorem inde cognovit, sed deteriorem; unde concludit, stimulo illi epidemico certam solummodo affectari viam, quam si permeaverit, morbum tutius decurrere.

Alvi fluxus, etsi ab initio criticus, tamen ubi vires sensim attenuaturus videretur, opiatis leniter compescebatur.

Concedebantur potulenta larga, diluentia, hydrogala, serum lactis vinosum etc., eaque non solum ad calorem temperandum et sitim restinguendam, sed ad vires etiam erigendas. Saepius in eorum usu petechiarum livor in laete rubrum colorem transmutatus. Optime etiam mucilaginosa profuerunt, ut stimulus emetici vel purgantis forte datorum involveretur. HAENIO usus auctore corticem noster peruvianum plurimum commendat, largiter in hoc morbo, ut semper in vere malignis, usurpandum. Exhibuit quotidie extracti unciam, alterandi quidem scopo. Aegri nihil inde incommodi persentiebant, egregie potius convaluerunt. In multis secuta est scabies.

Nonnullis absque manifesta causa recidivus morbus fiebat, vel post morbum abscessus gignebantur, quibus

---

9) In constitut. epid. pestil. a. 1665.

aliquamdiu apertis servatis, si vires satis usque constabant, tandem integra sanitas rediit. Quibus autem per morbum vires omnino fuerunt attritae, aut in visceribus labes relicta; hos redux factus morbus plerumque e medio sustulit. Qui recidivam absque causa patiebantur, optime juvabantur infuso sassafras cum melle permixto. Qui vero cortici peruviano salutem debebant, vix unus in morbum denuo recidit.

Paucis itaque quae medela plurimum nostro proficere visa est, circumscribitur hisce. Ante omnia sanguis ex brachio mittendus erat, copia viribus, aetati etc. conveniente; potus offerebatur largus, in principio mucilaginosus, dein alius quicunque, pro lubitu aegroti; alvus aperta servabatur lenissimis clysmatibus, paulo ante vero vel sub ipsa eruptione cortex larga manu exhibitus locum inveniebat; juvabat etiam vesicatoria cruribus, quandoque simul brachiis imponere, vel, in mitiore quidem morbo, sinapismos ad plantas pedum. Quies autem corporis et animi satis conciliabatur lenibus paregoricis, removendis tamen in comatoso affectu. Deliria domabantur emulsionibus refrigerantibus et vesicatoriorum usu. Cibi denique faciles debebant esse, modice suppeditati, juscula avenacea vel carnea, cum succo citri, poma cocta et simil.

CAROLUS STRACK [10].

§. 143.

Petechialis desaeviit constitutio adjuncto affectu typhode; annum cum ea, quae modo, Hasenoehrlio teste, descripta fuit, eundem paene habebat, locum vero longius dissidentem.

---

10) Obs. medic. de morbo c. petechiis a. 1760 et seq. grassante: ed. 1766.

Ipse morbus post prodromos, exhibuit stadium irritationis, cum symptomatibus vulgaribus, plus una vice in hac constitutionum sylloge enumeratis. Nono die inde a prodromis, etiam tardius, maculae comparebant roseae, rubrae, lividae, evanidae post tres dies, aliis serius, etiam post mortem vel febrem deflagratam superstites. Alii cum multis hisce non egregie aegrotabant, obambulabant etiam; alii cum parca eruptione lethaliter decumbebant. Eodem tempore et sine febre ullaque aegritudine universali petechiae in conspectum venerunt.

Febris facta exanthematis eruptione minime remittebat; potius, nisi auxilium adhibebatur, magis magisque ingravescebat; quare minime criticam macularum efflorescentiam auctor existimabat. Etenim crescebat calor, pulsus intendebatur, fortis, celer, oculis rubefactis, delirio perseverante, tremebant manus, linguae et oris siccitas ac tussis sicca urgebant. Ardor magis magisque instabat, cum respiratione anxia, corporis nudatione, floccilegio, tendinum subsultibus. Denique algebant extrema, oculi tristes languebant et retracti, pulsus jam evasit exilis, inaequalis; nasus acuminatus, cutis pallida, et mors scenam claudebat ante diem vigesimum cum sphacelismi indiciis, etiamsi petechiae superessent. Sic laborantium non facile aliquis absque artis auxilio convaluit, nisi aut sine febre petechiae existerent, aut in alium morbum desinerent, aut putridum alvi profluvium exortum esset.

Qui vero salutem recuperabant vel medicinae vel naturae beneficio, post nonum diem difficulter audiebant, amisso simul oculorum rubore. Obdormiverunt velut soporosi, qui hactenus vigiliis erant fatigati. Nonnulli tamen sine his omnibus morbum abstergebant; interea tenax sputum naribus et ore ejiciebatur, mens iterum constabat, pulsus jam mollis, lentus, ad normam rediit. Postea saepe copiosus sudor acidus unum vel plures per

dies, semper quidem febre dilapsa, promanabat. Sopore autem detenti post quinque dies sani prorsus expergefiebant. Nonnullis pedes a morbo intumuerunt, alii appetitu ciborum destituti, alii rursus maxime esuriebant, nec non cibos facile ferebant, optime habentes; alii, quibus corpus forte nondum satis purum evasisset, in tertianam febrem inciderunt. Citius seriusve convaluerunt, prout magis minusve aegrotassent, vel rite aut perperam curati essent.

Pejores comperiebantur petechiae diffusae, quam circumscriptae. Illae quidem minus conspicuae fiebant, quapropter medicum saepe fallebant. Paulo post quam evanescebant, nonnunquam plurimus sanguis de naribus prorumpebat, et mors in propinquo erat. Sanguis ille, pertenuis, sex ad octo libras pondere passim exaequabat, et si fluere ita desierat, febris protinus exardescebat, cum delirio assiduo; tertio die mors ex gangraena. Remedio morbus nulli cedebat, ne venae sectioni quidem, sive in principiis instituta, sive repetita fuerit. — Contra vero, quibus cum circumscriptis sanguis prodiit, iis nec multus fluebat, nec dissolutus, sed sani similis, atque evaserunt perinde ac quibus nihil tale acciderat.

Eadem dominante constitutione multi simili labore languebant, tamen absque petechiis; hi eadem curandi ratione restituti sunt.

Ineunte constitutione ac per spatia priora, quo tempore maxime communis circumibat morbus, perexitiosus existebat; serius neque eo decursus ordine conspicuus erat, neque in universum adeo difficilis, quasi miasma morbiferum (quemadmodum Sydenhamus diu ante observaverat) tempore et saepe eundo defatigatum esset.

Curatio. Inde a vernali tempore a. 1758, quo morbus primum infestabat, et serius purgantia leniora, mox ab eruptione data, plurimum proficua existebant putrida multa evacuando. Multi ita sanati, quibus refrigerantia cum venae sectionibus non suffece-

rant, absque diaphoreticorum vel analepticorum (e. g. camphorae) usu, quippe quae medicamina reperiebantur fallacia. —

Ipsae petechiae neque a calidis ingestis, nam et in antiphlogistica curatione emergebant, neque a medelae aliquo vitio proficiscebantur; erant potius a putrida colluvie in imo ventre accumulata, vel a cibis corruptis, vel a vermibus. Propterea pauperibus morbus praecipue familiaris erat. Plures alvi sponte obortum profluvium salvos praestitit; quique naturae beneficio ex morbo evaserunt, omnes isfa ratione restituebantur. Neque profecto ipsum morbi contagium sanum quempiam, cui primae viae purae essent, inquinavit, sed dispositos tantummodo. Et si quis sanus, integris visceribus degens, morbi seminarium susceperat; vel impune ferebat, vel facile absque petechiis evincebat.

Monendum erat, omnium petechiis tunc tempore laborantium neminem antea dysenteria fuisse tentatum, neque ullum ex iis, qui superiore aliquo anno hoc malo laboraverant, posthac petechiali febre esse implicitum, forte quoniam exinde corpora satis expurgata fuerint. Contra vero poterat, qui petechias prius expertus fuerat, in dysenteriam postmodum incidere; nam dysenteriae contagium etiam pura corpora prehendit.

Eruptio petechiarum minime critica fiebat, neque morbum levabat, sive prius, sive tardius contingeret; neque citius vel tutius convaluerunt, quibus diutius maculae perstiterant, quam quibus citius disparuerant. Si criticae essent, ratiocinatus est Strackius, non possent purgantia nec diarrhoea morbum excutere, sed turbata crisi perniciosiorem reddidissent. Etenim prodeunt petechiae maxime a concursu miasmatis cum corrupta ventris materie; minime vero a sanguinis ipsius inquinamento. Id quod inde conjectavit noster, quod in multis aegris, etiam primo die, ipsae protinus petechiae efflorescerent, modo rarae, modo confertae, ante scilicet,

quam potuerit sanguis ipse a miasmate infectus esse, quod purgato ventre eaedem disparerent, denique quod saepe, postquam abierant, febris a vehementia nihil remitteret. —

Nocebant sudorifera, quoniam inde nec mali causa summovebatur, neque sudor ipse juvabat; adeoque funestum evasit, istum sudorem ab initio morbi calefacientibus admissis promovere.

Omne praesidium igitur in purgantibus; quippe quibus etiam dolores sanabantur in artubus morbo superstites.

Qui talibus medicamentis rite curati erant, abscessus nullos posthac experti sunt; saepius vero qui camphora, serpentaria, cortice peruv. etc. usi fuerant, —

Antiphlogistica curatio, quoniam causam mali non excutiebat, importuna adhibebatur. Protrahebatur inde morbus, vel aegri adeo praecipitati sunt, vel qui evaserunt, diu languebant, facile tumebant, ut merito repudianda illa medendi methodus esset. Conferebant tamen refrigerantia, siquidem vel purgantia adjuncta fuerunt, vel alvi profluvium sponte supervenit, quo sordes satis subtraherentur. Etiam ubi febris exardescebat et putrida colluvies circa ventriculum exsuperabat, eadem per medicamina utiliter cura gerebatur temperando nec non materiam corrigendo, ne penitiora corporis inficerentur, prius quam omnis materia medicamine purgante potuisset subduci. —

Qui vero camphoram, vesicatoria, theriacam et similia alexipharmaca, sudorifera medicamenta adhibebant, criticam rati exanthematis eruptionem, seduloque propterea adjuvantes, sane quidem non poterant hac via putridam ventris congeriem diffiare; morbum itaque difficilem reddiderunt, et longam infirmitatem, hydropicos tumores, aut abscessus in extremis, aut recidivas conciliabant. Multis autem haec cura exitio fuit, febrem incitando, gangraenam inducendo. —

Denique etiam cortex peruvianus, quamvis largiter ingestus, dum causam morbi forte emendabat quidem, sed minime tollebat, per se solus, quemadmodum plures voluerunt, aut non sufficiebat, aut vanum omnino adjumentum erat. Ipseque morbus ubi ita suppressus fuerat, proxime resurgebat, usquedum aeger rite expurgatus esset. Est quidem, ubi impura ista humorum collectio, quae cortice ante correcta erat, deinceps, superato morbo, spontaneo motu descendebat, quid quod tutam praestabat valetudinem. Tutior curatio erat, ubi praesente morbo, inter liberalem corticis usum, alvi profluvium erupit. Hic enim, dum ex impuris rebus aliquantum infra secedit, cortex interea caetera corrigit, quasi condimento conficiens, cavetque ne viscera inde laedantur.

Supervacaneus itaque cortex erat in petechiis circumscriptis, maximeque si in primis viis omnis morbi fomes haereret. At vero ubi diffusae maculae, aut ubi tenax praeterea mucus in visceribus abdominis consideret aegre evictus, adeo ut protractior morbus praeviderétur, aut ubi omnis in una tantum alicujus intestini parte confluxerat materia putris morbi; idem medicamentum, quoniam ex his causis gangraena erat metuenda, superioribus auxiliis addere conveniebat, donec superatum periculum esset. Aversa gangraena et superato periculo purgantia iterum suggerenda erant. Dedit et noster unciam extracti corticis quotidie et plus etiam. Sic laxantia cortici, ubi eo opus fuit, adjecit, aut clysmata immisit ad exitum morbi usque. —

Venae sectio minime profuit, quando in ipso morbi principio debilitas magna et infirmitas obtinebat, cum pulsu exili; etiam si non nocuerit quibusdam, qui proprio consilio venam sibi secandam curassent. Commode vero instituta est, ubi calor et febris exsuperabant, ne inflammatio circa intestina inde enasceretur. Petechiae a venae sectione non retrocedebant.

Vesicatoria generatim quidem nihil praestiterunt, utpote causae non sufficientia. In specie vero necessariae erant, si quando cum petechiarum morbo tenax mucus in abdominis visceribus haereret; debet enim, ait noster, is, quemadmodum alia multa concrementa serosa, cantharidibus admotis ante solvi, quam ardente febre accendatur inflammatioque viscerum inde concitetur. —

Nonnulli variolarum et petechiarum miasmate simul infecti, propterea non pejus habebant; nec singulare quidpiam vitium ex hoc connubio accessit vel ex eo remansit, sed facile convaluerunt, haud aliter ac qui simplices petechias habuerant. Similiter quae cum miliari exanthemate junctae petechiae incedebant, per easdem rationes summovendae erant, ac si solae adfuissent.

Multi eodem tempore pleuritide laborabant intercurrente, quae quum a causa vulgari excitata non esset, vulgari etiam medelae non cedebat. Namque a simili causa exortus lateris dolor, a qua petechialis affectus, requirebat utique eadem praesidia, quae morbus popularis. (Simile quid a Sydenhamo quondam observatum asseritur.) Conveniebant cum sanguinis missione, refrigerantibus, fomentationibus, enematibus, vesicatoriis, salia media ad alvum movendam, serius corticis peruviani extractum. Symptomata quidem pleuritidis petechiali febri simillima comparebant.

JOSEPHUS QUARINUS [11]).

§. 144.

Succinctis commentariis copiam dedit lectissimae observationis proprie passim compertis utiliter instructam. Morbi, de quo agimus, varietatem in praxi obviam paucis specierum ideis comprehendit more priorum, Galeni

---

11) Meth. med. febr. 1772.

maxime, Boerhaavii, Huxhami. Consociatur status typhodes, ut familiaris comes, prae ceteris febri nostro dictae putridae, speciatim ardenti, praeterea malignae, nec non incedit cum petechiarum et miliariae exanthematibus.

Febris putrida conciliatur contagio, constitutione epidemica, usu aquarum putrescentium. Causae non raro sanguinem primo afficiunt, unde, quod putridum in hoc genitum est, secernitur sensim et ad intestina defertur, adeo ut febris ipsa biliosos humores generasse videatur. Alias quidem ex fomite primarum viarum corrupto sanguis secundario loco contaminatur. Noscitur morbi indoles tum ex causis praegressis, tum pulsu circa initia admodum debili et celere, viribus plurimum prostratis, sudore copioso, alvi crebra, serosa dejectione, morbum minime levante, petechiis brevi erumpentibus, aegrum nihil juvantibus, lingua livida, facie lurida, deliriis, tremoribus subitis, oculis turbidis, nausea, vomendi conatu, minore tamen, quam ubi circa ventriculum saburra collecta fuerit.

Subinde adulto jam morbo putrido inflammatorius status accedit, maxime, ubi primae viae primum incipiente languore evacuatae non fuerunt. Hinc biliosa colluvies ex febre acrior reddita partes erodit et inflammat. Pulsus jam apparet celer, parvus, subdurus; lingua aridissima, genae rubent; deliria oboriuntur, meteorismus, singultus, convulsiones; aegri potum respuunt, aut ab eodem plurimum anguntur; non raro vomitus supervenit et diarrhoea ichorosa, lethalis. — Morbus, siquidem ab initio non satis purgatum fuit, nonnunquam in sextam hebdomadem producitur. —

Curatur morbus venae sectione, quando status inflammatorius ineunti statim adjunctus est, praegressa vita lauta, quando pulsus plenior, durior. Convenit tamen missio parcior quam in febre ardente; nocet, imo lethalis evadit, aut longum reddit morbum, languorem

diuturnum, cachexias etc. inducit, ubi febri putridae diathesis dicta minime suberat.

Ipsa autem materies morbi corrigenda paulatim est et, ubi in primas vias confluxit, evacuanda salibus mediis cum citri succo, decocto hordei affatim hausto, quia spissa saepe haeret, ita ut subito ejici non possit.

Recte notatum est, post fervidissimas aestates febres biliosas epidemicas regnasse cum nausea molesta et vomitu, in quibus tamen statim propinatum emeticum non levaverit; ubi autem per unum alterumve diem diluentia et solventia data fuerint, sponte saepe vomitu excussam esse bilem corruptam, glutinis instar spissam, vel leni medicamento fuisse projectam.

Circa emetici (tart. emetic. c. rad. ipecac.) opportunitatem easdem noster leges observabat, quibus adhucdum in febre biliosa utuntur.

Pessime errare, qui febrem putridam solis diluentibus et acidis depugnare studeant, sordibus quidem in tractu intestinorum accumulatis. In gravibus enim hisce morbis evacuatio nunquam soli naturae relinquenda est; longe melius arte peragitur. Vomitorium praefertur purganti antiphlogistico.

Nonnulli post emesin excitatam paregoricum suppeditant, quo tumultus inde nati compescantur; nocet autem opium, ubi natura eget evacuatione, nam alvus requiritur liberior.

Quodsi debitis evacuationibus praegressis, diluentibus, acidis adhibitis febris pergat, vires minuantur; confugiendum est ad corticem peruv. Neque exspectandum, donec per aliquot horas aeger a febre notabili liber evaserit; calor enim a propensione in putredinem nutriri videtur.

Nonnunquam in constitutionibus epidemicis, ut noster observavit, evacuato fomite ex primis viis, subito cortex pluribus aegris exhibendus erat, licet lingua adhuc impura et urina admodum tincta cerneretur; isto enim

tardius usurpato morbus medicamina omnia eludens aegros e medio tulit. Necessitatem corticis docebant pulsus parvus et celer, vires maxime dejectae, remissiones aut nullae aut brevissimae. Utiliter salia media ipsi noster adjecit, praeeunte Huxhamo; dedit autem inter nychthemerum dimidiam unciam ad integram usque.

Si quando inter corticis hunc usum angerentur aegri, febris intenderetur, respiratio difficilior fieret; signum erat, multam colluviem putrescentem in intestinis haerere, utique prius expurgandam.

Cavendum a cortice nimis mature ingesto. Ubi vero opportunus exhibetur, prodest acidorum simul mineralium continuare usum largiorem. Viribus admodum collapsis cum pulsu debili et molli, vinum rhenanum cortici optime conjungitur. Si deliria accedunt, facies rubet, oculi feroces micant, sinapismi acerrimi plantis pedum recte admoventur: cantharidum emplastra ne putredinem augeant, metus est. Praeferuntur autem haecce, ubi sopor obtinet cum pulsu debili, parvo, intermittente, inaequali; ubi tremores adsunt, oculi caliginosi, deliria obscura; et imponantur plura, repetitis quidem vicibus, nec nimis acria, ne dolores, stranguriae et pessimae exulcerationes inde oriantur. Subinde in constitutione epidemica (ut anno 1758 noster vidit) plurima loca, quibus vesicatoria superdata fuerant, gangraenam admittebant; profuit tunc cortex peruv. largus cum fomentis antisepticis, ex alumine cum cortice paratis.

Ubi vermes in febre putrida aut ore aut alvo egerebantur, corticem eundem noster cum successu dedit radici valerianae junctum.

Ubi vero tremores urgebant, subsultus tendinum, convulsiones; praeter acida, corticem, vinum, remedia penetrantia et excitantia in usum proprie vocantur.

Docuit Quarinum frequentissima observatio: in pulsu parvo, debili, sed aequali et molli, camphoram profuisse et serpentariam; iis vero, qui tremulum illum,

inaequalem, intermittentem, sed mollem haberent, spiritum cornu cervi cum essentia castorei plus auxilii tulisse (v. p. 55).

Quam primum vero pulsus duriusculus evadebat; moschus solus levamen tulit, nervis amicus, stimulum morbi non augens. Quando itaque, quod tamen rarissimum, usu spiritus corn. cerv. et tinct. castor. pulsus durior redderetur; moschum noster substituit.

Quamvis alii (auctore Hoffmanno) ingentes camphorae doses (duas vel tres drachmas) dedisse volunt cum successu, nec majorem aestum nec pulsum adauctum, sed potius manifestum refrigerium, praesertim circa praecordia, conciliasse; tamen noster non ultra decem ad viginti grana nychthemero concessit; vidit enim in multis a majore dosi pulsum celerrimum, faciem ruberrimam, oculos torvos, phrenitidem cum convulsionibus lethalem.

In pessima morbi specie, ubi ex materia putri, acerrima, inflammatio intestinorum nata est, pulsus durus evasit, genae rubentes, respiratio difficilis; sola salus in sero lactis cum vitrioli spiritu parato atque prudenti moschi usu speranda. — —

At si morbus non ex putrida cacochylia circa primas vias haerente, sed ex fomite concitata est putrido, subito in humorum massam delato, ut fit a contagio vel effluviis putrescentium, febris existit periculosissima, cito maligna. Invadit cum magno virium lapsu, cum sopore, pulsu celere, parvo, brevi, mox inaequali, undoso, intermittente; oculis velut pulverulentis; tremor paulo post accedit, convulsiones etc.

In quo ancipite valetudinis statu si materies prava simul in ventriculo congesta esse videtur, mox vomitorium exhibendum est, ut cito, quod noxium est, evacuetur. Neque tamen in omni, quae ex contagio febris putrida fiebat, emeticum recte et utiliter porrigitur, quia infectio et per inhalationem contingit. — Purgantia hic,

praeter necessitatem, omittenda. Acida vero mineralia promte conveniunt largissima; brevi post cortex, vinum bonum, acidulum. Sopor, delirium etc. vesicantibus discutiuntur. Nervina medicamina locum et hic inveniunt, pro diverso pulsus indicio, ut supra doctum fuit.

Qui non adeo gravis est morbus, nonnunquam vomitu subito terminatur. Haemorrhagia per se sola vix morbo tollendo sufficit, quamvis optime cedat in diathesi morbi inflammatoria. Colliquativa autem evadens acidis impugnari debet, vitando simul stimulantia; prodest et liquoris anodyni exigua dosis.

Qui criticam virtutem sudor pollicetur, aequalis est; qui initio morbi prorumpit, non bonus; praeterquam quod interdum, ex priva constitutionis epidemicae propensione, materia adeo tenuis est, ut cum primo sudore possit difflari. —

Saepius vero qui in principiis sudor effunditur, a saburra est, tunc quidem omnino eliminanda. — Sudores critici, nisi calido regimine nimis urgebantur, rarissime nimii fluunt. Sed ubi occurrunt, leniter sunt compescendi acidis mineralibus, aëre frigidiusculo, prudenter quidem subministrato cortice peruviano. — Ubi per alvum liquida dejiciuntur critice; abstinendum a salibus, aliis vero remediis supra laudatis pro diversitate symptomatum strenue pergendum.

Colliquativa quidem et lethalis diarrhoea saepissime debetur emetico in principiis neglecto. — Remedia huic conveniunt antiseptica, alterantia, nimiam laxitatem corrigentia; bolus Armena, pro potu infusum fl. sambuci et rhoeados c. spiritu sulphuris, vel decoct. salep c. spiritu eodem. Quando pulsus mollis est, extracti loco pulvis corticis peruviani contra hunc casum recte exhibetur, quippe qui putredinem corrigit et roborat. Juvat et simarubae cortex cum succo catechu. Quibus demum nihil proficientibus, laudani liquidi usus prudenter admittendus erit.

Quodsi vero minuto per medicamenta sistentia alvi fluore abdomen inflatur, anxietas, respirationis difficultas suboritur, ab adstringentibus abstineas. Optimum tunc erit clysma emolliens; cortice autem et acidis strenuo pergatur; alias gangraena subito interimit.

Meteorismo, siquidem cum alvo liberiore incedit, dispellendo inserviunt fomenta aromatica cum vino, linteis bene expressis; neque calida nimis sint, neque frigefacta relinquantur. Proficuum etiam est clysma ex decoctione corticis peruv. et fl. chamomill., et corticis ejusdem cum liquore anodyno usus internus. — In summa debilitate vinum rubrum reliquis praeferendum erat, cum aqua dilutum.

Ubi post febrem putridam sudor relinquitur viribus infestus, cortex peruv. ulterius erit continuandus; is enim generatim reliquiis morborum acutorum exterminandis et restituendae justae transpirationi utiliter adhibetur (praeeunte Werlhofio, corticis laudatore). Abstinendum vero tunc temporis ab omni purgante, quippe quod pessime nocuerit. Quodsi obstructio viscerum adest et oedema pedum, a morbo secundarium; praeter frictiones cum pannis fumigatis, sensim jam redeuntibus viribus, infusa ex absinthio, vel centaureo minore, commode propinantur.

Etiam appetitus diu deficiens in convalescentibus cortice peruv., amaricantibus, et si alvus adstricta fuerit, salibus mediis optime erigitur; remotis tamen spirituosis.

Aër sedulo renovandus; impurus enim vires attenuat, somnum impedit, sudores nocivos inducit. Lintea mutanda, minus tamen, dum exanthemata prodeunt, aut sudor largus promanat.

Potus gelidus, ubi expetunt alia fastidientes, concedi potest; sit vero modicus.

§. 145.

Ardentem Quarinus dicit febrem continuam remittentem, quae cum ardore incedat digitum tangentis urente, siti inexplebili, pulsu duriore, pleniore, siccitate corporis, in typhodem statum propensione etc., secutus in describenda idea vulgari auctorem Galenum, Boerhaavium et al. —

In hac sedimentum urinae lateritium potius pro criseos nuntio, quam pro ipsa critica evacuatione habendum; quo citior enim sedimenti et diuturnior dejectio est, eo perfectior crisis aestimanda.

Solvitur eadem critice cum rigore (Hipp., Boerh.), dummodo benigna ac spontanea evacuatio (sudoris etc.) proxime insequatur. Ubi similis rigor prehendit, cavendum a calefacientibus; significat enim materiam morbi jam mobiliorem, hinc in discessum pronam. Expedito deinceps humorum motu, brevi succedit aequabilis per universum corpus calor; quo facile distinguitur affectus a pessimo rigore, quem extremorum frigus excipiat, dum immeabilis redditus sanguis ad extrema corporis nequeat propelli.

In alvi crebra dejectione, qua vires debilitentur, pulsus inaequalis evadat, cortex peruvianus juvat pulvere datus, quum ab extracto ejusdem augeatur fluor malignus; conducit et bolus armena cum gummi arabico et aqua rhoeados mixta. Simul, ut variat species symptomatum, decoctio chinae, camphora et similia exhibentur secundum rationes supra redditas. Vesicatoria suris applicanda. — Ubi ad fractas jam vires diarrhoea accedit et a potu quolibet augetur; adstringentium opportunitas est, succi catechu, pulveris cort. simarubae, cort. peruviani. Contrahitur fluxus facile ex potu assidue assumto, clysmatibus crebris et ex ipso majore affluxu humorum, qui jam in principio morbi a materia acri fiat et intestina irritante. Urgente necessitate, opium per vices exhibendum; cavendum vero, ne subito profluvium sistatur.

Quae a diarrhoea importuno suppressa proficiscuntur symptomata deteriora, curantur ut superiore § de hac re praeceptum est.

Aeger melius recubat in culcitra, quam lecto plumis referto. Calor vitandus; aër purus sit, potio frigidiuscula, nocet gelida.

Gangraenam noster, ut Haenius, proserpentem vidit, quum peruvianus cortex in extracto et in pulvere adbiberetur; fixam tamen et definitam a decoctionis usu (cum succis acidulis commode juncto).

Quamdiu pulsus satis durus est, licet sanguine misso, alvo expurgata, viribus admodum collabefactis; cortex non prodest, imo morbum auget. Tentavit quidem noster in constitutione a. 1753, quum remissionem regularem videret, venae sectione facta et vacuatis primis viis morbum subito cortice evertere; sed febres longiores, crises tardiores, imperfectas, et crebriores recidivas inde observavit. (Forsan in secundis viis cruda supererat materies, quae coctionis adhucdum expers secundariam crisin exspectaret, jam vero importune conturbata.) Neque etiam in ipsa gangraena emolumentum a cortice sperandum est, ubi vasa nimium plena et sanguis adhucdum inflammatorio coagulo tectus est (Pringle).

Vigiliae urgentes optime curantur erecto corporis situ, regimine frigidiore, alvo expedita, et linteis cum aceto et aqua rosarum ad tempora admotis. — Abstinendum ab opio, quod nonnulli commendaverint contra impetum naturae ferociorem. Nam vigiliae perseverantes crebrius prima initia inflammationis in cerebro denunciant, quae facile proritatur opii usu pariter ac vini.

Parotidum tumoribus emplastra gummosa, d. galb. crocatum etc. utiliter imponuntur. Cataplasmata refrigerantia facile nocent repellendo. Abscessus maturato pure promte aperiendus ante fluctuationem, quippe quae vix conspicua fit propter tenacitatem materiae (praeeunte Pringlio); omissa incisione praesentaneum periculum

vel febris lenta induci potest propter resorptionem. Si humor emittitur saniosus, fractis simul viribus, cum pulsu inaequali, intermittente; pessimum. — Parotides subito subsidentes, non subsequente alia evacuatione, malum; neque vero suppurantes etiam certam salutem pollicentur. —

Si quando a febre ardente, maxime ubi sputa egerebantur copiosa, corpus exhaustum est, respiratio ad motum difficilior cum sputis purulentis; equitatio, rusticatio, decoct. cortic. peruv. et lichen. islandici, interposito lactis usu, cum moderato corporis exercitio egregie proficiunt.

Si sudor a febre praegressa profusus supererat, infusum salviae; si calor inde aut sitis intendebatur, cortex peruv. cum spirit. vitriol. et liquoris anodyni pauxillo utilitatem nostro praestabat.

Surditas remanens aut sponte cedit, aut empl. ex galbano cum camphora nuchae imposito tollitur.

---

§. 146.

De febre maligna praecipiens noster Huxhami [12]) vestigia presso pede secutus est in signis morbi et causis enarrandis.

Triplici modo obviam habet, modo ubi inflammatorii quidquam adjunctum ei est; modo cum putredine humorum complicatam, modo denique in seroso liquore, forte in nervis haerentem malignitatem.

Prima species morbi, nisi quando contagium in causa fuerit, vix locum habebit. Observavit Quarinus populariter grassantem, incipientem cum calore, tussicula, genis rubentibus, respiratione difficiliori, sopore, prostratione virium; pulsus erat non admodum plenus, sed celer et durior solito, urina fere naturalis. Plures in

---

12) Cap. de febr. nervosa lenta. D. febr. 7.

eadem domo fere semper hac febre corripiebantur; pauperes prae ceteris afflicti. Praecedebant perpetuae aëris vicissitudines et magna tam a pluviis tam a nivibus diuturnis humiditas. — Sanguis hisce parca copia detrahendus erat, conveniebat enim repetita potius, quam largior missio. Cruor levissimo corio obductus. Neglecta venae sectione pulsus in parvum, subdurum, tensum, commutabatur; accedebant tendinum subsultus, convulsiones, deliria ferociora, respiratio admodum anxia, et aegri moriebantur stertorosi.

Praemissa igitur venae sectione noster exhibuit decoct. verbasci et sambuc. cum succ. citri et syrup. leniter aperiente; pro potu decoctum hordeatum cum oxymelite. — Quarto aut quinto utplurimum die sputa prodibant pauca, difficulter vero exscreata; hinc oxymel squilliticum decoctioni dictae adjici solebat.

Quibusdam secundo jam aut tertio die tremores ingentes, tendinum subsultus cum pulsu celeri, undoso, sopore gravi superveniebant; his quatuor ad quinque vesicatoria applicabantur cum fructu (more Riverіano). Camphorae mediocris dosis, utilis; major data sudorem, calorem, linguae siccitatem augebat absque levamine ullo. Raro sola haec medicina sufficiebat, sed adjungere conveniebat spiritum corn. cervi et castorei essentiam, donec pulsus aequalior, fortior, mens magis serena, et symptomata minuta cernerentur. — Urina hinc prodiit magis colorata, cum levi, mucoso sedimento, et judicabatur morbus per aequabilem, copiosum sudorem et urinae largiorem defluxum.

In hac maligna constitutione, sicubi aegri calido regimine mox ab initio vexabantur, ubi plures homines, etiamsi sani, in eodem cubiculo degebant, vel ubi ingruente morbo jam corruptae materiae quidquam in ventriculo gerebatur, febris putrida accedebat ac petechiae erumpebant sine levamine. Tunc cortex aegros juvabat cum acidis mineralibus datus.

Nonnulli sat cito restituebantur; quidam post longum demum languorem in integrum convaluerunt; qui dicto modo curati sunt, perpauci in atrocissimo morbo perierunt. —

Quodsi putrida intemperies malignae febri juncta est, nausea concurrit, anxietates circa praecordia, abdomen tensius, urina magis tincta cum sudoribus foetidissimis etc. Depugnatur morbus medicaminibus cardiacis et putredini resistentibus, qua ratione supra (§. 144) praeceptum fuit.

In tertia denique febris maligne specie, dum a contagio morbus originem habet, a miasmate salivae admixto itaque in ventriculum delato appetitus nonnunquam prodit dejectio, nausea, vomituritio; prodest tunc emeticum cito subministratum, inflammatoriam in ventriculo diathesin vel miasmatis in humores ingressum praecavendo.

Interdum vomitus hic absque signis aut inflammationis aut saburrae aegros distorquet; cujus remedium est in infuso menthae; quod si non sufficit, emplastr. de labdano cum camphora ad ventriculum applicetur; urgente vero necessitate elect. diascordium omni trihorio potest exhiberi (ad drachmam), donec vomitus desierit.

Venae sectio in tali febris nota nocet pessime, neque clysmatibus ibi locus.

Plurimum vero prosunt vesicatoria (River., Huxham., al.), plerumque aliquot, nuchae quidem admota in sopore.

Diluentia aquosa sola non adeo juvant, sed requiruntur stimulantia et materiam forte nervis inhaerentem (lentorem) corrigentia. Infusa mediocriter aromatica.

Ubi tremores, tendinum subsultus, convulsiones etc. caput extollunt; camphora, spir. c. c., moschus, serpentaria locum inveniunt dictis sub conditionibus.

Cortex peruv. in hoc febris malignae ingenio non multis proficuus est, si pulsus celer admodum, undosus,

inaequalis; opportunitatem tamen habet circa finem morbi, quando ab usu medicamentorum pulsus iterum aequalis exstiterit, sed parvus et sano longe tardior apparet. —

Ad mortem et ad salutem dies incertus est. Bona sperari jubent pulsus fortior assurgens, color urinae magis saturatus, caput liberius. Quandoque morbus sine evacuatione conspicua dissolvitur.

Parotides, miliaria, urina saepius hanc morbi speciem levant, prae ceteris vero sudor aequabilis.

Diarrhoea hic rarissime critica fit; hinc tum initio morbi, ubi gastricae colluviei nulla signa, sed debilitas maxima offenderit, compescenda, tum, ad finem morbi, justo etiam tempore eveniens, si copia modum excedit, continenda (Pringlius). Laudani circumspectus usus multis in hac rerum conditione salutaris fuit. Diarrhoea hinc minuta sudor utplurimum laudabilis insequebatur.

Cavendum, ne stragulis aegri nimium obruantur, neque ex lecto justo maturius emittantur, vel erecti sedere cogantur, quamdiu vires cordis nondum satis refectae fuerint, ad sanguinem quaquaversus cum energia distribuendum. (Frid. Hoffmannus, Pringlius.)

Victus convenit aliquantum lautus, nutriens, vinum, ubi aeger appetit, rhenanum, austriacum. — Reliquiae morbi tolluntur diaeta bona, roborantibus, vino, exercitio corporis, frictione.

---

§. 147.

In exanthematibus acutis vix aliqua species est, quae non frequenter cum typhode statu incedere visa sit; prae ceteris tamen solemni saepeque populari connubio miliaria et petechiae junguntur. Quarum cognitio quum comitis mali rationem quadantenus illustrare queat, circa nostram quaestionem minime negligenda.

Miliaria alba graviorem plerumque affectum comitatur quam rubra; saepe mixtae sunt; pejores, si confluentes. Infestant sporadicae, epidemicae; passim, in paludosa regione, endemicae.

Praecedit vulgo eruptionem febris acuta, anxietas, jactatio, dolor spinae dorsi, tussicula, dolores rheumatici et simil.; emergunt vesiculae die incerto, 4, 7, 9, 11, 14, 17 et aliis diebus indiscriminatim.

Raro prodeunt in facie; rarius in robustis, sanguineis; sed magis hi periclitantur, quam feminae molles et viri laxi.

Quo magis copiosae sunt, eo magis periculosae; morbum modo levant, modo nil mutant, quare a multis criticae, ab aliis symptomaticae dicuntur.

Erumpunt a sordibus ventriculi vomitorio non ejectis, etiam in dysenteriae principio, evacuantibus perperam omissis (Zimmermann); disparebant, illis sponte vel arte propulsis.

A regimine admodum calido frequentiores sunt; diffiatis quippe subtilioribus, crassiora vasis cutaneis figuntur, aegri sudoribus diffluunt; febris exstimulatur. Ab eruptione tunc anxietas etc. non minuuntur; augentur potius ac deliria et phrenitis accedunt. — Sanchez solum inter Germanos vidit, inter Rossos raro vel nunquam; adscribit hoc stragulis plumaceis, quibus illi cooperiuntur. Rarae tamen fuerunt in exercitu Borussorum, licet calor cubiculi et remedia calida aegros conturbassent (Baldinger).

Quandoque per epidemicum statum prodeunt. A. 1758 omnes fere acute decumbentes miliariam habuerunt, licet purgatis primis viis, et stragulis ac medicaminibus calidis minime vexantibus. Erumpunt interdum vesiculae datis antiphlogisticis, vitatis calidis, die critico, praeeunte perturbatione supra notata. Simul pulsus hactenus parvus in magnum, inaequalis in aequalem mutatur; cutis arida madescit, oculi reviviscunt.

Saepe ita in febribus malignis levamen attulerunt, nec non in rheumaticis et catharrhalibus.

Arcendus tamen aër frigidior, neque ex lecto aegri dimittantur; nam debiles admodum sunt animoque facile linquuntur.

Curatio febrium ab eruptione miliari ceteroquin non mutatur; conveniunt, uti alias, diluentia, acidula etc.

Nocent absorbentia, forte propter odorem acidum, ingesta; praesertim si prohibetur simul acidulorum usus. Concedendum potius appetitui aegrorum, acida utplurimum desiderantium.

Venae sectio non inepte instituitur, etiam prostante exanthemate, dummodo adsint, quae vulgo hanc conditiones efflagitant. Deficientibus autem viribus, pulsu intermittente, debili etc., vinum, vesicantia, camphora, cortex etc. in auxilium vocanda, pro varietate indiciorum, supra dicta ratione.

Retrocessio miliariae subita, malum signum, nisi alia evacuatio succedat; secus dyspnoea instat, deliria, convulsiones, non raro mors ipsa. Quo copiosiores vesiculae et eminentiores, eo majus periculum a subsidentibus cito.

Ad revocandam eruptionem diversa requiruntur auxilia: venae sectio etc., ubi facies rubet, maxime spirituosorum haustus, aut lochiorum suppressio in causa est etc. Sanguis tunc missus saepe densissimus; minimeque putrida dissolutio.

Ubi a pastu immodico retrocedebant, quod noscitur tum ex relatione aegri, tum sensu ponderis circa epigastrium, ructibus graveolentibus, nausea etc.; diluentia tentari possunt; unde si symptomata non minuantur, emetico saburra ejiciatur.

Quod si nullum circa diaetam vitium admissum fuit et exanthemate ante tempus subsidente vomituritio aut vomitus sequitur, materia mali ad ventriculum delata est; quod significatur pulsu parvo, inaequali, undoso,

virium egregia dejectione, tremoribus, tendinum subsultu. Vitato emetico, vesicantia suris applicentur, propinentur infusa tepida larga, camphora, moschus, tinctura castorei (cf. praeced. § de febre maligna). In convulsionibus sic obortis moschus efficacissimus (auct. Huxhamo), qui sine magno calore per cutem exterminat; blandus inde sudor sequitur et somnus tranquillus. Continuentur simul diluentia, cortex peruv. etc. pro varietate symptomatum.

Si denique disparente miliaria diarrhoea enascitur cum levamine, nil mutandum. Compescatur fluxus, modo supra exposito, ubi in pejus inde status ruere videtur. —

Petechiae nonnunquam purpureae aut lividae prodeuntes in rubras mutantur, saepius vice versa. Erumpunt incerto die, quemadmodum miliaria; comites habent virium prostrationem, pulsum debilem, deliria, soporem, sitim, ac potissimum febrem continuam remittentem.

In facie efflorescentes, pejores; non eminent, sensim disparent, absque desquamatione.

Saepius existunt, velut miliaria, dum in febre putrida sordes non satis ejiciebantur. Patet affectus ratio ex medicatione praemissa, nausea vel appetitu prostrato, abdomine inflato, alvo foetente, lingua impura, urina jumentosa, anxietate circa praecordia, sudore copioso non allevante.

Verum etiam erumpunt, ubi morbi materies primo statim sanguinem et humores afficiebat. Sic laborantibus absunt signa saburrae, exanthema citius emergit, urina minus crassa et colorata, sopor et subsultus tendinum, tremores brevi aegris superveniunt; sudor his utplurimum salutaris.

Interdum ex genii regnantis proclivitate; saepe a stimulantibus medicamentis ortum habent, pariter ac miliaria; hinc frequentius variolas aut morbillos comitantur aut humidis locis familiares sunt.

Raro cum levamine prodeunt, quandoque etiam criticae (auct. Swieten.); frequentissimae in febre putrida, rariores in maligna, rarissimae in inflammatoria.

Cura differt pro ratione febris comitantis. Pulsus durus, plenior, qualis tamen raro occurrit, venae sectionem poscit et antiphlogistica. Ubi febris putrida aut maligna associata est, curabitur ut supra praeceptum.

GUILIELMUS GRANT [13]).

§. 148.

Inde ab Austria superiore in Angliam divertimur longe, quippe audituri Grantium. Is quidem artem ibi exercebat coaetaneus Quarino, nec non adjuvabat scriptis, Sydenhami se gerens cultorem doctum, sapientem; imitatorem haud infelicem.

Statum typhodem febribus accidentem vidit plurifariam, differentibus causa ac diathesi corporum favente, statu et signis comitantibus, periculo existente, judicationis via ac more, medendi ratione apta. De singulis itaque nonnihil subjiciatur speciatim.

Ineunte aestate febris solet invadere prae ceteris omnibus frequens, a prioribus vulgo humoralis, Sydenhamo depuratoria, nostro synochus non putris dicta, gastrica adjuncta colluvie insignis. Sordes autem in hac minime videntur a cibis perperam ingestis existere, utpote vitiata concoctione; sed potius ex sanguine in primas vias secernebantur muci specie, praecedentibus quasi necessario symptomatibus quibusdam morbum instantem vulgo annuntiantibus, antequam indicia emergunt, quibus praesentia dictae materiei et maturitas et in discessum propensio manifestatur. Emeticum statim ad prima indicia ingestum et purgans me-

---

13) On the nature and cure of fevers. Lond. 1772. II Vol.

dicina mox submissa, levaminis quidem adferunt nonnihil, nec tamen mucum tenaciorem adhucdum dimovent; iterato vero post aliquot dies medicamine, quando quidem certa illa gastrici confluxus testimonia comparuerunt, mucus decedit larga copia, paullatim ac vel spontaneo motu vel medicamento jam facile solicitatus.

In quo affectu si forte inter calorem febris concoquentem nova materies humoribus admiscetur, horror quoque renovabitur identidem. Calor et horror tali modo sese invicem excipientes, evacuatione non sequente largiore, decretoria, febrem efficiunt, quam epialam Graeci veteres nominaverunt. —

Intensionem febris capitis dolor saepe comitatur permolestus, mox, ubi non cito satis medelam admiserit, vigilias, deliria et pessimorum symptomatum cohortem inducens. Nervina quae dicuntur medicamenta, majore vel minore dosi exhibita, plus vel minus nocuerunt. Convenit autem venae sectio larga, ubi pulsus fortis, plenus est, eaque iterata, usque dum symptomata satis remiserint. Ubi durus simulque parvus pulsus sentitur; cucurbitulae vel hirudines applicentur temporibus. Ubi lingua conspurcata, mucosa; emesis leni medicamine provocetur, alvusque aperta servetur, clysmate, ubi necessarium fuerit visum, injecto. Largae insuper offerantur emulsiones, ptisanae aliaque refrigerantia, si quidem stomachus non refragatur.

Multum hos juvat erectio corporis in sella, et exemtio ex lectulis, quamdiu sustineant aegri, tum interdiu, tum noctu; aëre assidue renovato. Capillis mox resectis caput aceto vini bene ac saepius lavetur, dein pileolo levi, linteo cooperiatur.

Tali ritu non solum inflammatoriis febribus, verum etiam biliosis et putridis, quoties dicta mala supervenirent, felicem noster curam gerebat Sydenhamum apprime secutus.

Purgantia ex rheo etc., in hac febre optime conveniebant, quam primum ex urina sedimentum largum dejiceretur, et ciborum appetitus inde promte restitutus est; prius data attenuarunt vires, augebant materiae crudae apparatum et febrem reddebant continentem.

Raro sub hac rerum conditione cortex aliquantum profecit ad paroxysmos prohibendos. Subinde remissiones ex usu ejusdem disparuerunt, excreta jam prodierunt minus percocta, immatura. Alias tollitur quidem febrilis impetus, appetitus redit, aeger laetius viget, omniaque bene procedere videntur ad sextum usque vel septimum diem. Tunc vero os siccescit, urina recrudescit, appetitus cessat, somnus amittitur et indicia prodeunt viscerum infarctorum, qui affectus tarde et difficulter demum superatur. —

Quae febris adulta aestate solemnis est, priorem fere excipiens, popularis crebro, varians autem symptomata prouti laborantes differunt constitutione etc., vocatur Grantio synochus putris sive, secundum Hippocratem [14]), typhus, utpote febris biliosa, in putridam dissolutionem propensa, discrepans praeterea a synocho imputri, virium majore dejectione, remissionibus minus manifestis, pulsu a sanguinis emissione facilius languente.

Occurritur morbo potissimum evacuationibus institutis. — Ubi sanguinis detractio convenit, ceteris utique praemittenda est, quo facto alia vacuantia tum magis innocua evadunt, tum efficacius etiam ingeruntur.

Stomachum emetico solicitare, multis necessarium est, propter turgescentem saburram. Omnibus autem accommodatum, eccoproticum medicamentum; alvus enim totum per morbum rite aperta sit.

Sudor citra coctionis indicia semper nocet; acidis nonnihil compescendus, si quando modum copia excedit.

---

14) Cf. D. int. affect. II. c. 42, typhus primus; vid. supr. p. 17.

Praeparatur evacuatio benigna materiam crudam, putrescentem alterando, corrigendo, qnippe datis fructibus tempestivis, potulentis acidulis, resolventibus; sedulo vitatis carneis omnibus, quamdiu quidem a primaria vehementia morbus non remiserit. Importuna etiam sunt opiata quaecunque nec non calida, sudorifera, vesicatoria, donec pulsus nondum relaxatus fuerit.

Juvant vero sudores moderati, spontanei, nocturni, coctione peracta et febre ad finem vergente, dummodo haec ab initio bene curata fuerit; alioquin damnandi sunt ut incommodi.

Praegressis coctionis ejusdem et criseos indiciis cortex in tempore datur, praesertim pulsu labascente, ore vero minime sicco.

Ad cephalalgiam pertinacem melius adhibetur venae sectio quam vesicatoria vel camphora; pulsu multum attenuato recte illi subtituetur cucurbitula.

Potulenta omnia subfrigida, clysmata vero calida ingerantur; per diem aeger erectus considat in lecto.

Ubi phrenitidem febris ejusdem vehementia minatur, mente conturbata, doloribus caput pervolitantibus, subsequentibus deliriis absque morbi perceptione; optimum est, aegrum, ad exemplum Sydenhami, vestibus obvelatum in sedili collocare, capillos resecare, caput ipsum aceto bene abluere pileoloque tenui leviter obtegere. Ubi erectionem diutius aeger non sustinet, recumbat ad lectulum vel conopeum capite elato, victum capiat refrigerantem, alvum clysma aperiat, saepius iteratum; itaque pergatur usque dum mentis integritas restituta sit, vel pulsus subsidat viresque deficere incipiant. Quodsi tunc in ipsa sella abdormiscit aeger, non nocet. Ubi lingua humida est, alvus rite aperta, pulsus mollis, viriumque apparens jactura; tunc demum, neque prius, tempestivum est, vesicatorium capiti admovere, camphorae julapium suppeditare cum liquore Mindereri stibiumque diaphoreticum.

Quae ubi bene gesta sunt, aegerque lectum appetit, commode decumbet. Si requiescit placide vel somnum capit, vel sudorem adeo emittit; contineatur in lectulo. Docent enim haec, transiturum esse affectum. At vero si nihilo secius recrudescat insania, eximendus erit ex lecto curandusque ut modo praescriptum. — —

In febribus vero autumnalibus, bilioso statu conspicuis, quales vulgo biliosae dicuntur, quasque Sydenhamus febris novae, veteres causi titulo innuere videntur, dolor capitis vexat et artuum, pulsus ab initio parum mutatus, serius ab horrore celer, sanguis crusta phlogistica obductus, maxime dilapsis aliquot diebus, cum sero flavescente; versus finem morbi dissolutus. Accedunt pectoris et colli labores. Quavis vespera febris intenditur; facile existunt phrenitis ac deliria, nec tamen adeo saeva, uti in variolis aliisque febribus, sed tacita potius et obscura, interrupta, maxime a jugi in lecto decubitu stragulorumque cooperimento inducta. Qui ab initio bonum nacti sunt medicum, raro phrenitici fiunt facileque tunc restituuntur. Graviora autem omnia evadunt, ubi sudor primo statim multum urgebatur, ceteris quidem evacuationibus nondum praemissis. Erectum sedere, etiam hic proficuum est. Multis emergunt petechiae et alia exanthemata ex usu calidorum et regimine exaestuante, tum maxime in juvenibus et calidis hominibus; maculae frequentes purpureae, tamquam signa phlogoseos intensae. Prohibenda haec est sanguinis missione, donec aequilibrium inter vasa et sanguinem movendum restitutum fuerit; dein causa irritationis emendanda, ejicienda, quo facto cordis et arteriarum turba spontaneo ritu componetur. Animi etiam cura et pacatio minime negligenda, usque dum virium natura satis recuperaverit.

Potest etiam in biliosa et putrida ipsa febre venae sectio admodum salutaris fieri, siquidem cum justa cautione et mediocriter detrahitur, consideratis pulsus cele-

ritate et robore, naturae energia et copia sanguinis in telam cellulosam effusi. Suo tempore deinceps ac dosi justa vinum quoque commodum est et cortex peruvianus.

Quando in hac febre cerebrum morbo semel occupatum est ac phrenitis oborta; tunc febris indicia solent desinere, cutis arefit et incalescit, os siccescit, lingua fusca, aspera, rigida est, urina cruda, alvus vel obstructa vel graveolentia dejiciens; pulsus interdum celerrimus adhuc, intermittens, ubi facultas vitae plurimum conturbata est; mox tendinum subsultus, cito lethiferi.

Etiam ubi facta jam erat ad cerebrum morbi conversio, cum deliriis, stupore, anaesthesia; Grantius, venae sectione, vesicatorio, hirudinibus frustra praemissis, emeticum dedit (infus. ipecac. vinosum), pauloque post purgans medicamentum haud sine fructu; mox poma, victum acidulum, salia media, clysmata. — Corticem ipsum praecipue solidorum debilitati reservavit, humoribus tenuibus acribusque associatae; incongruum reperit sanguini crasso, phlogistico, nec non debilitati nimiis ex evacuationibus vel ab insueto, tenuiore victu oriundae; qua sub conditione praestare ipsi videbantur diaeta emendata, lautior, vinosa, acida mineralia etc.

Sudor largus neque in autumnali hac febre usquam utilis, nisi ubi biliosus fomes satis percoctus et maximam partem exterminatus fuerit. Purgatio vero jam tunc non absurda est, quando indicia maturationis nondum prodierunt; venae sectione hic non minus quam in aestiva febre laxantium efficacia juvatur. Iteranda venae sectio est, anno declinante, ubi noctes longiores evadunt, aquilones saepius perflant, quo tempore pleuritici affectus increbrescunt. Pulsus parvus, in junioribus quidem ac plethoricis obvius, a venae sectione medicum non deterret; assurget enim a missione.

Damnat noster vesicatorii usum circa initia febrium biliosarum, putridarum festinatum; vidit inde phlogosin intensam, morbi materiam acerbiorem, propensionem in

sudores auctam, evacuationem per intestina praetervertersam. At vero quando ad atrabilarem epidemica constitutio vergit, cum tussi sicca, aspera, nec venae sectionibus nec evacuantibus sublata; cantharidum emplastra apprime conveniunt, quamvis etiam tum febre duntaxat declinante; praemissa ubicunque justa evacuatione. Similiter fere opiata usurpentur, sub finem morbi passim ceteris omnibus praeferenda. Commode praeterea exhibentur, si quando evacuationibus largioribus opus erat, in hominibus facile irritatis, debilibus, roborandi et reficiendi scopo, sublata quidem omni in inflammationem proclivitate. Praeferenda tamen hoc consilio videntur vinum et victus lautior. Acida mineralia cardiaca virtute pollent demum dissoluto sanguine et petechiis prostantibus. Nam licet febris biliosa idem cum putrida genus habeat, tamen non tantis, tamque efficaciter antisepticis illa medicaminibus curanda est, quam altera. Et quum tardius demum ac paullatim biliosa colluvies educatur, omnis interim adstringentium usus abesse debet ut noxius; praestant autem saponacea, acida ex vegetabilium genere, tamarindi, oxymel, salia media etc. In putrida febre corticis frequens necessitas est, ut sanguinis putrescens intemperies emendetur; nocet vero idem in simplici biliosa febre, quin etiam si in intermittentem haec inclinat, importunus est, nondum peracta quidem materiae ablegatione vel subactione, utilis demum potius roborando, quam febrem fugando, nisi vere et exacte intermittens haec exstiterit.

Ne vero usus evacuantium eo usque continuetur, dum prorsus discesserint symptomata; facile enim sic malum morbus nanciscitur exitum. Saepe leves quaedam reliquiae supersunt aliquamdiu, eaeque absque periculo recidivae; sponte enim evanescunt, saepe ab evacuationibus institutis et inanitione vel victu inassueto profectae, maximeque nervos laborare testantur. Temperandum hic a detractionibus et exspectandum paulisper;

nam per tempus haec optime sanantur (Sydenham.); sub vesperam forte paregoricum opiatum haud absurdum erit. — Haec noster de febribus vulgaribus in typhodem statum propensis.

§. 149.

Quae morbi materies viribus naturae vinci et concoqui non potest, potius intemperiem et corruptionem humoribus inducit peculiari irritamento, quo quasi ipsa recens generari et latius per corpus propagari videatur, ea proprie maligna dicitur, in contagiis quam maxime frequens. Primaria febris maligna, spontanea vel humorum vel solidorum depravatione existens, satis rara est, caput vero extollit, ubi multus hominum confluxus in angustis conclavibus, cum sordibus multis et aëre minime renovato. Inde contagionis via morbus ad alios propagatur.

Malignitas vero et venenata pestilentis febris natura iterata infectione, complures aliquot homines permeante, defatigari videtur et subigi paulatim; ac nisi recens morbi fomes perverso regimine in singulis laborantibus adjectus fuerit, raro a tertio aliquis inficitur [15]).

Symptomatum ratio nervos inprimis laborare ostendit. Morbus dispellitur utplurimum per sudorem universalem, calidum, statim a principiis obortum, forte saepius repetitum lenem, vaporosum; vel per diarrhoeam benignam, dies aliquot continuatam; alias per salivae auctam excretionem. Itaque sufficiunt vires materiae, etiamsi non percoquendae semper, tamen saepius projiciendae. Nonnullis serius salus quodammodo contigit absque conspicua evacuatione, omnibus vero cum egregio nervosae facultatis detrimento; neque his unquam in integrum sanitas est restituta.

15) Essay on the pestilent fever of Sydenham. 1775.

Morbus non ubique cum putrida humorum intemperie junctus offendit; passim cum inflammatorio statu incedit, nonnullos cum bubonibus et carbunculis invadens, si quidem venae sectio neglecta fuerat.

Curam noster, statim a prima suspicione naturae pestilentis, incipit venam secando plethoricis, et mediocriter detrahendo decumbentibus quidem in lectulo. Ubi lingua sordida est et stomachus gravatur; proxime vomitorium submittit mediocre: ubi vero inquietudo, dolores et gravitas urgent in intestinis, frequens ad desidendum nisus; clysma injicit emolliens. Eodem adminiculo is utitur, ubi cum doloribus et tensione viscerum putrida dejiciuntur, hora post emetici haustum elapsa. Hinc levamen nunquam non sequitur, neque expiratio lenis abrumpitur, si forte salutaris adest. Tali tempestiva evacuatione saepissime symptomatum atrocissima mox disjiciuntur; neque damnum ista inferre potest, si quidem moderamen debitum observatur. Secretio vero materiae non prius in febre existit conveniens, quam ubi plenitudo humorum rite minuta fuerit; ac venae sectio in tempore hic instituta omne genus evacuationum expedit; haud aliter emeticum. Optimi quidem et vere salutares ii habentur sudores, qui a viscerum expurgatione contingunt. Omittenda tamen sunt evacuantia, quamdiu indicantibus momentis reapse non jubentur.

Jam vero, demto impedimento virium, febris inter paucarum horarum spatium liberius emerget; quo tempore abstinendum ab efficacioribus medicamentis, ne forte symptomatibus morbi cum medicaminum effectu confusis medicus in errorem deducatur circa definiendam indolem morbi. Potio subcalida, diluta, grata, aliquantulum nutriens, saepe sed parcius hausta satis naturam sustinebit, donec prodeant indubitata de morbi ingenio indicia. Aegri autem in hoc febrium genere calidam appetunt. — Quando deinceps, superatis illis evacuationibus, maligna symptomata in solidum eva-

nescunt, vel certe plurimum allevantur; spes valet, vulgarem, benignam febrem adfuisse; ubi vero minime dimittunt, vel adeo invalescunt; maligna timenda est, circa peculiarem naturam et speciem amplius pervestiganda.

Plurimae malignae eruptione cutanea insignes sunt. Pulsus iisdem stadia decurrentibus sensim minuitur, acceleratur et conturbatur, nihilque auxilium affert, nisi perspiratio adaucta. Quapropter potus cardiaci in promtu sint, diaphoretica autem medicamenta diversa, pro varietate obstaculi dimovendi. Juvat plerumque ad promovendum sudorem et alendum per quadraginta octo horas decoctio rad. serpentariae vel angelicae, cortici cinnamomi infusa cum liq. Mindereri. Absoluto sudore purgans medicina ubivis opportuna est, continuata simul per triduum potione ista diaphoretica, donec quae malignitatis sunt, omnia prorsus disparuerint. Stomachi affectio optime curatur potione Riverii.

Pulsus inter hanc medelam a sudore prorumpente major, mollior et tardior evadit, quamvis adhibitis excitantibus et calore lecti; istaque sufficient circa initia febris pestilentis simplicis, in corpore alioquin sano, neque humoribus pleno neque male temperato. —

At vero licet aliter ac per transpirationem morbus solvi non soleat, tamen, quando cum inflammatione intensiore junctus offendit, quadantenus antiphlogisticam curationem expostulat; neque in junioribus, plethoricis, dominante constitutione inflammatoria, unquam expedita, moderata et critica exhalatio conciliatur, nisi justo tempore febris, nec non copia conveniente, sanguis haustus fuerit. Praecox sudor, cum vehementi febris motu, non solet levamen afferre, utpote tunc demum morbum judicans, ubi sanguis quodammodo pacatus fuerit. Optimum igitur in pestilenti febre indicium pulsus habetur bonus, plenus. Crisis vero non a sudoribus crudis, colliquativis exspectanda est, sed a blanda, calida, vapo-

rosa exhalatione. Arescit cutis, si quis inter inflammatoriam diathesin exaestuatur; aperitur autem sanguine misso et potionibus largis. Sudore promanante tollitur simul vomituritio et nausea crebro in hac febre afflictans; iste vero, ubi salutaris contigit, per unum alterumve nychthemerum sustineatur. Si pulsus a venae sectione forte nimia admodum fatiscat; diaphoretica multo potentiora quam alias locum habebunt: vinum tunc conducit, forsan adeo vesicatoria excitandi et discutiendi scopo admota. Debilitate demum propter evacuationes valdopere urgente cortex peruvianus haud absonus erit. — Cf. Sydenhamus de constit. pestil.

Quando corpus impurum, circa humores male temperatum, contagione maligna inficitur, vel maxime regnante putrida per populum constitutione; febris existit pestilens putrida, teste Grantio, Londini aestivis mensibus a Julio ad Septembrem usque solemnis. — Symptomata mali partim a bilioso-putrido statu, partim a maligna indole edi videntur, quasi cephalica vel nervosa, saepius similiter enumerata. (Cf. Huxhamus d. febr. putrida, maligna.) Etenim utriusque aegritudinis materia connubium amat mutuum, quasi ex affinitate chemica. Quae ab altera prodeunt symptomata, purgationem requirunt et vomitum excitatum; altera, quae tenuior est, diaphoreticis proprie excutitur, submisso demum eccoprotico: nocent tamen sudores festinati, nam praeeat necesse est alvi egestio, qua recte peracta in robustis et vegetis hominibus spontaneo plane nisu sudor erumpit. Cardiacis autem et sudoriferis opus fit in debilibus admodum, praesertim ab evacuatione plurimum fatiscentibus. — Cavendum igitur sub hac rerum conditione a curatione rigorosius antiphlogistica, potissimum in scorbuticis, tenerioribus aegris; minime omittendus evacuantium usus et antisepticorum, in corporibus impuris et annua constitutione putrida; differenda sudoriferorum ingestio, usque dum humorum redundantia et sordes

gastricae sublatae fuerint, deinceps vero mox exhibenda; neque praepropere sudor abrumpatur, neque diutius, quam par est, producatur. Denique, ut modo notatum, absoluto sudore, alvi purgatio iteranda. —

Febres vulgares, annuae, benignae ubi negliguntur vel perversa methodo curantur, facile speciem induunt malignarum. In his vero, quippe quum apparens malignitas sit vel factitia, nonnisi ea juvabit medela, quae primariae morbi naturae convenerit; cujus causa vel fomite remoto febris ipsa remittit simul cum insolitis spuriae malignitatis symptomatibus, nisi forte contagium vulgari febri adjunctum fuerit.

PECQUIUS CLOTURANUS [16]).

§. 150.

Hippocratis morem et studium professus in epidemicis curandis ac describendis, haud vulgare inter populares suos exemplum edidit, dignum quod medicorum imitationi publice commendatum sit. Nos quidem juvabit, brevibus hic notasse, quales inter ceteras, quas vidit varias, typhodes constitutiones observaverit, curamque obiter delineasse.

Febris Galliae occidentalis provinciam pervastavit popularis, putrida, maligna, vermibus largiter projectis conspicua, multaque secum ducens symptomata nervosa ac pleuritidem mentientia. Cedebat morbus emeticis et purgantibus medicamentis, corticis decoctione et acidis in subsidium missis; unde cum vermibus biliosa multa descenderunt, petechiae et putrida humorum dissolutio praevertebantur et phaenomena ex consensu partium nata sat frequentia et molesta promte

---

16) Lepecq. de la Cloture, Observations sur les maladies epidémiques etc. T. II.

exstinguebantur. Emetica per constitutionis naturam conveniebant, etiam si propter symptomata alias terrentia recusari viderentur; saepeque per eadem unica salutis via patebat. Venae sectio, potissimum adulta constitutione, incongrua fuit et funesta. Decurrente morbo nullus saepe sudor emergebat, nullum coctionis indicium. Turba symptomatum demum componebatur vulgo evacuatis vermibus. Quin etiam graviditas non deterrebat ab usu emeticorum, quippe tunc non minus utilium. Excretio vermium semper boni ominis, nisi admodum multi essent vel laxativo medicamine incassum proritati. Similis evacuantium praestantia in prophylactica cura obtinuit, ingruente morbo. Contagium an febri subfuerit, incertum; dubitare videtur Pecquius. —

Idem refert de constitutione petechiali inter Tolenses grassata. Morbus intra biduum vel triduum lethalis; quibus vero cito succurrebatur, vermes decesserunt, exinde prorumpentibus, fausto omine, petechiis. — Alias febres cum verminoso statu populariter desaevientes, typhodes simul, pariter vidit vomitoriis et eccoproticis sanatas, ab alia quacunque medela mortiferas. Etiamsi quidem alii medici negassent, in verminosa febre maligna vermes ipsos esse permovendos; tamen peremtis hisce vel expulsis saepe, quidquid malignum in symptomatibus haberetur, promte disparuit. Morbus itaque proprie malignus minime dicendus. —

Generatim noster monet, ut in putridis constitutionibus morborum, quantumvis saeva prodeant symptomata, medicus animum advertat ad vermes forte conspicua copia dejectas, perquiratque, quid inde eveniat circa intensionem accidentium. Videbit tandem, num debeat hinc indicationem curandi principem derivare, nec ne. Indicatur autem vermium impugnatio: nausea, animi deliquiis, doloribus corpus universum, potissimum vero caput et poplites discruciantibus, lacerantibus; morsu ventriculi; dolore colico; flatibus; repentino

ventris tumore, mox subsidente iterum; vertigine; delirio, intermittente quidem, sed cito rursus instante; convulsionibus; tremoribus artuum, labiorum; furiosa agitatione, insidiis et conatibus mordendi adstantes; praecipue vero pulsu inconstante, modo forti, modo depresso, parvo, celere, intermittente, quandoque egregie tardo, raro, dum cetera accidentia vermium praesentiam coarguunt.

Ubi vermes aliquid efficiunt in morbo exacerbando, decursum conturbando, retardando, ubi copiosi adsunt cum sordibus forte biliosis, putridis remixti: certissime ablegantur tartaro emetico, repetendo doses refractas, quibus enecentur; augendo deinceps haustum, quo demum exterminentur.

Ceteroquin naturae indicia circa evacuationes minime despicienda; coctio, quantum quidem par est, exspectanda. Judicatio vero ejus morbi non criticis tantum diebus, sed ceteris etiam omnibus fere promiscue contingebat. Fieri poterat, ut vermes hunc ordinem naturalis operae conturbassent. —

In constitutione maligna Loveriana petechiae ac miliariae per vulgus grassabantur. Morbus contagiosus, perquam lethalis, insignis insuper bubonibus die decimo quarto ad vicesimum usque erumpentibus, difficulter suppurantibus, multis in duritiem pronis, sero demum resolutis. Aphthae nec non abscessus tonsillarum ac palati subinde fiebant salutares; crisis tamen qualiscunque non raro imperfecta; unde praesagium anceps ubique et difficile, vel propter causarum complicationem, vel propter facultatem naturae occumbentem. Hinc neque benigni etiam sudores, neque lenes ac biliosae dejectiones, sputa cocta aliave quantumvis laudabiliter excreta morbo una vice abolendo sufficiebant. Similiter sanguis largus, de naribus prorumpens die ipso critico vel coctionis tempore, non prius febrem judicabat, vel symptomatum vehementiam mitigabat, quam sudores,

urina ceteraeque excretiones cunctae auxilio subveniebant; alioquin exitium minabatur, supervenientibus virium dejectione, delirio, sopore medicamentis invicto.

Haud aliter circa miliare exanthema in hoc statu res cecidit: sive rubrum esset, sive album; perinde summum periculum, tum a perstante, tum a retrocedente. Neque criticum ubivis erat, etiamsi absoluta esset eruptio vesiculis rite repletis, exsiccantibus, ac squamis post decimum quartum, quippe tempore justo, ut putabant, et securo, decidentibus. Exanthematum eruptio potius promiscue morbum producebat et convalescentiam tardam, difficilem secum trahebat. Fallax saepe recuperata salus; nam denuo gravem in morbum incidebant, complures repente exanimati. Feminae utero gerentes, morbo frequentissime tentatae, ac magno cum periculo; puerperae vero perpaucae morbum superabant. Generatim in isto affectu cito succumbebant, gangraena quippe superveniente, qui nullis adminiculis curarentur, vel inceptam medicinam non satis continuarent; aliter atque in ceteris permultis constitutionibus, in quibus absque medicamine crebro restituti sint.

Plurimum conducebat promta adjumentorum accersio. Noster circa principia dedit emetica laxativa, quibus vulgo vermes multi vel biliosa, viridis materia evacuabantur. Submisit deinde potulenta acidula, cum corticis infusione, vesicatoria, die sexto vel septimo, quando rubescerent oculi et lacrimas fundere inciperent; vinum et serum lactis vinosum, in oppressione praecordiorum, pulsu debili, eruptione exanthematis propter virium jacturam cunctante; paregorica leviora; denique decrescente morbo evacuantia in permultis repetebat. Crisis in multis neutiquam conspicua fuit; aliis per sudores, dejectiones biliosas, miliariam, parotides contigit. Urinae excretionem, si qua forte morbum judicatura esset, arteria annuntiare solebat inter multas celeres, molles

parvasque motiunculas in singularem eumque majorem ictum passim assurgens.

Tristitia insolita et animi statim in principiis ingruens abjectio Pecquio pariter atque aliis multis observatoribus funestum exitum praesagiebant, quasi fracta inde naturae energia et perturbata morbi deflagratione.

Reperta semel medendi conveniente methodo, morbus ipse mitius decurrebat; indicia coctionis stabiliora evadebant et certiora, crises exoptatae crebriores, contraria fere atque antea observabantur. — Constitutio haud multum absimilis Mutinensi illi a Ramazzinio descriptae.

Processus constitutionis bene animadvertendus. Idem enim affectus, genio dominante eodem, variis personis ludit varia per stadia constitutionis, monente jam Sydenhamo; id quod non infimi momenti est, circa inflectendam medendi viam, assidue tamen considerato more grassantis epidemici. Ita in constitutione dicta petechiali ac miliari mense Novembri nova symptomata hactenus vulgaribus adjungebantur, pro pectoris affectione incautis imponentia. Putrida enim ista ac maligna febris speciem induebat pleuritidis, donec in fastigio demum morbi prima indicia putridae dissolutionis indolisque malignae in conspectum prodierunt, tunc autem sero nimis comperta, quippe morbo confirmato et atrocius exsuperante. Etiam sub hisce fallaciis morbi emetica et purgantia conveniebant quaeque cetera notavimus supra, curato simul pleurae affectu per linctus, vesicatoria, ptisanam etc. Judicabatur hic sputorum exscreatione, quemadmodum biliosus ac febrilis status sudoribus, urina et aliis convenienter excretis.

Morbus hic pauperioribus maxime infestus erat et hominibus de plebe, qui tenuissimo et incongruo victu, habitationibus depressis, humidis, angustis uterentur. Premebantur simul magna ac diu perseverante annonae caritate, commercio et opificiis plane jacentibus, miseria in dies exacerbata. —

Multum noster tribuit, circa genesin morborum populariter vastantium, tempestatis annuae erroribus. Saepe vidit alteram anni tempestatem morem et temperiem induere alterius, quapropter illa morbos induceret proprie huic familiares. Suspicandum enim est in corpore humano ad circuitum anni certas quasdam existere mutationes, singulis tempestatibus, quemadmodum vulgo contingunt, respondentes; quapropter permutatio illarum conturbationem animalis vitae non potest non provocare. Etiam ante dictam constitutionem anomalia tempestatum et mutationes coeli frequentes erant et insolitae per aliquot annos. Itaque non humidus tantum calidusque aër, sed siccissimus etiam cum ardore ad morbos malignos corpora componit, ubi praeter consuetudinem intrat, vel diutius solito continuatur. Sed ut certi aliquid speciatim in hac re definiatur, opus est, ut rationem loci, situm, salubritatem etc. antea comperta habeamus. Epidemia Loveriana egregie variabatur ventis mutatis; austri quidem et aquilones sese invicem pari imperio excipiebant. Hinc petechias noster putat miliari exanthemate mixtas. Observabat enim per octo annos in Gallia occidentali miliariam populariter dominari, perflante diutius aquilone; petechias autem purpureas increbrescere austris aliquam diu continentibus. In epidemia Quintinensi petechialis febris nullis stipata fuit vesiculis miliaribus, quum austri frequentia prae aquilone plurimum exsuperaret. —

MAXIMILIANUS STOLL [17]).

§. 151.

Quantacunque febrium a natura varietas suppeditatur, quae partim, uti inter Hippocraticos quondam au-

17) Aphorism. d. cognosc. et curand. febr. Vind. 1786. — Rat. medend. in nosoc. Vindobon. T. VII.

ctores, ab excellenti quodam symptomate, alias, Galeno praeeunte, a typi diversitate multifariam nominibus propriis distincta fuit, usu ad artem parum proficuo; ea omnis in majorem praxeos utilitatem ad paucas aliquot simpliciores species vel exempla quasi morbi revocatur. Noster, Boerhaavii vestigiis, quamvis liberius, insistens, inflammatoriae, biliosae, pituitosae, putridae febris, ut potiores in simplicibus, normas constituit, tum forma, tum materia, indole et magnitudine etiam saevitiae ac periculi differentes, multiplici modo inter sese et cum aliis affectibus complicatas, altera in alteram, mitior fere in graviorem, saepissime conversas. A nulla harum febris specierum typhodes status alienus est, varians solummodo formam et gravitatem pro diversitate accidentium, ita ut passim phrenitis auctori dicatur, passim status nervosus, passim simpliciter delirium, coma etc. In delineandis istis affectuum simulacris vix a vulgari, etiamnum fere usitata consuetudine recedit.

Singularem tamen animi attentionem bilioso statui dicavit et febri adjunctae, quippe lubenter ad putridam, saepissime etiam ad malignam ac prae ceteris fere ad typhodem declinanti. Vix ullam profitetur febrem vidisse tam diversis variationibus ludentem, non solum diversis annis, sed eadem quoque regnante constitutione, prout variarent privatae causae, adeo ut longe major numerus febrium a veteribus distinctarum ad hanc generalem passionem concurrat. Multiplex vero persona morbo praetenditur, dum materia biliformis, quasi acris humorum intemperies, sub finem exacerbationis sudoribus difflanda, per orbem adhucdum circumagenda in aliqua parte quasi adhaerescens considat, vel propter febris impetum vel ob partis illius debilitatem aut angustias, obstructiones vel ob alias adhucdum ignotas causas. Ad cerebrum ita decumbens materies delirium, et phrenitidem gignit, ad cutem, petechias, erysipelas

etc : hinc phrenitis biliosa, petechiae, pleuritis biliosa etc. ad hanc stirpem quasi soboles pertinent. Princeps igitur cura, praeter loci laborantis considerationem et febris justum moderamen in corrigendo et projiciendo humore, ut communi symptomatum causa, versatur; hinc tanta et tam late patens emetico-catharticorum et alterantium acidulorum etc. opportunitas. Metastases periculosas, contra hanc medelam rebelles, viis primis rite purgatis vesicans avocabit; minime tamen principiis morbi conveniens, propter salutares alvi et urinae excretiones facile inde turbatas. Cautione tamen opus est in emeticis et purgantibus propinandis vel iterandis, non hic tantum, sed alibi etiam in morbis, ne signa saburrae fallacia pro veris habeantur. Continuato enim usu evacuantium, sordes, anorexia etc. saepe augentur, propter auctam ex stimulo medicamenti humorum salivalium, gastricorum etc. secretionem, forte etiam mutatam.

Nocent per se in hac febre, cardiaca, calefacientia, cortex peruv., vesicantia, opium, acida mineralia etc. —

Febris pituitosa cernitur motu naturae segniori, lento decursu, affectu tractuum membranae mucosae, laxitate totius, propensione in stuporem, lentam nervosam, etc. Sanatur ptyalismo, febre intermittente, quotidiana etc. Curatur obstructa aperiendo, spissa solvendo, soluta evacuando, laxata firmando; auxilio remediorum salinorum, incidentium, resolventium, emeticorum leniorum, subinde per epicrasin propinatorum, alterantium; purgantium consimilium; dein subamarorum usu, amarorum, tonicorum. Calidiore methodo morbus facile perniciosus evadit, inducitur miliaria non critica, viscerum inflammatio, febris ardens ipsa. Nimis vero, quam par est, antiphlogistica curatio in lentas ac nervosas febres aegros praecipitat, in languores diuturnos, articulorum morbos, hypochondriasin, phthisin pituitosam etc. Quam ob rem acrioribus stimulis parcendum, in principio praeprimis; atque universim lente festinandum.

Infesta febris est laxis constitutionibus, facile sudantibus, sexui magis sequiori, rarior in exercitatis, cute crassa, imperspirabili, sed hic periculosior; endemica in locis depressis, paludosis, subinde epidemica; haud absimilis febribus mesentericis Baglivi. —

Gravior hisce febris putrida est propter majorem, celeriorem solidorum et fluidorum corruptionem, putredini vicinam; oriunda ex causis febrium aliarum quarumcunque majoribus, diutius instantibus. Praecedunt lassitudo spontanea, dolor frontis obtusus, temulentia; levamen ab alvo mota. Incipit morbus cum calore intensiore, aut horrore, subinde miti; pulsu debili, accelerato, vel naturali; doloribus vagis, dedolatione insigniore; cephalalgia quam in aliis febribus mitiore, sed majore obnubilatione; accedunt stupor, delirium mite, nocturnum, auditus difficultas, tarditas loquelae, coma; oculi subrubri, subflavi, lacrimosi, pulverulenti, distorti; sanguinis dissolutio, faciei tristitia, mussitatio, narium siccitas et fuligo, lingua fusca etc.; dentes sordidi; excretiones foetentes; calor mordax; cutis sicca, petechiis variegata, miliaria, parotides, bubones, anthraces, icterus; mox tendinum subsultus, decubitus resupinus, neglectus; diarrhoea assidua, inscio aegro, verminosa, cadaverosa; demum floccorum venatio, haemorrhagiae variae, gangraena.

Constantior morbi character est languor facultatis vitalis, isque gravior, quam symptomatum vehementia et multitudo juberent exspectari, peragendae coctioni per se impar, pulsu cordis arteriarumque aestimandus; quae virium prostratio, ubi ingens est, in principio statim ingruens, malignitas nostro vocatur. Inde diversi putridarum febrium gradus, pro varietate intensionis. Varia cum aliis complicatio, successio, variam plane medendi rationem et summam medici cautionem requirit.

Curandi vero consilio ante omnia convenit, ut cau-

sae mali removeantur; aër purus sit, flamma ex lignis aromaticis (antiquo ritu) vel aceti vaporibus lustratus; victus humidus quidem, diluens, acidulus, attamen cardiacus; medicamenta resolventia, antiseptica, excitantia, varia intensione efficacia, nervina, ad virium jacturam, humorum depravationem, solidorum debilitatem accommodata. Purgatis autem, ubi opus est, primis viis, cortici peruviano locus est, forma qualibet usurpato. Vel solus adhibetur, vel adjunctis aliis adminiculis, in putridis praecipue longis, maxime vero genuinis ac simplicibus, feminarum nec non virorum debilium, aestate humidiore, simulque calidiore; in laxa solidorum fluidorumque compage, post evacuationes quascunque gastricas, sanguineas, cutaneas, nimias; in magno virium defectu, crises retardante; pulsu molli, debili, accelerato, aut etiam naturali; calore non magno; febre post purgationem factam remittente, aut continua facta ex remittente, vel intermittente; constitutione intermittentium febrium simul regnante; gangraena instante. Vitandus autem in primordiis febris, constitutione humida frigidaque simul, praesente saburra, praesertim turgente; nisi indicatio vitalis adfuerit; nocet etiam in diathesi inflammatoria, et inflammatione viscerum ipsa, quae tam saepe in progressu febri putridae supervenit; nocet in plethora et pulsu pleno fortique, qualis saepius ineunte morbo animadvertitur; neque admittitur, ubi calor urens et acris est, respiratio difficilis, meteorismus. Dari tamen potest et debet adeo, quamvis lingua conspurcata, vel etiam die critico. — Multum laudantur Stollio flores et radix arnicae, extracti vel infusionis vel decoctionis forma liberaliter propinatae, propter virtutem aperientem, resolventem, excitantem, subemeticam, in irritabilitatis et virium defectu, sopore, sensuum torpore; urina, pulsu, calore naturalibus; ubi febris putrida ex neglecta biliosa enasceretur, vel putrida pituitosa est, in lentam nervosam propensa; denique ubi topica nulla

inflammatio obtineat. Radix vero speciatim diarrhoeae putridae, colliquativae, vires pessundanti egregie subvenit.

Eodem spectant epispastica, rubefacientia, vesicantia. Quae ultima stimulo suo jacentem vitae energiam potenter exsuscitant, soporem discutiunt, pituitam incidunt, attenuant, obstructa resolvunt, diaphoresin promovent, alvum fluentem compescunt. Conveniunt igitur somnolentia obruente, ubi stimulo opus est, ubi remedia assumta cito per alvum dejiciuntur; porro in rheumaticis affectibus et metastasi facta, nisi ab orgasmo haec inflammatorio, sed propter languidum humorum decursum, vel morbi diuturnitatem, vel evacuationes nimias exorta fuerit. Humores ad superficiem determinando exanthemata retropressa ac delitescentia ad cutem utiliter revocant; omittenda tamen, ubi materia repulsa aliam per viam naturali conamine benigno evacuatur; ubi nova febris a retrocessione accenditur, quippe suam curandi rationem et causalem medicinam requirens. Generatim non praetervidenda incommoda cantharidum. Nocent facultate vitae auctiore vel concitata; alvo sicca, difficili; urinae excretione imminuta, vel in mictu cruento etc.; stasi inflammatoria imminente vel praesente in cerebro, thorace, abdomine; saburra turgente; nocent praeterea sitim augendo, potissimum in biliosis, humores exaestuando, ad putredinem componendo. In vera malignae febris debilitate Stollius a vesicantium usu plane abstinuit, propter stimulum eorum brevi evanidum, sudores noxios inde saepe excitatos; secuta hinc alvi et urinae suppressione. Timebat porro ex eorum usu necrosin internorum et majorem virium ruinam et torporem. Perraro quidem hic admisit, scilicet quando ventriculus et intestina cardiacum quodque recusarent, nihil de medicamento ad secundas vias ablegare valerent, atque a quibuslibet pharmacis potius opprimerentur.

Egregie prosunt camphora et quae huic analoga sunt, vinum, parce et frequenter datum, acida mineralia

dulcificata, decoctiones et infusiones aromaticae, prioribus junctae, siquidem extrema frigent, facies pallida est, collapsa, pulsus tenuis, mollis, delirium taciturnum, ab excessu irritabilitatis declinante febre obortum; ubi incepta per sudores crisis juvanda est.

Acida mineralia larga manu exhibeantur in febre putrida, bilioso-putrida, aestiva; aestu gravi, urente; pulsu pleno, accelerato, minime duro; facie rubra; delirio furioso; absente inflammatione. Alvum et urinam expediunt, putredinem arcent et gangraenam; sanguinis nimiam rarefactionem temperant. Universim utilia sunt, ubi in febre inflammatoria venae sectio et potio emolliens, solvens, effectu destituitur; in principio aestatis, ubi eaedem febres saepe putridi nonnihil adjunctum habent, et de morbis adultae aestatis et auctumni quidquam assumunt. Praeterea, si febris inflammatoria aestiva vel auctumnalis in malignitatem prona est, praecipue post sanguinis nimias detractiones. Saepe hic junguntur cum serpentariae infuso, ubi in maligna hac febre pulsus humilis et vere debilis est; alias cum decocto hordei et saccharo commode propinantur, ratione facile perspecta. Eodem scopo et actu frigida admittuntur, glacies, posca frigida, forma potus, lotionis, epithematis; aër frigidus, ventus agitatus. Aestum haec et delirium ferox cephalalgias vehementes leniunt, aegrumque reficiunt; abesse vero debent in inflammatione.

Victus interea sit ex refrigerantibus, saponaceis, attenuantibus, eccoproticis, analepticis etc., ubique curationis consilio in singulis aegris et morbi spatiis respondens.

Quae a febre relinquuntur: auditus difficultas, fatuitas, delirium placidum, pulsuum absque febre frequentia, sudores nocturni, colliquantes, hypochondriasis nervosa, fames canina, oedema crurum, in junioribus corporis incrementum citatum, vel inaequale, in longum cum extenuatione, rhachitis, catameniorum anomaliae,

emendantur victu bono, facili, analeptico, medicamentis roborantibus, stomachicis, nervinis, exercitio corporis accommodato, reficiente; rusticatione.

Grassatur morbus populariter; contagii vero noxa constanter ab auctore negatur. Hinc tuendos homines, dominante constitutione gravi, censet non fuga, neque alexipharmacorum, neque purgationis, neque vomitorii, neque venae sectionis usu, nisi ob praesens malum haec indicentur. Nullum dari prophylacticum remedium stricte dictum; prodesse tamen, consuetum vitae genus non mutare repente, neque in lautius quidem et melius; aëri libero uti frequentius, nec diu morari in aegrorum cubiculis, nisi perflatis, propter biliosam intemperiem facile ibi contractam; vitare gastricam cruditatem et errores diaeteticos, quam maxime vero suppressionem cutaneae perspirationis; non metuere contagionem, utpote innocuam; denique ad primum lassitudinis, cephalalgiae, anorexiae initium non statim terreri neque ad magna remedia confugere. Quies, diaeta cautior, tenuior, vacuitas a curis, aër recens, siccus, campestris, potio acidula, aperiens, clyster etc. morborum putridorum initia persaepe promte disjiciunt. —

Inter febres putridas, saburrales ceteris sunt frequentiores; hinc plurimus eccoproticorum, longe rarior antisepticorum usus. Pejor autem inducitur status a remediis hisce, si excitant simul, et calefaciunt; nec raro inde oriuntur inflammationes dirissimae, saepe sero nimis animadversae, aut decubitus materiae lethales. Complicatio enim cum inflammatoria febre omnium fere perniciosissima est, quum inflammationis medela virium ruinam potius promoveat. Frequens biliosae in putridam transitus est, quum evacuationibus gastricis, alioquin necessariis, vires nimium labefactabantur; nec non pituitosa constitutio multas habet putridas, sicubi tempestatis vitium favet. —

§. 152.

Initio et progressu acutorum, plerumque dum debilitas functionum animalium et dedolatio adest, vis vitae (cordis, humorum, pulmonum) excessu peccat; subinde tamen et vires vitales et animales exorbitant simul. Inde varia et saepe opposita medicina in statu apparenter eodem. —

Debilitas vitalis in principio febris, sponte orta, absque causis cognitis debilitantibus, plethora, inflammatione, maxime abdominali; gangraena; saburra turgente; jactura humorum gastricorum per vomitum, dejectiones; sanguinis; hysteria, hypochondriasi etc. malignitas appellatur, cuicunque febri, frequentius tamen putridae sociata: non bene quaesita in syndrome symptomatum magnorum, numerosorum, insolitorum; nec in abnormi decursu morbi ad exquisita remedia pervicacis, ejusque magno discrimine. Hinc febris putrida cum hac vitae debilitate invadens κατ' ἐξοχήν febris maligna erit; symptomata ceteroquin communia.

Quando ab initio morbi adest vera haec prostratio vitalis facultatis, malignitas vera, primaria dicitur; morbus utique rarus. Quae vero putridae febri serius supervenit, vel sponte, vel mala medicatione, malignitas secundaria: haec spontanea aut factitia; utraque non rara. Primariae causa ignota est, solo effectu cordis irritabilitatem adeoque vitam ipsam enervante, pernicioso, comperta. Remotiores autem hujus et deuteropathicae malignitatis causae sunt evacuationes magnae etc., inedia, vel digestio deficiens; humores circumeuntes quocunque modo contaminati, male temperati; causae febrium biliosarum, putridarum plures, graviores; effluvia; vitium endemicum, epidemicum. Stollius nullum habuit maligne decumbentem, cui causa morbi non fuisset luculenta, quamvis non defuere incuriosi etc., qui se antea exacte sanos dicerent. Omnibus autem primas vias varia ratione vitiatas signa indubitata

docuerunt; hinc pulsus saepe exilissimus, causa quidem evidente, licet latente modo agendi. Febris biliosa, putrida, per se utique minime maligna, in ipsam tamen convertitur aut neglecta medicatione, aut methodo calefaciente, venae sectionibus intempestivis et antiphlogistico apparatu, propter materiam exinde resorptam. Paucissimae febres primo nychthemero biliosae aut putridae apparentes, sponte in malignam subito transibant. Prae aliis noster videbat pistores ac sutores huic malignitatis pernicei obnoxios, morbisque acutis multo facilius pereuntes; prognosin itaque ex opificio etiam hauriri posse.

Si morbus inflammatorius statim in putridum hicque mox in malignum abeat; maxime vero dum haec inter insigniorem aliquem hominum cohabitantium numerum eveniant, febris dicitur pestilens aut ipsa pestis. Apparet hinc, qua ratione venae sectio laudetur in peste a multis, a multis reprobetur. Omnes forte recte et fideliter observarunt; sed in diversis succedentium sibi mutationum statibus, quibus utique diversa juvasse et nocuisse manifestum est. Patet etiam, quare ab aliis roborantia, antiseptica, sudorifera; ab aliis antiphlogistica fuerint laudata.

Convenit autem huic ideae malignitatis curandi ratio per cardiaca, potissimum spirituosa, aromatica, roborantia, acida mineralia dulcificata. Prosunt suis locis salia volatilia, acida, alcalina, media; cortex peruvianus, serpentaria et similia quam plurima, ori ingesta, et aliis partibus extrinsecus admissa, per modos et formas varias, denique etiam epispastica.

Dies critici in ejusmodi febribus certi non solent observari; multis nulla insignis excretio contigit. Quare in remediis exhibendis nullum omnino diem aut praesentem aut imminentem moramur.

Quando, ut frequentissime fit, materia prava in primis viis collecta est, lenissimo stimulo illa prius evacuetur, quantum quidem per vires fieri licet; dein vis

vitae dictis adjumentis sustentanda venit; urgenti, si quid accederet, symptomati occurrendum; et exspectandum, donec febris deflagraverit et materiam morbi sensim aut assimilarit, aut subactam variis viis et tempore vario eliminet, blande, pedetentim. Si quando, ut in constitutione putrido-biliosa a. 1777, debilitas praemagna esset, major, quam ut ullam evacuationem experiri liceret, necessariam tamen propter sordes circa ventriculum haerentes; cortice peruv., vino, arnica etc. vires pauxillum refocillandae erant: quo facto lene emeticum suppeditatum perquam juvabat, quippe quod prius datum exitio fuisset. Est itaque, ubi emeticum optimum alexipharmacum evadit; pulsum exilissimum, exanthemata delitescentia restituit etc.

Saepe in febribus putridis vel biliosis noster, cum aliis, observavit, datis solventibus motaque emesi alterutrum ex duobus statum obtinere. Vel enim eliminata morbi materie aeger insigne symptomatum omnium levamen experiebatur, ac febre paene vacabat; vel vero, rejectis licet sordibus copiosis, caput aeque propemodum, atque antea gravabatur, pulsus debiles, frequentes etc. perseverabant. In priore casu, sufficiebat continuatus solventium, salis praecipue ammoniaci usus; quippe erat vulgaris febris. Verum ubi alter aegri status existeret, illico ad corticem peruv., camphoram etc. confugere oportebat, namque urgebat malignitas morbi. Eandem generatim adesse statuit, ubi quacunque ratione putrida abdominis colluvies sanguinem ita inquinaret, ut solventibus et emeto-catharsi non posset subduci atque intra breve tempus eliminari. Methodum tunc indirectam adhibebat, in eo quidem repositam modo, ut vis vitalis non nimis torperet, sed ita intenderetur, ut materiam attenuaret, subigeret, aut ad ablegandum aptam redderet; modo ut ne nimium efficax et operosa esset vis vitae et contra inimicam materiam cum tumultu insurgeret et discrimine aegroti. Qui-

bus in neutram partem vis vitalis peccaret, his decoctum radic. graminis vel taraxaci cum oxysaccharo propinabat. Curabat autem, ut omnes viae secernendi servarentur apertae; nullam excretionem exin urgebat cum violentia, nec profusam sinebat, qua vires supprimi potuissent. Nullum itaque remedium habebat, quo in omnibus, et quibuscunque malignis febribus semper uteretur. Lente erat festinandum, et opus naturae committendum; tumultuaria medicina omnis vitanda.

Gravem etiam et malignam febrem Stollius hanc existimabat, in qua rubor genarum biliosus, labiorumque flavus viror ab emesi, vel purgatione non in pallorem albescentem et homogeneum magis totius faciei colorem converteretur, sed immutatus persisteret.

Pessimus vero status evadit, si quando malignitas morbi cum nervosa diathesi contingit. Vocatur enim ita vitiosa mobilitas, systematis nervosi et facultatis animalis, excedens, deficiens, abnormis, dum symptomata, inde profecta, plura, diutius persistentia, varia per febrium decursum caput extollunt, inde pendentibus ceterarum functionum turbis et laesionibus. Corpori ita constituto qualiscunque superveniens febris, et undecunque nata, stimuli instar peregrini agit vel momenti occasionalis, et nervosa existit. Ab hoc statu febres exleges eduntur, symptomatum contradictio, perpetua vicissitudo; coctiones impeditae, crises imperfectae, laboriosae, suppressae, per loca incongrua, metastaticae, periculosae; convalescentia tarda, difficilis, morbus recidivus, varia nervorum mala. Morbus nunc forte frequentior quam olim, praecipue in urbibus, sexu sequiore et humido frigidoque coelo.

Febris itaque non sui generis est, sed revocanda ad modo memoratas, et ex eorum praeceptis sananda. Ipsius enim curatio apta caput remediorum habetur.

Ceteroquin affectui per se conveniunt vinosa, blanda narcotica, exhilarantia, tonica, castoreum, moschus, cam-

phora, cortex peruvianus, valeriana, opii prudens usus etc., si quidem ea simul poscat aut admittat febris natura. Spes salutis et confidentia in medicum hic saepe optimum cardiacum nervinum. Exacte vero distinguendum, utrum vitiosa illa nervosi systematis mobilitas cum laxitate partium solidarum, an cum rigididate, tensione nimia earundem complicetur; ibi prius enumerata remedia proprie locum inveniunt, hic vero blanda farinosa, emulsa, tepida, potu, fomento, enemate subministrata pro nervinis habeantur. —

Quae circa delirium, coma, phrenitidem etc., ut singulares, in statu maxime nervoso, affectus, febribus promiscue, sed malignis plurimum familiares, optime noster praecepit, duce Hippocrate, Boerhaavio et al., quippe quum antehac compertis novi non satis addiderint, opus non est, ut seorsim perlustremus. — Remedia vulgo dicta nervina hisce affectibus declinantibus demum adhiberi vult, evacuationibus sanguinis, ubi conveniebant, largiter institutis et praemisso multo refrigerantium usu, metuens alioquin, ne febris inde augeatur. Etenim vix non in omni febre, maligna forte excepta, aut prodesse vidit aut saltem non nocere, curam a methodo plus minusve antiphlogistica auspicari. — At vero cessante penitus febre, si deliria levia, desipientia et fatuitas supersit, conceditur opium, vel camphora, vel moschus; non enim a sanguinis impetu et inflammatoria labe, sed ab ipsius potius defectu post largas sanguinis detractiones, cerebri haec conturbatio exorta est. Moschus praecipue commendandus, si a retropulsis exanthematibus acutae febri delirium accedit. —

Etenim affectuum cutaneorum in hisce febribus frequens concursus est, prae ceteris vero petechiarum, ut toties observatum fuit. Istae quidem vix ab ulla febris specie vel indole alienae spectantur; plerumque tamen biliosas saburrales, alexipharmacis male adhibitis, evacuationibus neglectis, putridas, malignas, pestilentes

frequentant, neque ab inflammatoriis simplicibus adeo abstinentes, quibus forte medela calefaciens vel genius quidam epidemicus contingeret. Plerisque symptomatico prorsus, paucis cum emolumento s. critice erumpunt. Pro artificialibus ubivis habere, absurdum est. Nunc sine febre efflorescunt, nunc ante eam; nunc citius, nunc tardius, die incerto, interdum a morte demum; nullibi tamen, nisi epidemicus jamjam pateat morbi regnantis character, certo signo praedici possunt, neque morbi caput constituere videntur. Vidit Stollius rusticos cum aegrotantibus militibus eodem cubiculo detentos, illos fere omnes petechiis laborantes, hos in eodem licet loco ab exanthemate immunes, simplicibus tantum morbis affectos. Rustici enim ad unum omnes venae sectionem aversabantur; militibus copiosa eadem et utiliter instituebatur, propter diathesin phlogisticam, corregentibus inflammationibus variis. Praesagium petechiarum a febre magis et a morbi causa, quam a re quavis alia petendum. Parum saepe differt, numerus earum major an minor, citior eruptio an tardior sit. Diversa constitutionis regnantis natura diversam affectus significationem inducit, ut plures animadverterunt; nec tamen ruberrimae ubique tam bonae, siquidem vitalis facultatis energia eruptionem non rite prosequitur.

Judicatio morbi varia, prouti variat febris vel status comitantis natura. Sat frequens per diarrhoeam fit, quae tamen alibi periculum auget; alibi sudor salutaris, alibi abscessus, icterus etc. Inde patet, cur diversissima medela huic affectui profuerit. Modo emeses, saburram, ut causam eruptionis, educendo; modo purgationes alvi, modo venae sectio, modo antiseptica juvabant. Nullum medicamentum omnino ex cura petechiarum proscribendum. Emetico quidem plurima opportunitas; praemissis saepe solventibus; absit tamen in inflammatoria dispositione, quippe ubique spectato charactere febris adjunctae et constitutione annua vel stationaria. —

§. 153.

Etenim universim, qui febri medetur, et annuae simul et stationariae rationem habere debet; nec tam ex symptomate morbi praevalente, e. g. petechiis, pleuritico dolore, quam ex ratione dominantis status consilium medendi ineundum est, adeo ut eidem ad speciem morbo, sub differente febris annuae imperio, non eadem ubivis medicina recte fiat. Cognoscitur autem ratio constitutionis ex spontanea morbi sibi relicti solutione, ejusdemque eventu vario; ex juvantibus et nocentibus forte admissis; denique ex analogia cum aliis febribus aliunde cognitis. Unde intelligitur, quomodo incedendum sit, in novae febris ingressu. Quamvis vero eadem ratio tempestatis, aëris ceterarumque circa hanc rem spectatarum rerum comperta fuerit, diversae nihilominus subinde stationariae febres sunt observatae; unde patet, alias quoque existere atque hactenus ignotas causas febrium popularium. — Inde a Sydenhamo, circa hanc doctrinam praeeunte, vix quisquam medicorum plus quam Stollius tribuit potentiae febris stationariae, adeo ut passim peculiaris hominum constitutionis minorem justo rationem habuisse, non immerito argueretur. Quin etiam tota ipsius medicina constante et felici applicatione istius observationis applausum admirationemque et coaetaneorum et successorum nacta est. Coram vero habebat, ut neminem fugit, biliosam constitutionem per priores annos vitae practicae (praesertim ab a. 1775—1777) dominantem, serioribus et extremis (inde ab. a. 1778) inflammatoriam. — —

In constitutionibus denique typhode statu infestis noster speciatim describit febrem lentam nervosam, mense Aprili ad med. Maj. a. 1777 grassatam [18]). Videbatur tunc temporis materia pituitosa populariter dominari, jam mobilior facta, diversimode diversos affi-

---

16) Rat. medend. T. II. p. 35.

ciens. Morbus feminis plurimum familiaris erat, praesertim imbecillioribus, pauperibus, chloroticis. Initium obscurum, ut solet fieri in hisce febribus, plerisque cum sudatiuncula. Apparebant signa gastrica in lingua, appetitu ciborum, gustu, colore faciei. Dolores quasi rheumatici per vices, noctu graviores, ardor ventriculi, abdominis, thoracis vel sterni, lateris, ischias; sensuum confusio, torpor, stupor; delirium nocturnum, mite, taciturnum; surditas, animi languor; capitis plumbea gravitas, calor in fronte et oculis igneus, quasi erumpens, minime perceptus manum admoventi; tussis vespertina, nocturna, sicca, dein cum sputis humida crassis, tenacibus, albis; abdominis in plerisque mediocris tumor et dolor inter contrectandum et tussiendum. Haec signa morbi praecipua existebant; statusque diu sibi similis. Paucissimi die 6, 7, 8 etc. larga et continente diaphoresi liberabantur. Quibusdam alvi fluxus accedebat, sine magna symptomatum mutatione persistens, nisi forte vires tandem attenuans, arte tunc minime superandus; ab emetico is augebatur vel invitabatur primum. Neque quidquam profuerunt roborantia, opiata, adstringentia, utpote citius per ventrem dilapsa, quam virtutes suas exercere potuerant. Paucae aegrotantes servatae vino, decoct. rad. arnicae et corticis peruv., vesicantibus. Verum sic etiam sero et laboriose eluctabantur post menses demum; faciles patiebantur relapsus, tunc lethales. Ceteroquin nemo succubuit nisi infausto illo alvi fluore.

Quibusdam angina levior accessit et aphthae, facile tamen sanatae lenibus adstringentibus. Paucis miliaria alba, rarius rubra, incerto tempore erumpens; subinde cum levamine, ubi serius prodibat et ventre expurgato, neque coacta sed inter sudores largos, spontaneos, protractos.

Interdum vomitu spontaneo pituitosa, magno cum emolumento, rejiciebantur; caput inde mox allevatum,

color faciei laetus, fallax (vid. p. 530), in pallorem salutari modo conversus, oculorum rubor evanidus, febris fugata, quies redux.

Quicunque cum febre morbus hac tempestate occurrebat, in constitutionis popularis potestatem redactus pituitoso-nervosam indolem assumebat. Paucis cum inflammatorio statu morbus complicabatur vel bilioso. Subinde gradus mitior, nec manifesta febris, vel febricula erectis. Pluribus febris gravior, ut supra. Viris, quibus tamen rarior, febris intensior fuit, venae sectio necessaria, iterata etiam, apparente crusta pleuritica. In his antiphlogistica curatione et diluentibus diutius opus erat, sero tandem emetico. Raro profuere vesicantia, initio nunquam; subinde post emesin in declinatione. Decursus viris citior, status pituitoso-inflammatorius. Imbecilli tamen ad modum feminarum laborabant.

Nulla medicina omnibus conveniebat, sed cura varia, versatilis; ordo enim et commixtio medicaminum in aliis alia erat, unde medela difficillima, utpote non concludenda inter cancellos definitos, ut vulgo dominante aliqua constitutione.

In febre sincera incipiebatur cum solventibus salinis, mitioribus et multa antiphlogistica potione. Elapso uno alterove die, si a diuturniore febre et in corpore robustiore imminentis inflammationis metus existeret, pauxillum sanguinis noster detraxit, saepe periclitandi causa; feminis tamen rarius. Post aliquot dies vomitio eliciebatur medicamine tum evacuandi scopo, tum discutiendi, si quid altius vasis haereret implicatum. Magna emeticis utilitas, solventibus quidem praemissis, et corpore ad vomendum parca subinde sanguinis missione et larga potione praeparato. Posthac refractae tartari emetici doses, kermes et salia media profuere cum decoct. rad. gramin. et taraxac.

Interdum vesicantia admovebantur omni alterno et tertio die, relicta epidermide, ad humores solummodo

attenuandos vel dolorem fugandum, febri forte superstitem.

Ut naturam imitaretur, noster ipecacuanhae aliquot grana medicamento admiscuit, ut perexiguas, non tumultuarias vomitiones excitaret, unde viribus detrimenti nihil, aegro autem levamen non minus accederet, quam ex illis spontaneis quorundam (vid. supr.). Verum isto anno rarissime hoc assecutus est; quin etiam hoc experimentum praecipue in morbi vigore cum discrimine fiebat. Quare legitima et magna dosis emetici exacte conveniebat.

Paucos praeter pituitam multam solidorum quoque insignis debilitas detinebat, pituitoso apparatui subigendo plane insufficiens. Quibus venae sectione etc. antea vires fractae essent in malignitatem mali, hi jacturam humorum utut pravorum non tulerunt, et a vomitorio vel purgante immisso de vita certo periclitabantur. Tunc vero cortex peruvianus juvabat, decoctione parata; pulvis enim anxietatem, cardialgiam et diarrhoeae funestae periculum inducebat. Hac conditione a salibus auctor abstinuit.

Ceteri, quippe quibus multa quidem pituita, sed vigor virium exsuperabat, cortice illo non indigebant, sed sanabantur dicto modo, citra ullam morbi malignitatem. Eam autem accessisse suspicandum est, ubi moles materiae motrices solidarum partium vires vicerit.

Febris haec nulli dierum periodo adstricta erat, qua crisis vel commotio a natura institueretur. Nulla non via materiae morbificae aliquid secessit; nullo non tempore emeticum noster dedit, si opus esse cognovisset.

Similiter et alias „febres malignas“ sanavit, alvi evacuationibus praemissis, corticem peruvianum et radicem arnicae suppeditando, ubi cum humorum mala temperie solidorum insignis infirmitas esset [19]). —

---

19) Ibid. p. 52.

Quibus a. 1781 morbus ille pituitosus, tuno stationarius, neglectus fuerat, in vehementiorem affectum transiit, febrem putridam saburralem, quandoque cum petechiis, raro cum miliaria incedentem. (Uni petechiae subrubrae, flavae simul et cinereae erumpebant.) Methodus medendi juvabat similis atque in constitutione a. 1777; salia media, oxymel, dein emesis; demum vero decoct. gramin., taraxaci, cichor., c. arcano dupl. et oxym. Tandem, manente stupore, pulsu debili aut naturali, urina naturali, virium vero magna dejectione, somnolentia; flor. arnicae decoct. c. syrup. aceti optime conducebant et magna copia ferebantur [20]).

Eodem anno, mense Augusto perquam calido, sicco, ventis vacante, post praecedentia frigora urgente, morbi longi feminas maxime infestabant pravis humoribus refertas. Lingua sicca, glabra, mucosa; stupor, deliria mitia, taciturna; caloris et pulsus ratio gravitati aegritudinis non respondens. Stimulos laborantes non ferebant; convaluerunt melius solo potuum graminis et aliorum antiphlogisticorum usu: in omnibus catarrhosi aliquid, subperipneumonica affectio, ante miliarem eruptionem comparebat. Profuerunt neque camphora, neque moschus, neque vesicantia, neque arnicae flores, sed sola diluentia et antiphlogisticum regimen moderatum. — Quibusdam mox in principio acutae febris peculiaris animi abjectio, morositas stuporque superveniebat, pulsu minime aut parum mutato. His convulsio repente oborta, forte propter serosam ad cerebrum factam metastasin, mortem plerisque ferebat.

In curanda febre lenta, nervosa, ut in malignis generatim, lente festinandum, neque cum tumultu quidquam per vesicantia, venae sectiones, stimulantia, moliendum. Morbum non deteriorem reddere jam in emolumentis curae habetur, utcunque in longum is trahatur. —

---

20) Ibid. T. VII. p. 12.

In constitutione inflammatorio-putrida, quam a. 1778 noster observabat, pleraeque febres longiores evadebant, cum alvi fluxu molesto, symptomatum continuitate majore; stupor occupabat; pulsus et calor fere naturales, quamvis aegri ardorem accusabant. Virium jactura egregia; lingua ardens, fuliginosa, lignea, tremula, porrigi impotens; dentes, labia etc. fumoso et ductili muco inquinata; dolor etc. abdominis. Urina aquosa, mucosa cum sedimento largo, mucoso. Cutis arida, imperspirabilis. Morbus maribus frequentior et periculosior. Inflammationes multae pulmonum et externarum partium. — Emesis medicata, utut indicari videretur, minus quam praecedente anno proficua. Conducebant solventia, antiphlogistica, ipsaque venae sectio passim necessaria fiebat, aegris vigentibus aetate etc. Tandem cortex subjunctus est. —

Differebat nonnihil febris putrida a. 1779, more peripneumonico invadens. Sanguis in hac parce, licet repetita vice, ab initio mittebatur; dein decoctum graminis cum oxymelite concessum; rarius et serius tantum emesis utiliter provocata est. Febris non erat saburralis, primario putrida; sed secundario demum et subinde in secundis viis putredo nata fuit. Somnolentia assidua, typus febri continens, lingua mucosa. Nocebant cortex peruv., arnica, aromatica et omnia stimulantia. Profuerunt antiphlogistica. Crisis manifesta nulla. Fracta phlogosi in saburralem febrem morbus transibat, tunc emeticis sero exhibitis interdum profligatus.

Exeunte mense Martio ejusdem anni, febris quaedam per populum circumibat frequens, cum capitis affectu, mentis confusione, stupore, sensuum tarditate, somnolentia, delirio taciturno. Saburralia signa multa, sed ab evacuantibus nullum aut per exiguum levamen neque longum. Post paucos dies lingua exarescens, somnolentia gravior, cataphora. Oculi inaequaliter con-

niventes, praecipue malum. Incertis diebus exanthematum eruptio; petechiae non levantes, neque aggravantes morbum. Pulsus pleni, fortes, duri, naturalibus modice tantum celeriores. Epistaxis passim obvia, sine manifesto levamine. Sanguis vena eductus, plerumque crustam roseam, absque sero, cum placenta tenuissima, prae se ferebat. Aliquoties crusta plumbea, cinerea, diffusa, tenax comparuit. Morbus per secundam tertiamque septimanam protrahebatur, absque crisi evidentiore, nisi cum sudoribus miliaria salutaris erumperet. Plurimi tamen sanabantur, auxilio curationis antiphlogisticae, diluentis. —

JO. BAPT. BURSERIUS DE KANILFELD [21]).

§. 154.

De febribus praecipienti, reprobatis, quae hactenus communi usu venerant, divisionibus, magis placuit, secundum tenorem motus et decursus variationem distinguere; consilio quidem, ut obiter hoc moneatur, circa praxin faciendam parum proficuo. Oportet igitur, quum typhodes status nequaquam typum aliquem febris singulari propensione affectet, sed omnibus promiscue febribus socius adjungi varioque morbi stadio supervenire possit, multifariam secernere, quae cum idea mali nostri convenire videantur. Collegit autem auctor, prudentissimo censu, quae meliora a viris doctis et praecipuis observatoribus habebat notata, pluribus locis de sua experientia interserens utique praestantissima.

Etiamsi continuis febribus omnino frequentius instet typhodes affectio, tamen ab intermittentibus minime aliena est. Pertinent huc febres aliquot perniciosae comitatae, quas ad Torrii exemplum noster

---

21) Instit. med. pract. Vol. IV. ed. 1798.

describit, e. g. tertianae lethargicae, in quibus statim post venae sectionem vel purgationem, si indicata fuerit, et quae similiter convenerint, adhibita, medicaminis auxilio, corticis magna dosi, accessio periculosa prohibeatur. —

Inter continuas continentes rarissime, sed perquam funesto eventu cum ephemera febre malum invadit, tunc vulgo maligna dicta, siquidem causa morbi subsit venenata, viribus vitalibus admodum infensa et plerumque lethifera. Prout ista materies mali vel sponte in corpore gignitur, vel a communi aëris vitio sese insinuat, vel contagione communicatur, sporadica modo, modo epidemica, modo contagiosa febris est. Huc refertur eph. sudatoria s. sudor Anglicus, data secundum veteres observatores morbi historia et curatione. Propius autem nos tangit eph. gangraenosa, cujus rarissimum, Critonis [22]) morbo haud absimile, exemplum noster conservavit. Virum nempe aetatis maturae, corpore et ingenio bene constitutum ex gelida capitis lotione, saepius iterata, mentis levior aliqua confusio animique contristatio et pavor diutius jam prehenderant, ceteroquin sanissimum, si exceperis pulsus aliquam inaequalitatem atque levem duritiem. Tandem, praegressis quibusdam rheumaticis affectibus, repentinus crus dextrum dolor invasit obambulanti, mox insequente levi horrore. Cruciatu quamvis celeriter increscente, in ipsa parte laborante incongrui nihil conspiciebatur. Accesserunt febris cum siti magna, urina sanguinea, nox insomnis; altero mane absque remissione febris vel doloris, tumor totius surae, minime tamen erysipelatosus. Sanguis tum detractus, admodum phlogisticus. Eodem aeger subfriguit toto corpore, pulsibus parvis, depressis, non iterum assurgentibus; dolor cruris, jam nonnihil minutus, color vero

22) Hipp. Epid. L. I. aeg. 9.

dubius, quibusdam sublividus apparens. Sub vesperam delirabat, anxius, irrequietus, anhelans; pulsus jam multo magis parvus, obscurus, inaequalis, creber, tandem fere deficiens. Color cruris mox manifesto lividior, respiratio rara, mens perturbata, singultus frequens, stupor, mors sub finem diei secundi; crus a morte gangraenosum. — In dirissimo, celerrimo morbo vix sperandam noster ducit materiae atrocis correctionem; suadet, ut potius evacuetur venae sectione, propter inflammationis metum et febris magnitudinem cito sed prudenter instituta, dumne in ceteris quidquam obstiterit. Ubi anceps venae sectionis indicatio, per cucurbitulas vel hirudines tutius detrahatur, adjuncta, si pars tumuerit, scarificatione. Alvus ubi sordibus scatere visa fuerit, leniter expurganda medicamine, vel clystere efficaciore. Si in amputatione spes collocata fuerit, certe maturanda erit. Interim venenum, quodcunque fuerit, cito expellendum alexipharmacis, antisepticisque efficacissimis, praecipue sudoriferis: camphora, serpentaria, cortice peruv., salibus volatilibus, adjuncto potu crebro, temperanti, antiphlogistico, subacido, aperienti, egelido. Opportunissima quoque derivandi scopo, statim ab initio, praesertim si vires langueant, vesicatoria habentur brachiis et femoribus imposita, loco dolenti tamen noxia, ob periculum metastaseos inducendae. Eam enim partem sufficiet leniendi causa aqua tepente cum lacte remixta fovere; plura temporis brevitas, acutissimusque mali decursus fieri non permittunt. —

De ephemera maligna a contagio Burserius refert ex Reinleinii literis. Grassabatur morbus Vindobonae a. 1780, militibus potissimum infensus, tum quoad symptomata, tum quoad curam convenientem putridae febri auctorum accensendus; nisi cito succurreretur, tertio die vel paulo serius lethalis. Auxilium praestabant emetica statim a primis indiciis suscepti contagii hausta, postmodum sumendo liquorem Mindereri cum

inf. fl. arnicae. Evaserunt sudore copioso feliciter sio promoto. Puellae antea bene sanae, contagio infectae, mors die altera accessit post dirissimos labores, remediis incassum admotis. Similes casus in peste Massiliensi (a. 1720) observatos ex Muratorii aliorumque relationibus memorat, eosque vulgo lethales. — In cura periclitanda noster commendat emetica promiscue exhibenda ad materiam contagii ejiciendam, submissis diaphoreticis, antisepticis, alexipharmacis, pro temperamenti, aetatis, anni temporis etc. ratione diversis. Ubi plethora summopere urget, idque per genium dominantem fieri licet, a venae sectione medela auspicanda est. Cantharides et reliqua revellentia, minime negligenda. — Interdum tamen adeo indomita erat morbi saevitia, ut neque venae sectioni locus esset, neque emetica vel alvum laxantia cum fructu tentarentur; adeoque in cardiacis et sudoriferis auxilium saepius frustra quaesitum est. — —

Neque a synocho simplici s. synocha omnem putredinem aut malignitatem, quo titulo malum nostrum vulgo habet significatum, semper abesse suspicatur, usus Stoerkii duabus observationibus huc spectantibus. Aderant in utroque casu insoliti tendinum subsultus, statim ab initio febris acutae, ceteroquin simplicis, iique nulli remedio auscultantes, mox lethales. —

Sed longe major frequentia status typhodis in synocho putri veterum. Febres enim hoc genere comprehensas gradu fere et longitudine tantummodo ab imputribus auctor habet differentes, saepius malignis vel lentis nervosis jam propiores, mitioribus tamen stipatas cerebri nervorumque affectionibus. Pertinet huc febris ardens tam legitima quam spuria, cujus phaenomena, prognostica momenta et curandi auxilia noster ad priorum exempla enumerat. In sanguinis missione, in diluentium et refrigerantium usu mediocritas quaedam observanda est, ne coctio purulenta, quae

efficaciori quodam motu febris et calore indiget, impediatur, praecipue, si biliosa haec ad malignam febrem inclinat. Purgantia ab initio, nisi materia turgeat, vitanda; si forte tamen ad caput subito materia rapiatur, Sydenhami et Swietenii auctoritate post sanguinis missiones cathartica alternis diebus, ad tertiam usque vicem iteranda commendat revulsionis consilio. Eadem juvant coctione peracta, si materies tardius aut nullo modo excernatur. Tunc gelidae etiam potus egregie conducit febrem compescendo, cunctantem naturam ad criticos motus solicitando. Delirio sopori, et dolori capitis succurrendum praecipit cucurbitulis, hirudinibus, clysmate, epispasticis, balneis pedum atque aliis revellentibus. Quodsi ad putridam dissolutionem morbus deflectat; non modo ad acida fortiora, sed etiam ad reliqua antiseptica confugiendum. —

Quae vulgo febris nervosa lenta audit, prioribus multis (Quarino et al.) maligna, pestilens dicta, utpote cerebrum et nervos potissimum male afficiens, Huxhamo fere praeeunte (d. qu. vid.) accuratissime describitur. A febre putrida maligna petechiali differre dicitur impetu segniore, indiciis febrilibus minus intensis, capitis et ventriculi affectu minus gravi etc. Ceteroquin peticulas et miliariam, si adsunt, plerumque regimini calefacienti debet, nec perpetuo nec in quovis aegro habet erumpentes. Contagiosa interdum est, ut in nosocomiis etc. saepe accidit, ex putrido miasmate conflata, quamvis non omnis nosocomialis febris huc sit referenda, sed plerumque petechialis et remittens existat. Variat tamen non solum propter causarum diversitatem tum internarum tum extrinsecus accedentium, sed etiam stationarii morbi ratione, nec non complicante forte aliqua diathesi, inflammatoria, rheumatica, catarrhali, gastrica, putrida, verminosa. Unde symptomata alia atque alia proficiscuntur, et tam varia et discordia de hac febre observatorum judicia.

Eventus morbi propter subdolam naturam semper dubius. Majus periculum ab epidemico et contagioso, praesertim nosocomiali, carcerario etc. propter atrocitatem miasmatis. Neminem noster vel certe paucissimos servatos vidit, qui subita desperatione caperentur, neque allocutionibus erigi possent. Cetera praesagia exitus ex Hippocratis, Huxhami aliorumque observationibus nota. Gangraena quandoque critica, etiamsi partium deletrix.

Curam morbi praecipiens eundem sequitur Huxhamum. Rejicit venae sectionem, inprimis ubi causa morbi vim vitalem attenuaverit; concedit tamen, si plethora adsit, vires vitae non adeo deficiant, si aetas, anni tempus, pulsus etc. consentiant, aut inflammatoria sanguinis diathesis concurrat, dummodo circa initium mittatur et parca manu. Tutius detrahitur cucurbitulis et vario tempore, etiam in affectu cerebri utilissime, nec non hirudinibus capiti vel ano admotis. Post sanguinis factam evacuationem si capitis dolor aut vertigo non remiserit, vesicantia statim applicentur pone aures, etiam initio morbi. Purgatio opportuna est inter initia morbi saburra turgente, valentibus quidem viribus, absente putredinis suspicione; verum etiam tum lenissima sit et cautissime administrata; alioquin reprobanda. Utilior tamen alvi ductione et tutior emesis est; circa initium excitata saepe prae ceteris omnibus conveniens, saepius forsan iteranda, cautionibus tamen vulgaribus minime neglectis. Absoluta vomitione vel alvi purgatione, si venter tardior perstiterit, clysmate solicitetur, repetita saepius vice. Neque etiam in vesicatoriis usurpandis Burserius Huxhami vestigia deseruit. Cardo curationis vertitur in viribus erigendis, leniter incitandis, humoribus diluendis, emendandis. Laudantur alexipharmaca cardiaca, spectatis simul habitu aegri, aetate, regione etc. Simplicior medicina si unquam alibi, hic certe maxime commendanda, blanda

simul et tuta. Solo sero lactis vinoso, vel aromaticis potionibus levioribus, vel leniter aperientibus, complures morbum depugnaverunt, sudorem ita paulatim inducendo blandum, salutarem. Aqua simplex vel frigida, non proficua; sed partibus vegetabilibus sit saponacea, quo facilius sanguini admisceatur; juscula carnium tenuia, succis fructuum acidulis condita. Excretiones moderatae, sinendae; immodicae, compescendae quidem, nec tamen penitus exstinguendae; adeoque a cantharidibus suppuratio, alenda aliquamdiu. A pituita in faucibus congesta si suffocationis metus nascitur, emetico leni periculum avertitur; idem cum cardiaco datum juvat, si hydrophobicus affectus existit a saburra circa primas vias collecta. Miliaria, si sponte efflorescunt, lenia requirunt cardiaca, prohibito frigore, ut naturae motus lenissime sustineatur, metastases autem a retropulsis vel ob debilitatem delitescentibus lethales avertantur. Ubi maculae nigrae apparent, fuscae etc., quae gangraenulas referunt, putridamque sanguinis intemperiem ostendunt; acidis adstringentibusque alexipharmacis opus est. Quodsi casu, refrigerio, animi pathemate exanthemata intro vertantur, nobilisque partis affectio gravis suboriatur; protinus balnea pedum calida vel fomentationes, frictiones totius corporis, cucurbitulae siccae in usum vocandae, epispactica artubus adhibenda, potiones diaphoreticae calide hauriendae sunt, stragulis corpore aliquanto gravius cooperto. Commode hic propinantur spiritus corn. cerv., idem succinatus, serpentaria, camphora, moschus, quorum opportunitatem definiebat Quarinus. Si vero a recessione exanthematum febris vehementior concitata est, cum diathesi inflammatoria, forte antecedente, vel adhuc praevalente; parca sanguinis missio ceteris omnibus praeferenda. Vigiliae narcoticis non bene curantur. Tutissime sedantur liquore anodyno, camphora, moscho, emulsionibus, syrupo papaveris; si quando valentiorum necessitas urgeat, opiata

concedantur leniter stimulantibus correcta, e. g. diascordium, theriaca. Parotides, quae cito, intra duodecim vel viginti horas valde increscunt, et molles sunt tumoris instar flatulenti sive cum inflammatione, sive absque ea, aut quae dolorem vehementem inferunt, semper perniciosae: contra, quae statim ab initio durae, tensae et oblongae erumpunt, paulatim attolluntur, et dolore mediocri stipantur, salutem vulgo pollicentur, praecipue si crescendo duritiem illam aliquamdiu servaverint. Duri autem tumores et circulo quodam iridis instar diversicolore circumcincti, aut rubri, lividi, nigri evadentes, mali, quippe gangraenam denuntiantes. Curantur methodo a prioribus tradita, supra passim commemorata; passim venae sectione, praeeunte Riverio et al. Animadvertit Burserius, saepe in aliorum medicorum aegris parotides obortas sibi occurrisse; rarissime in iis, quibus ipse curam gesserit. Hinc suspicatur, parotides symptomaticas et perniciosas, quibus sanguinis missio profuisse dicitur, ex eo natas fuisse, quod vel istud auxilium perperam omissum fuerit inter initia, vel non satis sanguinis detractum ad illas avertendas. Parotis subito delitescens, cum periculo vitae summo, cito revocanda est cucurbitulis et attrahentibus, exulcerantibus. Demum morbo ad finem vergente alvum vacuare licet, leni medicamento, interpositis pro re nata cardiacis. — Diaeta antifebrilis sit, simul vero vires reficiens, facile restaurans; nullibi enim magis nocet abstinentia aut tenuissimus victus, ideoque etiam renuentibus cibi obtruduntur. Vini egregia virtus. — Cetera apprime conveniunt cum Huxhami laudata medicatione. — —

In febribus continuis remittentibus — praeter quotidianam continuam veterum, pituitosam, s. phlegmaticam, quam secundum Galenum [23]), Sennertum et alios describit, a febre ner-

23) Cf. supr. §. 24.

vosa lenta non admodum distantem symptomatibus cerebri occupati, — praecipue gastricam malignam, huc allegandam esse censemus; quo sub titulo, mesentericas febres Baglivi, biliosam castrensem Pringlii, putridam verminosam Pecquii, febrem Hungaricam veterum, catarrhalem malignam s. petechizantem Stahlii, Hoffmanni etc. et aliorum multorum febres biliosas, putridas, verminosas malignas conjunctim introducit, nobis aliunde compertas. De curatione morbi elaboratius agit, optimis usus regulis et cautionibus quibusvis, quantumcunque priora secula recte et constantius observata prodiderant. Sic definivit opportunitatem venae sectionis, vomitionis, purgationis, antisepticorum et ceterorum huic morbo convenientium medicamentorum. Similiter disputavit de febre ardente, remittente lenta nervosa et soporosa senum semitertiana, quippe quibus omnibus typhodes affectio minime aliena sit. Curationem docet secundum praecepta vulgaria. —

---

§. 155.

Sed quo luculentius cognoscatur, quomodo ipse noster in morbis huc spectantibus medicinam fecerit, de propriis ejusdem observationibus nonnihil subjungamus. Elegimus relationem de constitutione petechiali Faventina [24]) a. 1752, cui Burserius, junior adhucdum, testis interfuit. Annus (1751) praecedebat humidus fere, pluviosus et varius. Subsecuta est hiems haud absimilis, in qua stationarii morbi erant rheumata, pleuritides et pneumoniae, quibus utplurimum diluentia et sanguinis missiones praeclare profuerunt. Vere anni 1752 inflammationes dictae paulatim desinebant, successit autem febris inflammatoria (synochus putris ve-

---

24) T. IV. p. 426.

terum), haec modo mitissima, modo gravis, alias gravissima. Sanguis in hac missus semper densus, concretus, crusta phlogistica vestitus. Postea aliud febris genus irrepsit, mite quidem inter initia apparens, sed mox grave et periculosum adjunctis symptomatibus speciem nervosae lentae continentis referentibus. Haec, quia praecedentium morborum constitutionem sequebatur, cum diathesi phlogistica concurrebat, speciatim cerebro et faucibus inflammationem inducens. Quam ob rem venae sectione opus erat ad curandam, iterata quidem sed modica, prudenter administrata. Morbus hic mense Majo penitus disparuerat. Jam vero subsecutae sunt petechiae frequentia sua paene populares dicendae; quarum haec ratio fuit. Initium faciebat leve frigus vel horror, cum lassitudine totius corporis dolorifica, virium prostratione, respiratione suspiriosa, vultu tetro, a naturali valde alieno. Pulsus inter exordia mali parvus, inaequalis, parum frequens, quandoque durusculus, nec mutatus deinceps in reliquo morbi curriculo. Nonnullis tamen per primos aliquot dies magnus exstitit et validus, postmodum vero depressus, parvus, debilisque evadens, qualis erat in ceteris. Non paucis etiam vix a naturali pulsus discessit, fallaci specie illudens. Paucissimi denique ab initio ad finem usque magnum validum, celerrimum et frequentem exhibuerunt; iis vero ad unum omnibus visceris alicujus interna inflammatio suberat, et sanguis, qui detrahebatur, seri expers, valde compactus et pleuritica crusta obductus apparebat. Febris typus plerumque quotidianus continuus, passim tritaeophyus simplex aut duplex. Omnibus capitis dolor pertinax, arteriarum circa tempora fortior et frequentior pulsatio, quam in carpis. Adjuncta vulgo erant suspiria, querelae absque causa evidenti, stupor mentis, sitis ingens, quum potionem tamen aversarentur, genarum rubor, praesertim in accessionibus; timor, desperatio, flatus, ructus. Stupori paulatim men-

tis accedebat perturbatio, vaniloquia cum vigiliis, voce tremula, hypochondriorum distensione, jactatione artuum, anxietate, urina copiosa, sedimentum album, leve, parcum dejiciente. Vigilias mox excipiebat delirium proprie dictum, aut sopor, taciturnitas, surditas, laborum sublata perceptio. Nonnullis jam ab initio gastrica symptomata; alii ab his omnino immunes. Quosdam, pulsum habentes fere naturalem, subito et repente delirium ferox corripuit, primum intermittens, deinde assiduum, exitu tamen nunquam funesto. Cutis calor semper fere acer et ardens, praecipue ad caput, dorsum, lumbos et interiora molestus. Linguae status admodum variabilis; modo enim arebat, modo albicabat, modo rubebat, ut sanis. — A quarto die ad septimum usque, praegressa anxietate et oppressione praecordiorum, prodibant in dorso, thorace, tandem universo corpore peticulae parvae, rubrae aut dilute roseae, aut pallidae, magis vel minus crebrae. Unde respiratio liberior, cutis mollior, humidior, caloris sensus temperatus, adeoque febris moderatior. Prostabant maculae tota altera hebdomade, qua exeunte sudor plerisque largus, universalis, et paulatim febris ipsius ac symptomatum dimissio. Atque haec frequentior erat morbi solutio. Aliis sudoris loco urinae decedebant largiores, crisin absolventes; paucissimis, nec nisi iis, qui cacochyliae signa ediderant, alvi fluxus supervenit. Non paucos in augmento et statu morbi, secunda aut tertia, si malum longius trahebatur, septimana, catarrhalis affectus prehendit; is tamen insons, potius boni ominis, morbo quippe brevi feliciter finem imponens. Perpauci, profundo somno oppressi, voce rauca, vix non deficiente, fere immobiles, cum tendinum assiduis subsultibus, urinas reddiderunt tenues, crudas, aqueas; hi omnes, frustrata arte quacunque, circa nonum, undecimum aut quartum decimum perierunt. Narium haemorrhagia frequens, etiam misso inter initia sanguine, haec magno semper cum levamine. Morbus,

vulgo duabus, ad summum tribus septimanis terminatus, fines solummodo transgrediebatur in verminosa complicatione, lumbricis tandem ano aut ore projectis. Contagione laesi, qui arctius et diu cum aegris conversarentur, potissimum pauperes, sub tectis angustis, depressis vitam agentes.

Curatio aegrotis haec utilior reperta est. Primis continuo diebus, quum impetus ad cerebrum fieri videretur, sanguis missus est, pro aetatis, habitus, pulsus etc. ratione, iterato etiam, si opus esset, donec caput liberius appareret. Sufficiebat plerumque una vel altera venae sectio, eaque parca, ne pulsus nimium attenuaretur. Nec deterrebat a missione hac mediocri pulsuum parvitas, nec sanguinis primum hausti, laudabilis conditio; nam vires oppressae magis, quam resolutae videbantur; sanguis vero, certe secundo missus, aut febre dies aliquot constante, in massam firmam, tenacem, crusta saepe pleuritica contectam, coibat. Veruntamen cautissime semper detrahebatur et parce, nec solum, ut notatum, ubi ad caput sanguinis congestio fieret, sed etiam, ubi calor externorum, ut vulgo accidit, immodicus esset, aut interiora uri viderentur; potissimum vero, tunc etiam liberalius, si febris intensa et inflammationis internae periculum esset. Quodsi venae sectioni locus dari non videretur, capitis affectio cucurbitulis appositis, vel hirudinibus non inutiliter curabatur. Atque tantum in sanguinis missione praesidium exstitisse videtur propter praecedentium morborum, utpote inflammatoriorum, constitutionem, et propter vernum tempus et inde natam phlogisticam dispositionem. Neque omissa illa adeo est petechiis jam exstantibus aut alvi fluxu obtinente; ubique salutaris. Eaque curatio observanti opportuna reperiebatur, quae reliquis morbis exanthematicis, speciatim variolis, adhiberi non infeliciter solet. In principio itidem, sanguine, quantum conveniebat, emisso, alvus leniter expurgabatur iis, qui gastricae colluviei signa

ederent. Plurimum vero capite allevando, vigiliis tollendis conducebant placide revellentia, pedum balnea vel fomentatio assidua, sinapismi, clysmata. Stupidis et soporosis acria, excitantia per anum ingerebantur, passim applicatis simul vesicatoriis. Praeterea diluentia subacida, nitrosa per primam alteramque hebdomadem affatim suppeditabantur, etiam repudiantibus. Altera vero septimana, propter vires jam labefactatas, cardiaca nonnulla, cum minutis salis volat. corn. cerv. dosibus propinabantur, absente quidem delirio feroci. Quibus leniter aegri reficiebantur, sudores vero, ad quos natura sponte vergebat, promovebantur cum levamine et solutione morbi. Cautio erat observanda in cardiacorum usu; abstinendum tempestive, ne nimii sudores elicerentur. Languorem inde oriundum vini boni moderatus usus commode sanabat. Nauseam denique febri finitae superstitem atque cibi fastidium rhei cum salibus mediis minutae sed repetitae doses emendabant.

JO. PETRUS FRANK [25]).

§. 156.

Iterum mutatam ab hoc accipimus febrium divisionem, simpliciorem tamen, ideaeque febris nostrae typhodis magis convenientem. Etenim quem nos ita diximus affectum, quemque malignum alii, alii pestilentem, adeoque pestem ipsam vocarunt, Frankius generali titulo nervosae febris comprehendit, propter causas subtiliori sed occulta efficacia nervoso systemati infensas, sive intermittens sit febris, tunc maxime perniciosa, sive continua, ut quae proprie hic nos tangit, accuratius perlustranda.

Neque omnino nomen et ideam malignitatis candidissimus auctor recusat, dummodo eam febrem

---

25) Epitome de curand. hom. mbis. Vol. I. 1792.

dicamus, in qua nervosum maxime genus instrumentorum a causis istis minus manifestis ita afficiatur, ut summa mox ab ineunte morbo et constans virium vitalium animaliumque prostratio, neque a plethora, neque a saburra gastrica, sed a subtiliore quasi materia, saepius per contagionem suscepta, proficiscens observetur; quin pericula vel tempori morbi, vel causis compertis, vel signis aliis, in communi morbo gravitatem denuntiantibus, luculenter respondeant. Ambigua autem ista maligni morbi significatio habetur, quae a symptomatum insolentia, difficultate, a pervicacia mali ad medicationem consuetam, ab apparente sed fallaci lenitate, vel a subitanea et ingenti virium dejectione desumitur, ideoque ex usu practico removenda.

Febris itaque haec nervosa diversa specie comparet, nunc sporadica, nunc populariter divulgata, nunc simplex, nunc diversimode complicata, saevitia modo immani, modo mediocri, facile per naturam vel artem superanda; modo denique acutior, imo acutissima, modo lenta, diuturna.

Pestis nomine, secundum observatorum tradita, ipse enim noster non vidit morbum, non unum eumque specificum, sed multiplicem affectum venire judicat, cum febre hac ipsa, de qua agimus, in summo gradu conjunctum, quamvis pulsus in quibusdam quasi naturalis appareat, uti in vulgari nervosa saepius minime frequens, sed interdum adeo rarior deprehensus est. Quare febris praesentia in tali aegritudine ex aliis indiciis colligenda est, ex subitanea scilicet virium prostratione, morositate, faciei mutatione, lumborum dolore etc. — Cetera pestis symptomata ex aliorum observatis conscripta, vulgo notissima. Subinde in pestilenti statu bubones et carbunculi, quae phaenomena pro pathognomonicis vulgo habentur, nulli emergebant, sed forte gangraenae extremorum, ut in Atheniensi peste et alibi passim comparuerunt. Ab altera parte eaedem

illae eruptiones et frequenter in aliis morbis conspiciebantur, pestem violentia minime exaequantibus. — Febris pestilentialis a peste ipsa et nervosis reliquis non nisi saevitiae gradu discedit.

In vulgari statu nervoso, non quidem pestilenti, symptomata morbi, pro privatarum causarum et regnantis constitutionis varietate, vel turbas nervorum potissimum significant, vel vitalem facultatem singulariter labefactatam. Hinc duplicem noster speciem febris nervosae vulgaris introducit, alteram versatilem dictam, alteram stupidam. Illa quidem specie admodum variabili incedit, saepe egregia cum contradictione symptomatum, statu multum et repente mutato, spasticis affectibus multis, mentis varia, cito mutabili confusione, exagitatione. Febris ipsa exlex, variabilis, perturbata; coctionis indicia saepissime infida, exanthematum eruptio incertis diebus et incerto eventu contingens, praesagium in genere inconstans; mors saepe improvisa; alias tarda convalescentia post vulgares cutaneas excretiones, mentis hebetudo diu superstes morbo.

In altera vero, quam noster discernit, specie morbi non aucta vel mutata agilitas et perversa directio sed stupor potius sensuum motuumque principatum tenet in accidentibus, languorque functionum omnium. Pulsus hic sat pleni in multis et frequentes, haud secus ac in inflammatorio statu, inprimis si rheumatica vel catarrhalis complicatio obtineat. A venae sectione autem vel et sponte post aliquot dies concidit arteria, mollescit, ictibus ejusdem vix non exstinctis. Accedunt tendinum subsultus, sopores, sensuum tarditas et stupor, deliria, vox impedita, rauca, calor urens, gastricorum symptomatum confluxus, dentium, labiorum, narium sordes tenaces, fumosae, linguae, extremorum tremores; quaeque cetera symptomata ab auctoribus in febre vulgo putrida dicta s. putrido-nervosa, maligna, animadvertebantur. Quomodo morbus solvatur, sive

quam exitus nanciscatur varietatem, hinc opus non est, ut iterum iterumque recoquamus. Gastrica complicatio his admodum frequens, saepius autem non nisi fallaciter apparens, spuria. Etiam localis inflammatio minime rara, infelici connubio cito maligna evadens. Inflammatoria febri subinde natura est in juvenilibus, plethoricisque corporibus, saepius in nosocomiali infectione vel rheumatica, catarrhali materia concurrente, ea vero post paucos dies evanida, nec nisi inter principia morbi vulgo contingens. Saepius denique lenta febris nervosa occurrit, quam ad Huxhami exemplum noster, elaboratius tamen, depingit, multiplici complicatione variam.

Causam mali non tam in putredine noster ponit, quam potius in alio peculiari, putridis effluviis facile commixto, quamvis latente, veneni instar efficaci principio, nervis et vitali facultati praeprimis infenso. Judicat ita multiplici usus observatione putridorum valetudini corporis innocuorum. Materia morbi contagione cum sanis communicatur; alias tamen solummodo ex aëris constitutione epidemica afflictans. Contagio haec inefficax est in hominibus diuturna inter aegros conversatione quasi assuefactis, nec meticulosis, quam familiaritatem cetera contagia cum nemine solent contrahere. De reliquis causarum momentis, quae priores animadverterant, noster confirmat. Fatales interim febres epidemice grassantes vidit in editioribus et siccissimis regionibus ac hyberno tempore, ut ante eum permulti. Agnoscit seminaria febris nosocomialis, carceralis etc. modo simplicis, modo saburralis. Similiter sporadici morbi origines sibi fingit. Scilicet parari in ipso homine, sub quibusdam rerum conditionibus, suum cuique venenum; et modo ex febre quacunque neglecta, vel male curata, modo retenta aliqua materia excrementitia, ichorosa, gangraenosa, rheumatica, catharrhali, eaque ad cerebrum delata, non morbos solummodo nervorum, tum chronicos, tum febriles, sed singularia etiam et ner-

vosae febris symptomata provocari, per metastasin materiae felicem saepe iterum sublata.

Circa praesagia mali antehac compertis vix novi quidquam noster adjecit, potius forsan non uni tantum ex antecessoribus postponendus.

Similiter in curando eodem, ubi prospectum prius fuerit plethorae, inflammationi latenti, saburrae, si qua forte adsit, vel statim sub initio simplicis febris nervosae, duplicem sequitur indicationem, alteram vitae facultatis conservandae, alteram, emetico atque sudoriferis citissime eliminandi, quae vel per salivam vel per aërem materia nocens recepta fuerit.

Vires vitales a morbo defenduntur, vel prompta materiae rejectione, quam altera indicatio praescribit, vel cardiacorum, excitantium aut reficientium apta, prudenti subministratione. Nocet generatim tenuior victus, si diutius continuatur; neque omittantur blande et mediocriter nutrientia, refocillantia, carnium juscula, vinosa. Accedant frictiones ac fomenta spirituosa, calida, aromatica, quibus extremorum frigus, sanguinisque tardior circuitus emendetur. Evacuationes nimiae, si periculum minantur viribus, compescendae roborantibus, demum opiatis remediis; animi abjectionem vinum, allocutio blanda, adspectus medici serenus, quantum fieri potest, dissipabit. Quae tamen omnia, nisi cito necessitas oriatur viribus providendi, minime postponantur iis, quae per alteram indicationem jubentur. Quamvis per se quidem in simplici hac febre minime conveniant evacuantia, propter virium imbecillitatem, tamen ab emetico, si vires sinunt, matura ac commodissima materiae ejectio, perspirationis conveniens adjumentum, systematis nervosi utile irritamentum exspectari potest. Laudantur in hunc finem antimonialia, praeferenda tamen ipecacuanhae radix, ubi diarrhoea forte accedat. Peracto vomitu vel minime indicato, aut modum jam excedente, sudor largus, ac diu provocandus, ac per

nychthemerum et ultra alendus, lenibus et variis auxiliis, stragulorum mediocri cooperimento, potionibus subaromaticis, diluentibus, acidulis, camphoratis, aethereis, aqua theriacali. Interea si vires deficere incipiunt, vino tepido, et jusculis aegro succurrendum. Quae medela potissimum in acutissimo morbi maligni decursu conveniebat, ut in febre sudatoria, peste ipsa etc. Transpirationis quidem fovendae nullo non tempore opportunitas est, nec tamen pellendi sudores, si morbus dicto modo non statim jugulari possit, vel contagii per cutem difflandi occasio aufugerit, ne morbus inde exasperetur. Itaque in illo casu si sordes circa primas vias adesse signa docuerint, viribus sufficientibus, leniter alvus ducenda clysmate vel medicamento. Alias vitatis evacuantibus medicus totus versetur in viribus sustinendis, spasmis moderandis, molimina simul naturae adjuvando. Praeter diaetam modo dictam, lautiorem, erigendae vitae conveniunt epispastica, vitata tamen exulceratione et gangraena, quippe facile superveniente.

Cortici peruviano in febre nervosa, nisi intermittens evaserit, vel ex ea proficiscens, vel manifesto remittens, vel stupor obtineat ac debilitas vera vitalis, cum pulsu molli, non adeo multum noster tribuit. Parvae doses, inutiles; modoque haec modo illa medicamenti praeparatio conducit. Bene jungitur aromaticis, camphoratis, acidis, optime vino, sub morbi certe progressu, neque hac ratione temperatus medicamenti usus a calore majori, aut lingua sicca, fere nigra, nec semper a respirationis difficultate vetatur. Nocet tamen in diathesi inflammatoria, complicatione saburrali, spasmis exsuperantibus, pulsu duriore, deliriis phreniticis, anxietate magna etc., nisi apto additamento satis corrigetur. — Arnica Frankio non multum profuit. Nervinis locus assignatur secundum experientiam Quarini et aliorum. Neque noster camphorae praemagnas doses bene perferri vidit, adscendit tamen quandoque ad scrupulum

vel dimidiam drachmam; moschi dedit dimidium scrupulum ad integrum et plus etiam.

Aeger conclavi teneatur amplo, aëre renovato, vestibus leviter obvelatus, corpore saepius nonnihil erecto et capite denudato, ad fuganda deliria, sopores, sudores nimios; servata linteorum munditie. Potio, sub urente cutis calore, frigida sit, acidula succis fructuum vel spiritu vitrioli. Etiam extrinsecus frigus corpori admotum ab aliis habet commendatum. Nocent tamen acida mineralia in languore summo et dejectione virium vitalium a contagio inducta; potius huic conditioni conveniunt aetherea, acida dulcificata, vinum, desiderante utplurimum aegro ipso.

Venae sectio nervosae febri, qua talis, minime congrua est, quippe parca interdum fatalis evadit virium inducta vel egregie aucta prostratione. Nec tamen ubivis ab ea abhorrendum. Saepius, sub coelo calidiore, contagio admisso inflammatoria constitutio concurrit, qua sub conditione, nec non in juvenibus, plethoricis, saepe manifesta est sanguinis mittendi necessitas. Mittatur autem caute, utcunque urgere videatur inflammatio oborta, et praesente ipso medico. Neglecta in tali rerum statu venae sectio fatales crebro inflammationes visceribus induxit. Etiam topica missio sanguinis suo loco opportuna est. Tali modo ad simplicem nervosam morbus revocatus, curabitur, ut supra praeceptum, praeterquam quod cortex tam mature hic, quam alias in hoc affectu, minime admittitur.

Quodsi gastrica colluvies aegris simul contigerit, emeticorum tanto major necessitas, vel circa initia statim, vel solutis antea, quae evacuanda veniunt; ne ab intermisso medicamine diarrhoea rebellis et alia multa curationis obstacula subsequantur. Probe discernantur fallacia signa gastrica ab irritatione nervorum ventriculi per contagii efficaciam, vel a latente hepatis vel stomachi inflammatione proficiscentia. Ejectis per oeso-

phagum sordibus, pulpa tamarind., cremor tart. vel refractae emeticorum doses, clysmata repetita, ea vero cum cautela praescribantur, ne nimiae alvi dejectiones inde provocentur, donec purgato ventre ad simplicis morbi medicationem redeundum sit. In delicatulis aegris et tenerioribus alvum blandissime videbatur excitare tartarus emeticus emulsione oleosa subactus, ac paulatim haustus. Acida mineralia his praesertim officiunt, nisi aestus major bilisque corruptio insignis adfuerit absque inflammationis metu; facile ceteroquin fauces exsiccant, inflammant.

In symptomaticis affectibus peculiarem curam subinde requirit vomitus ineunte morbo effrenis; quippe hausta potione Riveriana, sudoris promotione, tandem opio compescendus. Alvi fluxum viribus perniciosum, cortex peruv. vario modo praeparatus, cum aromatibus et vino rubro; radix columbo, adstringentia efficaciora, lac recens, theriaca, diascordium, ore vel clystere ingesta commode restinguunt. Cerebri passionibus pro re nata medentur vel nervinorum usus, vel revellentia, vel sanguinis detractio etc. In reliquis curationi symptomaticae vix augmenti quidquam ex observationibus nostri evenit.

VALENTINUS AB HILDENBRAND [26]).

§. 157.

Qui morbus inter majores varia aetate vel constitutione, pro varia specie et complicatione et causa mali diversimode audiebat, febris Hungarica, pestilentialis, nosocomialis, carceralis, petechialis, passim etiam purpurata etc., novo tandem sub titulo ab Hildenbrando describitur typhus contagiosus, utpote affectus febrilis sui generis, exanthe-

---

26) *Ueber den ansteckenden Typhus.* 1810.

mate certo quodam conspicuus, stadia emetiens luculenter distincta, symptomatum solemni mutatione manifesta, comite autem constanter adjuncta typhomania, febre multifariam variante, modo inflammatoria, modo biliosa, nervosa etc.

Nascitur interdum prima genesi, ex alio quovis morbo febrili, ut secundarium malum, accedentibus quibusdam causis foventibus, e. g. aëre impuro; abhinc contagionis via ad alios sanosque homines propagatur, siquidem praeparati ad miasma suscipiendum fuerint. Incipit febris ab horrore, dedolatione etc., jamque, quominus stadia decurrat, impediri non potest. Primum vero aegritudinis cyclum septenarium vulgo inflammatorio-catharrhosum noster observavit, viribus vix morbi materia suppressis, saepius perstantibus integris, mentis facultatibus, si temulentiam, ac vertiginem exceperis, vix jam male habentibus. Ingravescit stupor quasi ebriosus, catarrhales affectus, tarditas motuum et sensus, sanguis de naribus mediocriter prorumpens, spissus; circa cutem turgor conspicuus fit, sequente exanthematis eruptione maculosa, rubra, interdum miliari, modo etiam petechiali, quam ab illa utpote typho propria et necessaria efflorescentia, licet non satis constanter, Hildenbrandus discernit. Exeunte vero prima septimana stadium morbus nervosum dictum ingreditur, disparente fere, quae hactenus praevalebat, diathesi subinflammatoria et catarrhosa affectione. Phaenomena caput jam extollunt nervosi systematis aegritudinem testantia, saepe in hoc libro enumerata. Neutiquam tamen debilitas vitalis adeo vulgaris grassatur etiam in hoc graviore morbi aspectu; solet enim, in moderato genere mali et medela rite administrata, satis adhucdum virium superesse, ad materiam subigendam et crisi legitima sponte excludendam, adeo uti etiam in hac segnitie et torpore motuum vires potius sufflaminatae et tacite efficaces, quam resolutae et exhaustae cognoscantur. Scilicet declinante hoc altero

symptomatum cyclo septenario morbus sudore blando, alvi dejectionibus, interdum urinae largiore fluxu, paucis haemorrhagia narium, sputis facilioribus, benigne judicatur, disparentibus simul, quae plurimum terrebant, nervosis symptomatibus, aurium tamen susurru vulgo diutius superstite. Ceteri labores a crisi peracta paulatim pluribus diebus decedunt, appetitus viget, convalescentis animus alacer, serenus, quamvis facile adhuc irritatus.

Sic vero adumbratus benignior morbus vario modo conturbatur et exasperatur vitio constitutionis dominantis, habitus aegrorum, momentorum alioquin accidentium; ac modo sic inflammatorius, modo nervosus character decurrente malo supereminet, modo viscera interiore inflammatione petuntur, unde multifariam differt morbi species, ordo, exitus, periculum etc.

Faustum eventum et mediocrem morbum divinare sinunt vomitus primis diebus spontaneus, levata inde capitis obnubilatione. A narium haemorrhagia moderata, caput nonnihil liberante, stadium nervosum exspectari potest mitius satisque tutum. Mentis hilaritas matutina, nec non memoria minus deficiens, bona; praecipue somnum excipientes placidum. Bona etiam praesagire licet alvo inter priores dies sponte ac mediocriter fluente, si quidem cetera consentiunt. A surditate incertum noster praesagium habuit. Optimum indicium, sitis in stadio nervoso modica, potulentis promte exstincta. Lingua humida in eodem statu non minus exoptata, sed rarior; bonum inprimis, si humescit, quae sicca modo fuit. Affectus denique generatim eo tutior erit, quo magis nervosi systematis aegritudo mediocritatem servaverit.

At vero mali ominis habetur, si a vomitu vel spontaneo vel arte solicitato levamen accedit nullum; si facies statim a principio egregie mutata, tetra, apparet; si sitis prorsus deficit; si delirium ferox et assiduum; si

petechiae praepropere erumpunt; si pneumonica affectio vel pleuritici dolores a priore stadio, cui solemnes sunt, in alterum, nervosum producuntur; si tussis continuatur, cum sputis subrutilis. Parotidum tumores cito, ac praesertim utrobique prodeuntes, ancipites. Pessimae notae in stadio nervoso sunt coecitas, lacrimatio involuntaria, petechiae diu persistentes, palpatio, labiorum retractio, vesicatorii inefficacia, aphthae saepissime a vermibus, singultus sub finem morbi, ab inflammatione vel gangraena viscerum existentes. Quae reliqua noster circa exitum praesagiendum monet, saepius jam ex aliorum (Hippocratis praecipue) scriptis notata sunt.

Gastrica complicatio, ubi ineunte morbo sublata non fuerat, curam longe difficiliorem reddidit, similiter syphilitica mala, adeoque localia tantum. Hydropici minori periculo decumbunt; tumorque laxus per typhum decrescit, superato autem morbo facile attollitur iterum. Gravissime aegrotant, quibus hepatis compages vitio laborat.

Ceteroquin a laboribus primi stadii septenarii, quantumvis levibus, nunquam certa praedictio sequentis nervosi habetur. Feminae generatim minus quam mares periclitantur, gravius tamen puerperae et utero gerentes. Malum praesagium in tristibus admodum, animo languentibus, etiamsi lenissime videantur affecti; facile enim in diarrhoeam tales colliquativam praecipitantur. Ante crisin plenam optima etiam indicia certi quidquam non facile pollicentur, in morbo tam insidioso, cito speciem mutante. Qui convalescit ex typho, a metastasi tutus non prius praedicandus est, quam susurrus aurium morbo superstes prorsus evanuerit. —

Morbus, ut ceterae febres contagiosae, saepissime absque omni artis auxilio, solo naturae beneficio penitus summovetur. Auctor ipse, medicaminibus fere destitutus, promte ita convaluit, pluriesque simplici et be-

nigniori morbo praeter potulenta acidula, Störkii usus auctoritate, medicamentosi nihil adhibuit, optimo tamen successu potitus. Etiam gravius decumbentibus, inter varias curae, aliarumque rerum iniquitates, salus tali via recuperata est, natura morbum et medicinam pravam fortiter devincente.

Prohibetur morbus vitato commercio cum aegrotantibus et infectis. Quod si non in potestate hominis fuerit, saltem caveat a diuturniore conversatione et arctiore contactu; accedenti ad aegros vitentur jejunium, refrigerium, humiditas. Prodest etiam vini parcus haustus vel cibi, corporis moderata calefactio, somnus reficiens, exscreatio diligens ad lectulos decumbentium, odoramentum qualecunque, herbae nicotianae fumigatio, mundities observata circa partes miasmate forte contactas, lotio frigido, oris collutio, vestium permutatio.

Suscepto autem contagio adeoque prodromis morbi signis jam comparentibus efficacissimum noster adjumentum ad prohibendam mali eruptionem reperit in frigore, lotione frigida, frictione cum nive, glacie etc.; parum autem ulceribus tribuit arte excitatis.

Ipsa febris, ubi semel hominem prehendit cum horrore etc., non potest ulla arte truncari vel in brevius spatium contrahi ante praefinitam maturationis periodum, frustraque tunc atque sero nimis tentabit aliquis, sudoribus motis morbum primo impetu dispellere. A remediis itaque generosis, efficacioribus tunc temporis, inter ipsam febris invasionem medicus abstineat, ne motus naturae instans nimium ferociat, debilitetur, conturbetur. Acquiescendum potius in potionibus leniter aromaticis, diaphoreticis, tepidis, calore temperato; multumque interest, ut prima haec febris accessio convenienti cura negatur.

In stadio morbi inflammatorio, catarrhoso opus est tum justo virium vitalium moderamine, tum symptomatum graviorum sedatione, tum characteris

morbi, si quis forte caput extulerit, depugnatione, quo tutius et blandius crisis fausta praeparetur. Benigniori morbo tunc sufficiunt emetica, non minus in simplici, quam gastrico affectu perutilia: mitescit inde febris, praecavetur perturbatio et crisi bonae via sternitur. Nec solum circa primos dies hoc remedium magno emolumento est, sed serius etiam datur commodissimum, cum levamine laborum plurimorum. Praemittenda tamen venae sectio est, ubi gravior urgeat in inflammationes propensio et pulmonum repletio; adeoque prorsus ab emetico desistendum, ubi magis etiam ista exacerbantur. Ceteroquin apprime huic statui conveniunt antiphlogistica, saepe adeo per totum morbum praestantissima; solventia blanda, diluentia, acidula, tepida, passim salia media parcis dosibus hausta, tamarindorum pulpa. Cavendum a largiori et composito medicaminum apparatu. Venae sectio locum habet in febre valida, summo orgasmo humorum, ad caput, pulmones etc. congestorum, cum delirio furioso, vel sopore vel viscerum inflammatione. In simplici morbo superflua, funesta etiam in debilioribus. Neque unquam propter phlogisticum aliquem affectum huic febri associatum tantum sanguinis detrahendum, quam alio statu comitante. Hirudinum usus tutior. — Purgantia proficua tantummodo ratione gastricae complicationis; alioquin officiunt cutis perspirationem minuendo, intestinorum tractum relaxando.

Alterum stadium, nervosum, requirit methodum stimulantem, caute vero admittendam. Antiphlogistica et aperientia etiam hic saepe primas partes agunt, neque emetici usus absurdus est, certe ineunte stadio, praesertim si antea propter inflammatoriam diathesin non concedebatur. Simul antagonistica adhiberi possunt: vesicatoria, summopere proficua, inde a die 7—9, eaque multifariam efficacia, nec non per exulcerationem excitatam. Hinc suppuratio producenda. Ceteroquin eadem

proportione, qua vires diu sufflaminatae et retentae sub finem morbi dissolvi incipiunt, a debilitantibus pedetentim recedendum et ad leves stimulos transeundum, qui nervosam facultatem erigere valeant, quin sanguinis motum accelerent. Plurimum hinc laudatur camphora, quippe quae simul incommoda penset cantharidum. Dosis sit mediocris; omni bihorio conceditur granum, interdum plus etiam, ubi stupor gravis urget et extrema virium collabefactio. Nec minus flores arnicae conveniunt, alterando, stases cerebri discutiendo etc.; subinde stuporem, vertiginem, delirium confestim allevant, cuti praeterea irritamentum excretionis praebent; absint tamen in metu inflammationis vel minimo. Juvant et alia excitantia, volatilia, potissimum adjuncta modo laudatis, e. g. valeriana, angelica, naphthae, vinum, eaque usu continuato aequabili praestantiora, quam dosi saepius mutata, aucta, minuta.

Superflua in hoc stadio typhi simplicis, imo damnosa sunt tonica omnia, praesertim cortex peruvianus, nisi putrida intemperies supervenerit; absint et purgantia, opium, calomel. Critica excretio leniter juvetur, abstinendo maxime ab efficaciori omni auxilio. Declinante vero morbo nihil negligendum medico est; speciatim considerandae crises secundariae, frequenter obviae. Omittantur nauseosa quaevis pharmaca, quo promtius ciborum appetitus redux fiat.

Quando inflammatoria intensione febris saevit et phrenitidem veram minatur, vires in antiphlogisticae methodi usu semper considerandae veniunt et parcendae, neque eo usque continuandum, dum cerebri laesi symptomata plane disparuerint, quippe quae necessario quasi ad typhi naturam pertinent, arte vero cum damno laborantis affectantur. Cavendum in eodem statu a nitri usu, propter humorum serius inde subnatam intemperiem. Potius camphora, arnicaque praemissis praemittendis tunc exhibeantur, et vesicatoria

prius suris applicata, jam vertici inducantur. — Ubi nervosi, spastici affectus typho huic comites accederent, asa foetida plus Hildenbrando praestare visa est quam ipse moschus, et si periodicas tunc, in stadio quidem nervoso, febris cum symptomatibus exacerbationes movere videatur, omnino corticis auxilium minime contemnendum erit.

CONCLUSIO.

Postquam observata medicorum complurium sigillatim perlustravimus, paulisper sub finem consistimus retro vultum vertentes. Et quantumvis largus universim intuenti subveniat animadversionum apparatus de rebus medice gestis; acquiescamus, pauca tantum adspergendo generatim. Candor et ingenium Lectorum cetera multa ac meliora facile meditando supplebit. —

Febris typhodes, qualis supra (p. 102 ss.) definiebatur, omni aevo generi humano fuit infesta, utcunque specie varians et ingenio; omni aevo a medicis rite observata ac descripta est, vario licet nomine insignita. Omni aevo, quidquid neoterici diverso tempore jactaverint, fuerunt, qui justam et felicem ipsi medicinam facerent, quamvis non iisdem omnes usi praesidiis vel curandi rationibus; passim tamen, et ipsum ubicunque aetatis et locorum evenit, idem morbus omnem medendi operam eludebat, uti adhucdum aliquando eludit, atrocissimus, invictus.

Ipse circa speciem affectus et gradum saevitiae plurimum differebat, idque secundum diversitatem, quae maxima semper fuit, momentorum efficientium. Praeter manifestas ac vulgo memoratas conditiones, constitutionem privatam, vitae genus, alimentorum indolem, tempestatem incongruam etc., magnae efficaciae hic erat aëris aliqua occulta virtus, latens illud epidemicum, quod Hippocrates jamjam agnovit (τὸ θεῖον) quodque diversum esse potest tempestatibus ad speciem inter se manifesto convenientibus, et idem perstare, coeli facie utcunque variante. Unde anni moderatissimi et

saluberrimi apparentes, graves tamen secum ferebant febrium constitutiones. Neque epidemicum solummodo morbi ingenium spectandum hic venit, sed stationarium etiam, illi saepe praepollens; utrumque, sive conspiret, sive, quoad effectus manifestos, a natura sua sibi repugnet invicem et complicatum in morbis offendat, sedulo expendendum ac probe inter sese conferendum. —

Multum valet tempestatis haec proclivitas ad miasma sive fomitem morbi propagandum. Is enim modo promptius ab aëre excipi videtur et diffundi, modo segnius, modo acui quam plurimum in summam virulentiae atrocitatem, modo obtundi, adeo, ut eadem materies pestifera alio tempore facultatem nanciscatur inficiendi, exacerbata saevitia, alias autem innocua jaceat et iners, renuente aëris constitutione. Tali modo pestilens morbi asperitas sponte remittit aliquamdiu grassata, quamvis fomite mali minime exstincto. In summa vero malignae constitutionis exacerbatione, et in maxima laborantium densissimaque frequentia eatenus aër inquinari visus est exhalationibus pestiferis spissioribus, ut non amplius contagione aegrorum vel rerum infectarum indigeret ad malum propagandum, sed ut jamjam per ipsam auram veneno impraegnatam longius multorumque passuum interstitio posset communicari cum corporibus morbo ceteroquin opportunis. Quae a veteribus (Diemerbroekio et aliis) facta observatio, etiam inter nuperrimam constitutionem typhodem confirmata est compluribus rei testibus *). — Nec tamen pessimae febres typhodes omnes fuerunt contagiosae, licet magnam forte inter populum stragem ederent. —

Quin etiam pestis bubonacea patriam nostram, majoremque partem Europae propterea non amplius videtur devastare, quoniam ob qualemcunque coeli et cor-

*) E. g. Richter *Gesch. d. Torgauer Typhusepidemie* 1813 u. 1814.

porum humanorum ex vitae ratione etc. inductam transmutationem pabulum vel vehiculum non amplius deprehendit, quo excepta satis nutriatur, regeneretur et latius per civitatem propagetur. Nihilominus sporadici affectus specie pestilentes cum bubonibus, carbunculis, extrema malignitate etc. adhucdum inter nos existere possunt inquilini, et reapse notantur passim ab observatoribus. Similiter et ante seculum quintum vel sextum, quo tempore primum populare hoc malum desaeviit, inde a pristinis temporibus, licet rarum, tamen non erat inauditum, quippe ab internis causarum momentis conflatum.

In ejus pestis locum, postquam, inter nos abolita ad orientalium regionum fines, tamquam endemicus morbus, se recepit, si spectaveris atrocitatem morbi et popularem perniciem, alii affectus successerunt aetatem terrentes, ut febris nervosa dicta, petechialis, scarlatina, angina maligna et al.

Stationarii enim haud aliter atque epidemici morbi et annui, alter alterum, veluti clavis clavum, trudunt. (Cf. Sydenhamus, Swietenius.) Scilicet utramque mutationem constitutionis coelestis, tum stationariae illius, tum annuae, prosequitur conversio quaedam et alteratio in corpore humano, qua fit, ut aeva ac secula diversa, uti anni diversi, diversas morborum formas eorumque ingenia procreent varia. Hinc diversa tempora ac diversae nationes diversis premebantur affectibus. Exempla sunt pestis variae species apud Thucydidem, Galenum, Procopium, Guidonem Cauliacum (atrae mortis nomine veniens), Diemerbroekium, Sydenhamum etc. Hinc diversae aetates ac diversae constitutiones stationariae diversas vulgo fovebant medendi methodos, et remedia amabant diversa, aliquando absorbentia, alias evacuantia, excitantia etc. Tales conditiones passim, serius vel ocyus, redintegrari, haud improbabile est; medicamentaque propter inefficaciam

agnitam diu obsoleta iterum aliquando iterumque commendabantur, renovatis quasi virtutibus contra morbum specificis; at vero diu usitata et celebrata tandem effectu destitui videbantur paulatimque diffamata negligebantur. —

Pestis vero proprie et apud praestantissimos auctores aliud nihil est, nisi constitutio cum atrocissima desaeviens malignitate, cujus imperio morbi promiscue, populariter grassantes, inflammatorii biliosi aliique singularem qualitatem et speciem induantur, nec non exitum peculiarem nanciscantur, funestum, alias, in benigniore statu, sibi non solemnem. Falso a compluribus medii aevi auctoribus petechialis febris speciatim hoc nomine compellata est, partim quia hic morbus saepius admodum benignus, favente constitutione, apparuit, pestis vero semper extrema malignitate insignis est, partim quia idea pestis nullam proprie habet formae singularis significationem neque symptomata innuit pathognomonica ulla. Neque etiam typhodes nostra febris pestis titulo ubivis recte salutatur; species enim habet remissiores et constitutiones interdum satis tutas, quas non inepte veteres distinxerunt, putridam febrem dicentes cum phrenitica junctam diathesi. Egregia hinc varietas erat pestilentium febrium non magis circa vehementiam, quam circa speciem mali et symptomatum concursum. — —

Apparet, in tanta febris typhodis varietate methodum medendi in singulis speciebus non potuisse non mirum quantum differre. Nam licet malignitatis idea, de qua quidem nullo tempore inter se conveniebant, certum aliquod medicationis genus indicare videretur; tamen accessorii affectus vulgo tales tamque insignes contingebant, qui per se jam valerent curandi rationem satis inflectere.

Generatim curandi optimo successu is medicus semper fuit potitus, qui felici sagacitate detegeret, quid

constitutioni cuivis, tum publicae, tum privatae, proprium esset. Summi igitur momenti erat, quamdiu morbi dominantis ingenium nondum satis perspectum haberetur, naturam sedulo observare sinceram, medico tentamine, aliove incommodo minime perturbatam; videre, quam sanandi viam illa ingrederetur, atque inde demum, missis opinionibus quibusvis praeconceptis, secundum regulas illas experientia pura stabilitas, medendi rationem constituere, primum periclitantem quidem, mox vero, annuente eventu, certiore pede incessuram (cf. SYDENHAMUS).

Abunde enim confirmatum est, naturae vires morbo depugnando saepissime sufficere per se solas, nec mitiorem tantum, sed pestilentiorem etiam ac peratrocem posse abstergere. Supervacua saepe exstitit medicatio quaevis artificiosa, et exspectativa curatione, nec nisi leviori artis subsidio multoties omnis pagina absolvebatur. Faciliorem tamen, ceteris paribus, medelam populariter desaeviens morbus vulgo habebat, si quidem medicina semel reperta esset constitutioni conveniens, quam privatim infestus, sporadicus, quum curando ipsi nova semper methodus excogitanda esset. —

Ut in febribus universim longe plerisque, ita et in typhode sananda excretionis via natura potissimum utitur, ad materiam quandam, quacum in gratiam redire non potest, ablegandam. Excreta illa modo crassiora et copiosa, modo subtiliora et parca comparuerunt; modo aliquantum praeparata eoque declinante morbo, modo cruda adhucdum et mox a principio prodeuntia (cf. SYDENHAMUS et al.); quin etiam visu teterrima interdum (GALENUS, BALLONIUS), licet non minus salutaria.

Variis in constitutionibus instrumenta varia ad conatus hosce exsequendos a natura adhibebantur; plurimum tamen solemnis via et priva quasi inde a pristinis temporibus cutis aucta, plerumque etiam qualitate mutata excretio animadvertebatur. Vulgo tamen et

aliae secessiones concurrebant, pro genii dominantis proclivitate, vel pro causarum ratione, vel pro corporum diversitate et consuetudine. Quodsi passim absque conspicua materiae exclusione salus restituta fuit; suspicari licet, paulatim et insensibili discessu morbi fomitem, quasi per halitum, fuisse difflatum (cf. Stahlius, Hoffmannus). Propter hanc naturae consuetudinem per sudores febrem typhodem judicandi, non ineptum foret de nexu familiari cogitare et privo quodam antagonismo inter cerebrum nervosumque genus instrumentorum et integumenta corporis communia. —

Quae cum ita essent, optime plerisque cessit evacuans aliqua methodus cum roborante, excitante, medela, quando quidem debilitas virium simul urgeret, prudenter conjuncta. Secundum naturae indicia et pro constitutionis varia indole, varia evacuatio erat molienda; saepissime complures apprime conveniebant. Alio tempore sanguinis detractio plurimum vel unice juvabat, modo venae sectione modo cucurbitulis etc. instituenda; alio alvi purgatio, alio abscessuum spontaneorum promta maturatio, alio ad cutem derivatio; saepissime vero perspiratio promota, modo insensibilis, halituosa, modo in sudorem inspissata, prouti vel subtilioribus vel crassioribus excretis natura optime sublevari videretur. Est ubi omnis materiae exterminatio solis naturae conatibus relinquenda erat, totaque curatio in virium cauta sustentatione continebatur. Alias artificiosa quaevis corroboratio nocebat, febrem et metastases periculosas concitabat, totam vero paginam evacuantia medicamenta absolvebant; idque tunc maxime, ubi vires exsuperante humorum plenitudine vel pravitate praefocatae essent, sarcinis prompte sublatis unice reficiendae. Modo in absorbentibus pharmacis satis praesidii positum fuit, vitatis ipsis vacuantibus; modo epispastica principatum medicationis tenebant. Modo efficacissimis quibusvis et acerrimis locus dabatur; modo

ab omni medicaminum fortiorum apparatu temperandum fuit. Modo una eademque medela omnibus vel plurimis satis conveniebat, modo singulis singularia erant adhibenda et s. p. Ita summopere variabat, uti morbi natura, ita medelae ratio; experiundo demum rite discebatur, ut adhucdum discendum est, quoties novi morbi ingressus fit. —

Utcunque vero in variis constitutionibus diversa et diverso modo molienda erant; tamen cutis juvanda excretio constantissimus per secula mansit curationis scopus, privumque quasi status typhodis remedium, licet neutiquam naturae hoc opus ars medentium prospere semper imitata sit. Altera constitutio sudorem amabat, quam primum fieri posset extricatum, altera serotinum praemissis evacuationibus cruentis, alvinis etc. naturae relinquendum. Modo blanda, modo acria et potentissima adminicula; modo directa, modo indirecta methodus diaphoretica naturae proprie fuit accommodata. Aliquando absorbentibus ac terreis cutis functio promte et efficaciter promoveri videbatur, subacta ingluvie gastrica, quae judicationem morbo convenientem retardaret (v. Galenum); alias vomitum ciendo, alias alvum purgando, alias prudenter refrigerando, alias sanguinis abundantiam imminuendo, alias spasmum resolvendo, cerebri aliarumve partium nobiliorum affectum tollendo, revellendo etc. obstacula criseos commode dimota sunt; alias sanguinis immodica ebullitio temperanda fuit, alias segnities et inertia motuum instiganda. Alibi denique nonnisi ventriculum materiae excernendae suppeditandum erat, diluentibus affatim hauriendis, posthabita omni stimulorum vel admotione vel subtractione.

Hinc alexipharmacorum nomine permulta ac diversissima medicamina feruntur; venae sectio non minus, quam bolus et camphora et cortex peruvianus. —

Ratio denique sanorum corpora tuendi in typhode constitutione non minus differebat, quam genius ipse

morbi popularis. Videndum semper erat, quis habitus, quaeque natura corporis plurimum morbo suscipiendo faveret; et inde pro re nata procedendum. Recte jam Paulus notavit, eum habitum, qui minus morbo affinis esset, conservari debere; immutandum vero esse qui plurimum morbo pateret. Tali modo in hac constitutione plethora erat vitanda, in illa intemperies humorum; in alia virium dispendium vel jactura humorum, in alia exaestuatio. A contagio recepto morbi eruptionem alias emetica prompte praevertebant sudorque excitatus, alias frigus admissum; alias fonticuli saluberrimi, alias omnia haec frustranea, imo damnosa fuere. Genio regnantis morbi nondum pernoto incerta erat omnis prophylaxis et successus tantummodo fortuitus. In mediocritate tum virium, tum plethorae vulgo optimum positum fuit contagionis et morbi ipsius contracti praesidium, nec non in temperie humorum rite conservanda, animo hilari intrepido. Plurimum fere semper periclitari videbantur vel robusti, athletici, plethorici, vel debiles, exsangues, humoribus impuris scatentes, vel meticulosi. Ratio dispositionis ad morbum contrahendum saepe minime perspecta fuit, quum nonnisi populares, cognati, opificii ejusdem sodales, etiam spatio disjuncti morbo dominante prehenderentur, alienosque forte minime inficerent *).

Ex omnibus elucere speramus, quum febris typhodes diversissima quoad indolem compareat, diversissima ratione bene sit curata, nullam medicinam contra omnem et qualemcunque morbi speciem universim sufficere posse, nisi quae in generalibus artis praeceptis tota ac circumspecta versetur. Elucet, quantopere confusio et dissensio in re medica augeatur, si specierum artificiosae

*) Cf. Diemerbroek d. pest. Noviomag. — Ettmüllerus de affinitate mumiali. — Swietenius comm. ad §. 1408 ex Degnero de dysenteria Neomag,; ex Heisteri obs. (*Med. chir. Wahrnehmungen*, p. 171) de febre universitatis Altorfiensis etc.

et arbitrariae distinctioni in medicina vel facienda vel docenda nimium indulgemus; melius tum aegris tum medicorum famae consultum fore, si generalem febrium cognitionem et curandarum rationem probe tenentes, secundum Hippocratis et Boerhaavii exemplum, sedulo usque consideremus, quid constitutioni tum populari tum privatae, nec non toti causarum complexui, dummodo vere perspectum habeamus, conveniat. Elucet, quantum tribuendum sit auctoritati medicorum singulorum, si medicinam, qua per constitutionem unam alteramve adeoque per plures annos felicissime rem gesserant, pro unice constanti, perpetua ac tuta et sufficienti universim praedicarent; quam parum valeat in sanatione febrium definienda vitae unius, quantumvis in se probabilis, experientia; quantum vero expediat, varietatem constitutionum et successum artis, per secula, quotquot historia rei medicae circumscribit, persequi, comparationemque invicem instituere mente sana et animo aequo, sincero, veritatis amico. Etenim

Non minor est virtus, quam quaerere, parta tueri.

INDEX

nominum et rerum memorabilium.

Absorbentium usus in peste 245. 268. 303. 408 s. 427.
Acidorum usus 267 ss. 297. 312. 357. 381. 428. 492. 497. 509. 525. 557 s.
Acro pestem suppressit 108.
Actuarius petechias describit 262.
Adstringentia ubi adhibenda 247. ubi vitanda 240. 295. 509.
Aër, causa febr. epidem. typhodis 224.
Aëris corruptio, causa febrium 225.
Aëtius 51. 83. 249. 251.
Alexander Trallianus 54. 252. de febribus putridis 253. de febribus ardentibus 254. de syncope curanda 255. de lethargo 260. de phrenitide 255. venam frontalem aperuit 257.
Alexipharmacorum usus 251. 268 ss. 278. 284. 293. 297. 303 s. 306 ss. 312. 328. 337. 348. 352. 357. 360. 432. 440. 456. 461. 528. 544.
Alexipharmacorum usus inutilis vel noxius 302. 304. 372. 390. 395. 414. 416. 424. 470. 474. 484.
Alphanius pestem curavit 271.
Alsarius a Cruce de morbis capitis 300.
Amuletum in febr. pestilent. v. arsenicum 165. 268 s.
Animi cura in febre typhode 423. 518.
Antimonium in peste nocuit 269. 270. 298. in peste profuit 357. 408.
Aquilo miliariam conflat 519.
Arabes medici 262.
Aretaeus 20. 53 s. 61. 85. 191. qua methodo morbos curaverit 193. qua methodo vomitoria adhibuerit 194. lethargi curam tradit 202. phrenitidis curam tradit 197.
Aristoteles 169.
Arnicae usus 523.
Arsenici virtus in peste 268 ss. 293.
Arthritici a contagio pestis immunes 275.
Asclepiades 117. 185. 189.
Aubrius 90.
Auri virtus in peste 269. 293.
Auster petechias inducit 519.
Averrhoës 51.
Avicenna 51. 83. 249. 251.

Baglivus 90. 391.
Baldingerus 500.
Ballonius de cura febr. malignae 287. quam febrem typhodem dicat. 288.
Balnei usus in typhode statu 259. 261.
Benedictus, Alex. pestem curavit 267.

Bolus armena in pestil. febre 245. 269 ss.
Boerhaavius 429.
Bontekous 303.
Bontius 297.
Botallus 374.
Bruno 100.
Bubones pestilentes 170. 197. 267 ss. 346. 360 etc. in animalibus 269.
Burserius de Kanilfeld 539.

Caelius Aurelianus de lethargo 52. 58. 212. de phrenitide 207.
Calida nocent in phrenitide 258. 368 ss. 382. 507.
Calidorum usus in lethargo externus 203. 260. in pestilenti affectu 268 ss. 278. 292. 297. 304. 307. 361. 372. 474.
Camphorae usus in febr. typh. 455. 461. 490. 524. 545. 556.
Carbunculi pestilentes 170. 242. 330 etc.
Carus, affect. typhodes 46. 65.
Castoreum in lethargo dedit Aretaeus 203. Alexander 261. Celsus 191. in phrenitide dedit Heraclides 176. in statu typhode protracto 248. 300.
Casus febris typhodes 113. 116 s. 279. 333.
Causae febris typhodes 134. 207. 222. 225. 274. 324. 342. 351. 397. 406. 441. 452. 459 s. 465. 467. 519. 527. 554.
Catalepsis 63.
Charterius 26.
Chemica medicamenta ex Arabum schola 263. 297.
Celsus de febre typhode egit. 177. dies criticos non observavit 185. qua medendi ratione usus sit 181. qua ratione venae sect. adhibuerit 181. qua ratione purgantia dederit 183. qua ratione curaverit lethargicos 190. qua ratione curaverit phreniticos 189. quo victu in morbis usus sit 183.
Clarus 104.
Clysmate quomodo usus sit Sydenhamus 380 s.
Coctio humorum quo modo adjuvanda 236. 238 s. in peste non exspectanda 291.
Coma 41. 43. 115. 256. 438. typhodes affectus 38. 63.
Congelatio, i. q. catalepsis 63.
Constitutio pestilens, typhodes 114. 161. 169. 273. 296. 335. 337. 342. 358. 369. 382. 398. 406. 452. 459. 465. 475. 516. 533 ss. petechialis typhodes 267. 280. 296. 342. 385. 398. 411. 415. 452. 477. 481. 515. 547. privata quid efficiat in peste 280. 358. 455.
Contagium typhodes memorat Aristoteles 169. Thucydides 164. non memorat Hippocr. 136. mora indiget 275. negatur 526. a cadaveribus emanans 270. 346. refutatur 268. 271.
Coriarii a peste immunes 269.
Corpora quaenam ad febr. pest. disposita 226. 274 s. 343.
Corticis peruviani usus 390. 395. 397. 400. 466 s. 475 s. 480. 486. 489 s. 494. 497. 505. 508. 514. 523. 536. 556.
Coyttarus, de constit. petech. 280.
Craanius 303.
Crato de peste 269.
Crisis febris typhodis 125. 395. 494. 516 s.
Cucurbitulae in statu typhode 201. 203. 211. 244. 248. 258. 294 s. 318. 332. in statu pestilenti 267. 270. 290.
Cullenius 100.
Curandi praecepta generalia Hippocr. 137.

Curatio exspectativa i. st. typhod. 380 s. 390. 395. 407 ss. 415. 422 ss. 428. 431 s. 454. 473. 504. 509. 511. 537. 545. morbi popularis 365 ss. 518. 533. — typhodis febris ap. Hippocratem. 141. 151. Celsum 185. Boerhaavium 430 s. 441 ss. Burserium 541 ss. Diemerbroekium 347. Forestum 373 ss. Fracastorium 267. Frankium P. 555 ss. Grantium 503 ss. 511. Haenium 474. Hasenoehrlium 479. Heurnium 298. Hoffmannum, Fr. 407. 414 s. 419. 422. Hildenbrandum 561. Huxhamum 452. 460. Lancisium 400. Pecquium Clotur. 514 ss. Pringlium 466. 470. Quarinum 488. 498. Riverium 317. 325. Ramazzinium 389. Sennertum 305. 309. 315. Stollium 521 ss. 537 ss. Stahlium 428 ss. Strackium 483. Sydenhamum 367 ss. 379. Willisium 337. 339. — typhodis pathematis 197. 202. 210. 246. 257. 260. 294. 330. 379 ss. 433 ss. 471. 490. 508. 530 s. 543. typhodis pathematis prophylactica 160. 234. 325. 541. status putridi ap. Galenum 235.

Diemerbroek., de peste Noviomagensi 342.
Dies critici in pestil. statu 516. 528.

Emetico quomodo usus sit Aretaeus 194. P. Frankius 555 s. Stollius 529. Sydenhamus 367.
Emeticum in peste proficuum 268. 304. 310. 352. 357. 360. 414. 453. 466 ss. 517. 535. 541 s. 544.
Empedocles pestem suppressit 108.
Endemica morbi constitutio 391. 443.
Epidemica febris typhodes 110 s. 114. 162. 170. 273. 280. 289. 335. 337. 342. 369. 378. 382. 398 ss. 406. 411. 464. 475. 477. 482. 514 ss. 533. 538 s. 547.
Epispastica in affectu typhode 203 s. 248. 251 s. 270. 296. 300. 339. 357. 380. 382. 434. 460. 524.
Erectio corporis in f. t. anceps 408. 414. utilis 380. 383. 504. 507.
Erotianus interp. febr. typhodes 26. 82. 93.
Ettmüllerus 350.
Evacuantia in humorum intemperie 235. 240. 291. 318. 339. 400. 453. 489. 515. 538. 545. per epicrasin 243. 320. 335. 528.
Evagrius 172.
Exanthemata febris typh. pestil. 110. 163. 232. 267. 269 ss. 273. 276. 279. 297. 336 s. 351. 357. 403. 406. 413. 447. 451. 459. 462. 469. 474. 482. 499 ss. 512. 517. 531. 545. 553.

Facius, Sylv., 271.
Fallopius, de peste 269.
Febrem petechialem primus describit Jac. a Partibus 267. epidemicam describunt Burserius 543. 547. Coyttarus 280. Diemerbroekius 342. Ettmüllerus 354. Fracastorius 267. Hasenoehrlius 476. Fr. Hoffmannus 417. Huxhamus 449. Lancisius 398. Ramazzinius 385. Roboretus 296. Strackius 481. Swietenius 447. Trevisius 296. Vallesius 269.
Febres hecticae Galeni 68. 230. κοπώδεις Galeni 28. putridae Galeni 69 s. 222.
Febris assodes 89. 132. 149. ephemera Galeni 68. ephemera maligna, typhodes 540. biliosa, typhodes 316. 401. 464. 507. 520. 543. ardens, s. causus 20. 95. 186. 236. 251. 494. 507. 542. ardens typhodes 111. 125. 195. 223. 441. 464. 494. 543. ca-

strensis typhodes, cf. Hungarica 398. 419. 464 s. intermittens typhodes 398. 539 s. latica s. pituitosa 90. lenta nervosa apud Celsum 187. Galenum 230. 340. Hippocratem 129. Huxhamum 457. maligna, typhodes 272 s. 293. 308. 322. 340. 350. 376. 402. 417. 440. 457. 496. 510. 527. 543. 553. mesenterica, maligna 394. nervosa 552. nervosa lenta 457. 521. 530. 533. 537. 548. 554. nosocomialis 465. 543. 554. notio ap. Galenum 68. petechizans, typhodes 406. 411. 415. 427. pituitosa, typhodes 75. 521. 533. 537. 546. putrida, typhodes 313. 316. 336. 398. 402. 439. 449. 464. 488. 498. 505 ss. 522. 537 s. 543. 553. quotidiana Galeni 73. semitertiana Galeni 77. 393. stationaria 363 s. 366. 378. 382. 385. 533. tritaeophyia 110. typhodes Aëtii 83. 92. Erotiani 26. 93. Galeni 69. 73. 79. 82. 92. Foresti 90. Rhodigini 91. Ballonii 288.

Febrium curatio apud Hippocratem 141. Celsum 186. Galenum 236. 241. Alexandrum 253. Riverium 317. Sydenhamum 365 ss. Baglivum 392. Fr. Hoffmannum 407. Boerhaavium 429 ss. Haenium 473. Grantium 503 ss. Stollium 520 ss.

Florentius 297.

Foësius 4. 12.

Fonticuli in peste utiles 268. 270. 207. 346. in peste arescentes, lethales 345.

Forestus 90. 272.

Fracastorius 91. 267.

Frank, Pet. 551.

Frictio quibus maxime conveniat 239. 255. 299. 310.

Frigida capiti admota 157. 199. 254. 294. 349. perfusio 191. potio in febribus 187. 201. 236. 251. 253 s. 259. 297. 442. 525. 543. 557.

Galenus de comate 41. de febre quotidiana 74. de febre typhode 69. 92. de febre pestilenti 230. 270. de febre pestilenti hectica 231. de phrenitide 217. 246. interpr. v. *κάρος* 47. interpr. v. *καταλήψις* 63. interpr. v. *λήθαργος* 50. 246. interpr. v. *τυφομανία* 44. interpr. v. *τυφώδης* 7. 37. quomodo absorbentibus usus sit 245. quomodo purgantia dederit 244. quomodo venae sectionem adhibuerit 241. quomodo theriacam admiserit 246. quomodo typhodem statum curaverit 246. quos morbos malignos habuerit 228.

Galeni imitatores 264. medicina 214. 233.

Gemma, Corn. 270. J. Bapt. 271.

Genesis febris putridae typhodis 226. 488. 519.

Genius morborum popularis 362 ss. 445. 518.

Gorraeus 84. 90.

Grantius 503.

Haen., Ant. de 473.

Hasenoehrlius 476.

Hebenstreitius 27.

Helmontius 301.

Heraclides Tarentinus 52. 173.

Heurnius 298.

Hildanus, Fabric. 297.

Hildenbrandus de typho contagioso 558. interpr. typhum Hippocrat. 18. 21. interpr. typhum Erotiani 27. typhi ideam mutavit 102.

Hippocrates, de constitutionibus epidemicis 109. 114. 134. 160. de cura febris typhodis 108. 119. 141. 151. 154. 159. de lethargo 53. 56. 59. 132. quid voluerit v. τυφώδης 7. 9. 12. 14. 93. typhos describit quinque 17. 20. de signis febr. typhod. 121. novit varias species febr. typhod. 131. 154. vidit in morbis malignitatem 133. 159. de causis constitutionum popular. 134. de causis febris typhodis 134. non meminit contagii 136. de curandis morbis 137. quando medicamentis usus sit 144. de usu purgantium 145. 149. 151. de usu venae sectionis 148. de curandis viscerum inflammationibus 149, 152. de curanda febre assode 149. de curanda febre ardente 153. de curanda phrenitide 156. statum typhodem arcebat potius quam praesentem impugnabat 158. operosissimus in praesagiendo statu typhode 159.
Hirudines adhibuit Aretaeus 194. Caelius Aur. 211. 213.
Hodges, de peste Londin. 358.
Hoffmannus, Fr., 406.
Horatius 55 s. 62.
Humorum quomodo curanda intemperies 235. 311. 392. 441. 452. 470. 489. 503. 523. 543. 557. quomodo curanda obstructio 236. 432 s. quomodo curanda plenitudo 241. 243.
Huxhamus, de febr. putr. malign. typhod. 449.

Jachinus pestem suppressit 108.
Jacobus a Partibus, de febr. petech. 267.
Ingrassias, quomodo pestem curaverit 268.
Jordanus, Thom., de lue Pannonica 270.
Joubertus 271.
Judaei a peste immunes 267.

Labadie, Em., de peste 298.
Lancetta, Troilo, 302.
Lancisius 397.
Langius, Jo., pestis curam docuit 268.
Lapides pretiosi in pestil. affectu 269. 285. 293.
Laudano quomodo Sydenhamus usus sit 368 s.
Lepecq. de la Cloture v. Pecquius 514.
Lethargus, affect. typhodes 50. 65. 120. 132. 216. 260. affect. pestilens 273. 337. a phrenitide 202. 256. 295. 437.
Lethargi causae, signa 52. consensus cum pneumonia 57. prognosis 58. curatio apud veteres 59. apud Heraclidem 175. Celsum 190. Aretaeum 202. Galenum 246. Alexandrum 260. Septalium 295. Heurnium 299. Sydenhamum 379. Boerhaavium 438. Pringlium 471.
Linimentum Aëtii 251.
Lipyria 89. 132. 149.
Lucretius de pest. Athen. 165.

Malignitas morborum ap. Hippocratem 133. 154. Galenum 228. 230. quo modo curanda 267 ss. 293. 300. 302. 307 s. 311. 325 ss. 347. 352. 394 s. 420. 425. 440. 460. 474. 492 s. 497 ss. 510 ss. 517. 525. 528 s. 536. 541 ss.
Manningham 464.
Massa, Nicol., pestem curavit 268.
Medicina Hippocratica 137. Celsiana 181. methodicae sectae. 205. arabica 262. medii aevi 264. Sydenhamiana 365 ss. 504. Bagliviana 392. Hoffmanniana 407. Boerhaaviana 429. Haeniana 473. indirecta 529.

Medicorum pristina officia 108.
Mercurialis 84. 90.
Miliaria 500. 517. 519. 521. 545.
Montanus 47.
Morborum cognitio unde haurienda 112.
Morbus cardiacus s. syncope 171. crassus Hippocr. 87. Hungaricus 270. 315. intercurrens 365. 444. quinam atrocissimus existat 229. 446. 491. 540. quinam pestis vocandus 224. 444. 528. 552. stationarius 363. 533.
Morellius de febr. purpur. 304.
Mortonus 385.
Mye, v. der 302.

Narcotica med. in phrenitide 175. 200. 247. 257. 340 352. 368. 412. 472. 495. 531. 545.
Nervina medicamina 490 ss. 504. 523. 531. 545. 557.
Nonnus 262.

Oribasius, de peste ex Rufo 249.
Ovidius 165. 172.
Oxyrrhodini usus 247. 257. 260. 279. 331. 349.

Paauw, Pet., 297.
Palmarius 269.
Paracelsus 268.
Paraeus, Ambros., 270.
Paraphrenitis 87. 157. 276.
Parotides in statu typhode 112. 329. 427. 495 s. 546.
Paulus Aegineta 45. 52. exscripsit Oribas. et Alexandrum 249. de peste ex Rufo 249.
Pecquius Cloturanus 514.
Pericles 165.
Pestis Atheniensis 161. auctorum vulgo erat febris typhodes 108. bubonacea apud Procopium 170. Avicennam 267. qualis morbus Galeno fuerit 224. 231. quomodo praespicienda 250. 274. 344. quomodo curanda 250. 267 ss. 278. 289. 296 ss. 305. 347. 352. 359. 372 ss. 474 ss. saevissimae historia 170. 273. 342. symptomata ex Rufi comm. 249. variae species sunt 224. 275. 303 s. 355. 552. Bernensis 297. Delphensis 273. Lausannensis 297. Londinensis 358. 369. Lugdunensis 298. Mediolanensis 289. Noviomagensis 342. Ostendiana 302. Parisiana 269.
Petechiae, progenies malignitatis 313. 403. 448. 451. 512. quomodo dignoscendae 314. quomodo oriundae 531. super cutem exstantes 296.
Petechialis febris vid. Febr. pet.
Petechiarum eruptio salutaris 267. 270. 296. 388. 416. 427. 447. 451. 477. 549. funesta 268. 270. 297. 302. 344. 359. 447. 451.
Petechias primus descripsit Actuarius 262.
Petro, quomodo febres curaverit 188.
Phrenitis, affectus typhodes 111. 115. 119. 157 s. 216. 256. 350. 471. affectus pestilens 224. 273. 276. 298. 452. 471. ab intemperie humorum 259. 313. 317. 471. cum febre incedit diversa 141. 159. 177. 190. 220. 256. quo anni tempore frequentior sit 178.
Phrenitidis medela apud Hippocratem 156. Heraclidem 174. Celsum 189. Aretaeum 197. Caelium Aurel. 210. Galenum 246. Alexandrum 257. Coyttarum 280. Septalium 294. Heurnium 299. Sydenhamum 368.

381. Boerhaavium 434 ss. Huxhamum 456. Pringlium 471. Grantium 506. 508. Burserium 543. species variae 220. 436.
Pilulae antipestilentiales Rufi 251.
Plethora humorum, quomodo curanda 241. 243.
Pleuritis maligna 288. 296. 444. 518.
Plutarchus 108. 165.
Posidonius 47. 51.
Praesagium in febre typhode et pestilenti 123. 179. 209. 221. 233. 276. 345. 351. 356. 359. 413. 526. 560.
Praxagoras 7.
Pringlius 464.
Procopius 170.
Prophylaxis in pestilenti statu 160. 234. 246. 250. 292. 325. 346. 352. 361. 418 ss. 470. 498.
Prosper Alpinus 91. 308.
Purgationis usus in lethargo 191. 202. 261. 299. in phrenitide 294. 299. 331. 434. 437. in intemperie humorum 238. 244. 254. 306. 318 ss. 395. 400. 453. 463. 467. 508 s. 515. 521. 526. 544. 558 s. in pestilenti statu laudatur 267 ss. 279. 285. 291. 296. 306. 309 s. 327. 338. 376. 400. 411. 419. 454. 466 ss. 483. 512. 515 ss. 544. 557 s. in pestilenti rejicitur 267. 270. 297. 304. 346. 353. 357. 401.
Putredo aëris febrem typhodem reddit pestilentem 225. humorum quomodo curanda 235. 245. 253. 311. 523.

Quadragenaria seclusio (Quarantana) commendatur 268. rejicitur (Facius) 271.
Quarinus 487.
Quercetanus pestem curavit 270.

Ramazzinius, de febr. petechiali 385.
Rarefactio, quando noceat 240.
Reilius 102.
Rhazes 47.
Rhodiginus 91.
Riverius de febrib. putridis 316. de febrib. malignis 322.
Roboretus, Octav., de febr. petechiali 296.
Rufus pestem descripsit 249.

Salvagii typhus febris 99.
Sanchez 500.
Sanctorius 358.
Scarificatio quando venae sectioni praeferenda 243 s. 268. 272. 308.
Schneiderus de morbis soporosis 300.
Seneca 165.
Sennertus 304.
Septalius, de peste curanda 289. de affectu typhode 293.
Serapion 56.
Sinibaldus 23.
Somnus phreniticis proficuus 222.
Soranus 205.
Spindlerus 302.
Stahlius 423.
Sternutatoria in lethargo 176. 203. 248. 260. 295. 300.
Stoerkius 542.
Stollius 519.
Strackius 481.

Subeth (Avic) i. q. typhus 44. 47.
Sudores, quinam optimi sint 125. 221. 292. 312. 349. 374. 414. 426 s. 454. 461. 506. 508. 510 ss. 556. medicamentis ciendi 268 ss. 278. 304. 307. 337. 343. 349. 352. 357. 360. 373. 427. 461. 512. 555.
Swietenius 429.
Sydenhamus 361.
Sylvius, de le Boë, 302.
Sylvius Facius 271.
Symptomata febris typhodis apud Hippocratem 110 s. 114. 120. lethalia 129. typhodis pestilentis apud Thucydidem. 163. 171. Celsum 178. Aretaeum 195. Caelium Aurel. 52. 208. Galenum 217. 231. Oribasium, Paulum, Aëtium 249. Alexandrum 256. Forestum 272. 275. Coyttarum 281. Sylvium 303. Sennertum 305. 308. 315. Riverium 323. Willisium 336 s. Diemerbroekium 344. Ettmüllerum 350. Hodgesium 359. Sydenhamum 371. 378. 382. Ramazzinium 388. Lancisium 398. Fr. Hoffmannum 406. 412 ss. 417. Boerhaavium 437. 441. Huxhamum 449. 457. Pringlium 464. 468. Hasenoehrlium 477 s. Strackium 482. Quarinum 488. 496 s. Pecquium 516 s. Stollium 520 ss. 534 ss. Burserium 540 ss. 548. Pet. Frank. 553. Hildenbrandum 559.
Syncope s. morbus cordiacus 20. 196. 239. 241. 255 s. 298. 344. 397.
Synochus simplex typhodes 542.
Syphilitici in peste incolumes 275. 359.

Tartari emetici usus 466 s. 516.
Theriacae usus 269 ss. 292. 307. 426 etc.
Theriacam primus innuit Aretaeus 195. quomodo dederit Galenus 247.
Thucydides 161.
Toxaris pestem fugavit 108.
Trallianus, Alexand. 54. 252.
Trevisius, Andr. 296.
Typhlodes idem quod typhodes 15.
Typhodes affectus Hippocratis 7. 9. 12. 14. 16. Galeni 37. 65. febres Erotiani 26. 32. Galeni 69 ss. 79. Aëtii 83. febris non species, sed genus morbi est 99. 102. febris omni aevo infestavit 107. febris popularis apud Hippocr. 110 s. 114. 120. febris lenta apud Hippocratem 129. Celsum 179. 187. 190. Galenum 230. Septalium 293. Sennertum 308. Riverium 322. Willisium 340. Diemerbroekium 344. Fr. Hoffmannum 412. Huxhamum 456. Stollium 530. Burserium 544. 548. Pet. Frankium 554. febris tritaeophyia, longa 110.
Typhodis febris curam primus docuit Hippocrates 108. febris species esse complures 338. 398. 488. 503. 520. 547.
Typhodem statum, quomodo curaverit Heraclides 174.
Typhodes status a febre ardente etc. secundarius 192. apud Aretaeum 197. Caelium Aurel. 52. 207. Galenum 217. 246. Alexandrum 255. 260. faciem mutat 221. 553.
Typhomania Hippocratis 12. Galeni 44. 218. Alexandri 256.
Typhus, notio verbi primaria 3. idea morbi propria 5. 102. idea morbi Hippocratica 17. 25. primus, secundus etc. Hippocratis 16. 20 ss. 505. diversitas idearum 99. Baglivi 396. Salvagii 99. contagiosus Hildenbrandi 558.

Vallesius 269.
Venae sectio, quando conveniat in syncope 205. 255. quomodo fiat in humorum intemperie 237. 253 s. 268. 317 s. 452. 466. 488. quomodo fiat in lethargo 202. 213. 246. 260. 295. 299. 379. 401. quomodo fiat in phrenitide 174. 198. 211. 246. 257. 294. 299. 330. 381. 434. 437. quomodo fiat in pestilenti statu 235. 267 ss. 278. 284. 289. 296 s. 305. 309. 316. 326. 339. 373. 382. 410. 416. 419 s. 452. 466. 470. 474. 479. 511. 528. 550. 557. rejicitur ut funesta 267. 269 ss. 297 s. 337. 346. 353. 357. 359. 389. 417. 428. 498. in pestilenti statu debilitatem repente inducit 243. 268. 316. 468. 553.
Venae sectione quomodo usus sit Galenus 241.
Vermes cum febre typhode, pestilente 279. 281. 296. 389. 398 s. 490. 514 ss.
Vesicatorii usus 270. 272. 290 s. 296. 308. 315. 339. 353. 357. 380. 393. 400 s. 411. 455. 460. 471. 487. 498. 508. 524. 535. 544.
Vinum quomodo dandum lethargicis 261. 471. quomodo dandum phreniticis 201. 259. 490.
Virgilius 165.

Werlhofius 493.
Willisius 335.

Zacutus Lusitanus 90. 332.
Zimmermannus 500.